JOANNIS BODINI

COLLOQUIUM HEPTAPLOMERES

DE

RERUM SUBLIMIUM ARCANIS ABDITIS.

E CODICIBUS MANUSCRIPTIS

BIBLIOTHECAE ACADEMICAE GISSENSIS CUM VARIA LECTIONE ALIORUM APOGRAPHORUM NUNC PRIMUM TYPIS DESCRIBENDUM

CURAVIT

LUDOVICUS NOACK,

PHILOSOPHIAE DOCTOR, IN UNIVERSITATE GISSENSI PROFESSOR EXTRAORDINARIUS.


SUERINI MEGALOBURGIENSIUM.

TYPIS ET IMPENSIS FRIDERICI GUILELMI BAERENSPRUNG, TYPOGRAPHI AULICI.

1857.





JOANNIS BODINI

COLLOQUIUM HEPTAPLOMERES

DE

RERUM SUBLIMIUM ARCANIS ABDITIS.


E CODICIBUS MANUSCRIPTIS

BIBLIOTHECAE ACADEMICAE GISSENSIS CUM VARIA LECTIONE ALIORUM APOGRAPHORUM NUNC PRIMUM TYPIS DESCRIBENDUM

CURAVIT

LUDOVICUS NOACK,

PHILOSOPHIAE DOCTOR, IN UNIVERSITATE GISSENSI PROFESSOR EXTRAORDINARIUS.



SUERINI MEGALOBURGIENSIUM,

TYPIS ET IMPENSIS FRIDERICI GUILELMI BÆRENSPRUNG, TYPOGRAPHI AULICI.

PARISIIS, FR. KLINCKSIECK. — 1857. — LONDINI, D. NUTT.

LUDOVICO III.

MAGNO DUCI HASSIAE ET AD RHENUM

PRINCIPI AC DOMINO SUO INDULGENTISSIMO
LITERARUM ARTIUMQUE PATRONO SAPIENTI

HANC OPERIS BODINIANI EDITIONEM PRINCIPEM

VENERABUNDA MENTE

D. D. D.

EDITOR.

PRAEFATIO.

Joannes Bodinus, Andegavensis, atheismi sua aetate se suspectum reddidit cum libris quibusdam editis tum opere, quod quasi cygneam cantationem ineditum reliquit. Liber autem inscribitur colloquium heptaplomeres, non quod in septem partes distributus esset, sed quod septem viros, operam inter se partitos interlocutores, introduxit. Quorum primo Coronaeo Romano-Catholicorum, deinde Friderico Lutheranorum, Curtio Calvinianorum, Senamo omnium sectarum ethnicarum. Salomoni Judaeorum, Octavio Muhammedanorum, Toralbae denique naturalistarum causam tuendam commisit, qui omnes ita de fidei controversiis disputant, ut Toralbae ratio, quam autor ipse confiteri videtur, triumphet.

Leibnitius nobilissimus philosophus, quum recte perspexisset, quanta esset auctoritate et gravitate hoc Bodini colloquium ad cognoscendam et philosophandi rationem atque formam et religionis sensum rationemque aetate reformatoria usitatam, jam senex hujus libri editionem parari voluit. Quem laborem aggressus Polycarpus Leyserus, Jurisconsultus Helmstadiensis, quominus perficeret, prohibitus est magistratuum interdicto. Sub finem saeculi superioris Liber Baro Henricus Christianus de Senckenberg, collatis compluribus libris manuscriptis, exemplar hujus operis quam correctissimum perfecit, quod praeter alia duo ejusdem colloquii exemplaria, quae quidem minoris pretii sunt, inter ornamenta bibliothecae academicae Gissensis enumeratur *).

Quum igitur, probante Neandro, illustrissimo historiae sacrae auctore doctissimus vir Guhrauer libro singulari, qui anno 1841 prodiit,

*) Cf. Adriani, viri nobilissimi ac doctissimi, qui est bibliothecae academicae primus praefectus, catalogus codicum manuscriptorum bibliothecae Gissensis. Francofurti a. M. 1840. p. 189 sq.

denuo virorum doctorum animos in Bodini colloquium advertisset, non inutilem me suscepturum sperabam laborem, si librum illum famosum, qui propter periculum, quod religioni recte colendae afferre videbatur, diu in bibliothecis ineditus latuit, typis describendum curarem. Hunc autem laborem, quo colloquium Bodinianum ad codices correctiores, quantum meae vires valebant, emendatum accuratius exprimendum pararetur, ita mihi perigendum censui, ut textu codicis Senckenbergiani quasi pro fundamento posito compluria exemplaria, quae et in bibliothecis Gissensi et Gottingensi Altonanaque asservantur, conferrem et scripturae discrepantiam ad marginem libri enotarem.

Haec suffectura esse spero ad introducendum librum nomine quidem et fama viris doctis et nostratibus et externis diu notum.

Dabam Gissae d. XXI m. Maii anni 1857.

LIBER PRIMUS.

Ad N. T.

Quod per litteras a me petis, ut de mea peregrinatione ad te scribam, omnia ex animi voto contigissent, si tuo complexu frui potuissem, quem si semel nactus ero, nunquam me patiar a te divelli. Nam cum Adriatici [1]) maris littora post difficilem navigationem legissemus, Venetiam appulimus, omnium fere gentium vel potius [2]) orbis universi portum communem, quia non modo adspectu et hospitio peregrinorum Veneti delectantur, sed etiam illic summa cum libertate vivi potest; et cum caeteris civitatibus et regionibus civilia bella aut tyrannorum metus aut vectigalium acerbae exactiones aut studiorum cujusque [3]) molestissimae inquisitiones impendeant, haec sola propemodum civitas omnibus his servitutum generibus immunis et libera mihi videtur. Quo fit, ut illuc [4]) undique confluant, qui summa cum libertate ac tranquillitate [5]) vitam agere decreverunt, seu ad mercaturam seu ad opificia seu ad otia liberis hominibus digna animum adjungant. Percommode vero accidit, quod cum litteratos homines ac virtutis studiosos conquirerem, Paulum Coronaeum nactus sum, qui per omnes urbis angulos litterarum et antiquitatis monumenta omnia studiose investigabat seque litteratissimis hominibus et illos sibi arctissima societate sic conjunxerat, ut domus ejus sacrarium Musarum ac virtutum haberetur. Et quoniam corporis habitu admodum tenui ac viribus imbecillior erat, quam ut maris jactationes aut longas peregrinationes [6]) ferre posset, at incredibili desiderio teneretur, diversarum gentium linguas, studia, ingenia, mores, virtutes percipiendi, ac convictum domesticum adsciverat, homines peregrinos Fridericum Podamicum, Hieronymum Senamum, Diegum Toralbam, Antonium Curtium, Salomonem Barcassium [7]), Octavium Fagnolam [8]), qui tametsi bonarum artium instructissimi essent disciplinis, singulari tamen quisque scientia caeteris praestare videbantur. Cum autem in aedibus Coronaei simul habitarent, ex omnibus fere orbis regionibus si quid novum aut scitu dignum contigisset, facile ab amicis, quos Romae, Constantinopoli, Augustae, Hispali, Antwerpiae, Lutetiae conquisierant, litte-

1) Alius: Hadriatici. 2) Alius: totius. 3) Alius: cuique. 4) Alius: illic. 5) Alius addit: animi. 6) Alibi: peragrationes. 7) Alius: Barcassum. 8) Alius: Tagnolam.

rarum ope intelligebant. Nec vero solum urbanitate sermonis ac morum suavitate, verum etiam innocentia atque integritate tanta vivebant [1]), ut nemo tam sui similis quam omnes omnium viderentur; quippe nulla contentione verborum aut vincendi [2]) cupiditate, sed omnes studio discendi ferebantur, itaque omnes cogitationes ac studia ad verum decus traducebant. Illud autem optimum, quod Coronaei domus cum infinita librorum ac veterum monumentorum varietate ac copia, tum etiam instrumentorum seu ad musicam seu ad omnes artes mathematicas refertissima esset; nihil tamen rarius mihi visum est, quam pantotheca quadrata sex pedum. Divisio cujusque pedis in sex apothecas numerum ex quadrato triginta sex in se ducto conficiebat capsulas 1296. Senarium autem selegerat, quod is numerus solus inter reliquos [3]) perfectus esset ac latissime in universa natura pateret, non modo ad plurium animantium aetates, quae in hoc numero terminantur, verum etiam quod in tota natura sex corpora tantum sint perfecta, sex tantum colores simplices, sex sapores simplices, sex harmonici concentus, sex tantum metalla simplicia, sex locorum situs, sex etiam sensus cum sensu communi.

Pantothecam ex olea i. e. ex incorruptibili prope materia fabricari jusserat, ut mundi universitatem ejusque suppellectilem et omne instrumentum contineret. Principio imagines sexaginta [4]) inerrantium siderum, deinde planetarum, cometarum similiumque impressionum, elementorum, corporum, lapidum, metallorum, fossilium, stirpium, animantium quaeque nancisci poterat, ordine [5]) quaeque suo aptaverat. At quoniam stirpium et insectarum omnium forma exiguâ pantothecâ nec contineri nec haberi propter raritatem poterat, picturâ vel scripturâ vel genere quaeque suo capsulis denotabantur, ut rhinoceros, caper [6]) indicus hisque similia. Caetera vel inferri curaverat vel illata coëmerat.

Seorsim autem stirpes integras aut radices grandioribus chartis contentas habebat, sic tamen, ut particulam stirpium et animantium quaeque capsulae continerent, eo tamen ordine, ut extrema primis, media utrisque, omnia omnibus apta serie cohaererent, quippe terram inter et lapides argillam et cretam utriusque [7]) naturae media collocarat, inter aquam et adamantes crystallum, inter lapides et metalla pyritem sive [8]) marcasitharum genus, inter lapides et plantas corallium, inter animantes et stirpes ea quae zoophyta dicuntur, inter animantes aquatiles et terrestres amphibia, inter aquatilia et volatilia pisces volatiles, milvum inquam et loliginem, inter volatilia et terrestria bruta vespertilionem.

Sic autem compleverat pantothecam, ut sex coloribus simplicibus capsulae distinguerentur ad memoriam firmiorem [9]), et adversa luce ita collocarat, ut

---

1) Alibi: vigebant. 2) Alius: vivendi. 3) Alius: digitos. 4) Alii 48 aut 84; alius plane numerum non addit. 5) Alibi: genere. 6) Alius: cobras et ad marginem: cuber; alius: cabras. 7) Alibi: utrisque. 8) Alius legit: sed margaritarum genus inter etc. 9) Alibi: faciliorem.

omnia facile perspicerentur, nec enim ad angulos rectos dirigebatur, ne quid ex capsulis excideret, nec rursus in plano jacebat, quo minus lucis reciperet, sed hypotenusae [1]) modo innixa parieti species omnes eminus intuenti reducto velo proderet, ut [2]) temporis diuturnitate singula saepius legendo fideli memoriae commendarentur. Et quidem in eo tantum profecerat Coronaeus, ut omnes loculorum [3]) species animo comprehensas haberet: quae utilitas non modo in iis quae pantotheca continebantur, sed etiam in rebus omnibus quas audiret et legeret se ostentabat [4]). Neque enim scribendo vel loquendo tempus terebat, ne tantundem de valetudine detraheret, sed audiendo, disserendo, meditando judicii vim acerrime sibi comparaverat; et cum cibum caperet, aderat anagnostes, qui tantisper aliquid legeret, dum fames et sitis commodius jucundiusque expleretur nec [5]) ullis sermonibus obrueretur. Neque vero Peripateticorum in morem [6]) ambulando disserebatur, quia corporis motum judicio ac memoriae officere putabat, nec Stoicorum qui stantes disputabant, quod diu sine taedio et articularis morbi periculo fieri posse negabat, nec Academicorum cubantium more, quod mollitiem ac somnum exciret [7]), sed sedendo. Me vero anagnostem inter domesticos asciverat, Romanorum morem secutus, qui etiam inter epulas lectionibus [8]) rerum memorabilium animos una cum corporibus pascebant. Sed cum Romani [9]) non satis accurate rem propositam eodem momento definirent, Coronaeus in sequentem diem, si quid difficilius occurreret, quaestionem differebat, ne quis imparatus sententiam eam diceret, a [10]) qua discedere incongruum [11]) arbitraretur. Ipse vero compendiosissimis notis, ut olium [12]) ταχύγραφοι, omnia [13]) fere excipiebam et excepta seorsim describere solebam, quod cum aliquamdiu [14]) fecissem, multas de natura quaestiones, multas etiam de mathematicis, de legum praestantia, de optimo genere civitatis, de medicina, de fide historiarum collegi. Nulla tamen disputatio uberior aut argumenti praestantia dignior mihi visa est, quam quae ab Octavii navigatione initium duxit.

Cum enim Coronaeus ad coenam una cum iis quos diximus consedisset et ego [15]) Phaedonem Platonis, quem antea legere coeperam, persequi jussus eum locum attigissem, quo Socrates Aegyptiorum cadavera tanto artificio condita fuisse diceret, ut incredibile tempus a putredine vindicarentur, Octavius petiit a Coronaeo, ut locum relegerem, quod a me factum est. Nam consequentia aeque ac praecedentia [16]) pertinent [17]) ad immortalium animorum vim ac potestatem, de quibus copiose ab illius superioribus diebus disputatum erat. Hic igitur CORONAEUS: Non satis, inquit, de animorum immortalitate nobis disseruisse videmur?

---

1) Alius: hypothemati. 2) Alibi: et. 3) Alius: locorum. 4) Alibi: ostendebat. 5) Desunt haec proxima verba in alio codice. 6) Alius: in modum. 7) Alius: afferret. 8) Alibi: lectione. 9) Unus: amici. 10) Alius: aut. 11) Alius: congruum. 12) Alibi: quondam. 13) Alibi: verba. 14) Alius: aliquando. 15) Duo haec verba desunt in aliis codicibus. 16) Alibi: antecedentia. 17) Deest in uno codice, sine dubio per lapsum manus vel memoriae.

Plus, inquit SALOMO, quam satis est inter nos ipsos, quibus etiamsi nullae demonstrationes exstarent, persuasa jam pridem est immortalitas animorum et sempiterna bonis praemia, supplicia sceleratis decreta.

Ego vero, inquit TORALBA, utilissimum duco, perspicuas [1]) omnium rerum et earum praecipue, quae ad pietatem pertinent, demonstrationes exquirere, ne ab Epicuraeis rerum divinarum irrisionibus [2]) imparati offendamur.

Tum SENAMUS: Multos Deorum contemptores, plures etiam qui nihil a belluis nisi figura differunt [3]), Epicureum tamen adhuc reperi neminem, i. e. qui Deos nulla praemiorum spe religiose coleret, qui frugalissime ac temperatissime viveret [4]), qui continentiam, justitiam, fidem, morum integritatem, ut Epicurus, amplecteretur [5]) mortales tamen animos crederet, nec ullum ab immortali Deo negotium cuiquam impendere arbitraretur, qui demum [6]) summum hominis extremumque bonum non in corporis voluptatibus, sed in animi excelsi tranquillitate collocaret serena.

Tum TORALBA: Demus Epicurum his omnibus virtutibus excelluisse, quid tamen illi profuerunt, cum divini numinis metum et venerationem quasi securi quadam a radice amputaret? Nam sublata praemiorum spe, sublata numinis ac poenarum metu, hominum inter homines societas nulla stare potest; quis enim fidei et [7]) justitiae locus esse potest apud eos, qui nihil nisi testem aut judicium metuant? Fuit itaque in Epicuro ficta opinio integritatis, cum adversus Deum immortalem tam injustus esset [8]), ut omnem illi justitiam eriperet, i. e. praemiorum ac poenarum potestatem, neque enim aliam ob causam libros de religione [9]) scripsit, quam ut Diagorae ac Protagorae poenas effugeret.

Tum SENAMUS: Quid est igitur, quamobrem ab aliis sectarum generibus ad Epicureos plerique deficiant, ab Epicureis tamen ad alias nulli redeant?

[10]) CORONAEUS: Non magis mirum videri debet, quam ex viris castratos quidem posse, sed ex castrato virum fieri neminem, ut a pudicitia molles sunt et faciles aditus ad impudicitiam, reditus vero ad pudicitiam omnes interclusi [11]) obsidentur [12]).

Tum [13]) OCTAVIUS: Meminisse juvat periculorum praeteritorum, ac Neptunum procul a terra spectare furentem [14]), ut ab hominis istius teterrimi cogitatione quam longissime discedamus, nam

me tabula sacer
Votiva paries indicat humida
suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo [15]),

1) Alius: perspicuitatem. 2) Alius: irrisoribus. 3) Alius: differrent. 4) Laertius in Epicurum; Seneca in epistolis passim. 5) Alius: amplexaretur. 6) Alius: denique. 7) Alius: aut. 8) Alius: est. 9) Alius: religionibus. 10) Alius addit: Tum. 11) Alius: reclusi. 12) Deest in alio codice. 13) Alius: Posthaec. 14) Horatii Epist. I, 1. 15) Horatii Carm. Od. I, 5.

ut lyricus ille scribit. Quae enim [1]) ex Phaedone Platonis mox legit anagnostes, recordationem mihi excitarunt periculosissimae navigationis, quam nisi molestum esset, libenter vobis enarrarem.

CORONAEUS: Quis non libenter Octavium audiret?

[2]) OCTAVIUS: Cum in Aegypto urbem Cairam, quam incolae a civium multitudine et urbis magnitudine gallinam incubantem interpretantur, et circa urbem pyramides antiquas lustrarem, Genevensis quidam empiricus, quem mihi socium adjunxeram, persuasit, ut Amomiam [3]) legeremus; sic enim appellabat Aegypti cadavera, quae antiquitus amomo, cardamomo, sala, aceto, melle, myrrha, aloë, nardo, cassia [4]), resina caeterisque id genus venenis a putredine vindicantibus condita et macerata diu fuissent, quorum cadaverum tantam vim subesse affirmabat [5]), ut morbis fere omnibus mederentur. Ego tametsi hominibus empiricis dubia fide assentior [6]), ei tamen acquievi et uterque utriusque ope inter pyramides, quam plurimis erutis sepulcris, cadaver obvoiutum corio bubulo detraximus. Sub corium innumerabiles fasciolae densissimisque lini replicationibus singulae singulis adjunctae, nec ulla sui [7]) parte detritae, inauratam cutim contegebant; aurum enim, ut minime ignoratis, a corruptione non cadavera modo, sed etiam ligna, metalla caeteraque diutissime tuetur. Caro ipsa cum cute flavescens ac fusca e duritie ac hypostasi videbatur, qua saccharum vetus Creticum: interiora visceribus exenteratis siccissima et in cordis sede imago lapidea insculpta, nomine Isidis, Aegypti quondam reginae, cujus sepulcrum est in urbe Nysa superioris Arabiae et in marmorea columna [8]) hoc epitaphium insculptum [9]):

Ego Isis sum Aegypti regina
   A Mercurio [10]) erudita;
Quae ego legibus statui,
   Nemo solvet;
Ego sum mater [11]) Osiridis,
Ego sum prima frugum inventrix,
Ego sum Hori [12]) regis mater;
Ego sum in astris canis refulgens;
Mihi Bubastis urbs condita est.
Gaude, gaude Aegypte,
Quae me nutristi!

Sacra Isidis abrogata sunt, ni fallor, Constantini Magni dominatu, ex quo constat, cadaver illud ante MCCC annos conditum fuisse, et fieri potest, ut ante annorum duo triave millia sepultum fuerit. Erat autem virile cadaver et plane inodorum ob nimiam siccitatem. Nam muliebria cadavera foetorem ac putredinem

---

1) Alius: etiam. 2) Alius addit: Tum. 3) Alius: Ammoniam. 4) Alius: Caesia. 5) Alibi: inesse confirmabat. 6) Alibi: assentiam. 7) Alius: sua. 8) Alius: tabula. 9) Alius: inscriptum. 10) Herme scilicet trismegisto. 11) Mulier s. uxor. 12) Alius: Ori.

contrahere potuissent [1]), tum quia foeminarum adeps et pulpa plenior ac humidior est, tum etiam quod virginum ac mulierum, quae senecta nondum contabuerant cadavera, non ante triduum pollinctoribus et pharmacopolis permittebantur [2]), ne stuprum cadaveribus inferrent, ut quidem apud Herodotum legistis.

SALOMO: Incredibilis ista libido mihi videtur.

CORONAEUS: Pleraque apud Herodotum fabulosa leguntur, quae Plutarcho adversus eum [3]) scribendi occasionem praebuerunt.

FRIDERICUS: Cum a sceleribus istiusmodi abhorreamus [4]), incredibilia putamus, quae temporis diuturnitas verissima comprobavit. Ac ne longius [5]) ab hac urbe progrediamur, Malatesta nescio quis princeps Ariminensium avorum memoria nobilem cujusdam Germani comitis uxorem, cum religione obligata Romam iter haberet, hospitio excepit, sed cum oblato illi stupro nullis blanditiarum illecebris, nulla vi adhibita pudicitiam eripere potuisset, gladio crudelissime jugulum clausit, ut quam in vivente non poterat, in truncato et quidem cruento cadavere [6]) libidinem satiaret.

CURTIUS: Non in Aegypto aut in Italia tanti sceleris immanitas resedit, sed in Galliam usque pervasit. Ipse quidem vidi Tholosae chirurgum, qui in cadavere mulieris, peste mortuae, dicebatur nefariam libidinem explevisse καὶ ἄρθρα ἐν ἄρθροις ἔχων, ut jurisconsulti verbis utamur, deprehensus flammis ultricibus stupente populo addictus fuisse, quae quidem Herodoti scripta satis confirmare videntur.

SENAMUS: Plutarchus patriae decus ac dignitatem, quam Herodotus acerbe sugillarat [7]), cum tueri vellet, Herodotum contumeliose accepit [8]), qui tamen a M. Tullio historiarum [9]) parens est appellatus. Et quidem ea quae apud Herodotum plerisque fabulosa videbantur, temporis diuturnitas verissima comprobavit, ut quae de lycanthropia Nerviorum deque ventorum eruptione [10]) etiamnum hac aetate usitata comperiuntur, quae itidem de maritandis puellis, ut ex formosarum pretio deformes dotari possint, translatum est in potentissimam ac florentissimam rempublicam Sinarum.

CORONAEUS: Audiamus igitur Octavium caetera persequentem.

OCTAVIUS: Vobis cadaver ipsum ex istis [11]) sepulcris erutum obtulissem, [12]) si mihi per Tritonios daemones licuisset. Cum enim domum cadaver importari curavissem et in arcam quasi palladium surreptum condidissem, Pistacus mercator, qui onusta nave ventorum opportunitatem in Alexandriae portu exspectabat, quo quidem me receperam, ut in Italiam post diuturnas peregrinationes redirem, vectores acciri jussit, ut vela facerent spirante Vulturno. Ego repente arcam in navim; et quia navigium erat capacissimum, magnam nautarum et vectorum multitudinem admisit. Est enim, ut scitis, Alexandriae

---

1) Alius: contrahunt facilius. 2) Alius: promittebantur. 3) Alius: Herodotum. 4) Vide Joh. Pontanum Bandellum. 5) Alius: Ne longe. 6) Alius: corpore. 7) Alius: jugularat. 8) Alius: excepit. 9) Alibi: historiae. 10) Alius: emptione. 11) Alius: ipsis. 12) Pro sequentibus alius ita legit: et in arcam quasi Palladium surreptum condidissem, Pistacus etc.

civitas populosissima et mercatorum peregrinorum multitudine abundantissima. Cum portu solveremus, flabat Vulturnus, quem Graeci Euronotum, ni fallor, Aegyptii Syrochum a Syria, unde spirat, Horatius [1]) album Notum vocat, illamque serenitatem nobis invexit, quam ille describit hoc versu:

Albus ut obscuro detergit nubila coelo
Saepe Notus

qui ab Homero eodem sensu ἀργέστης vocatur,

CURTIUS: Idem tamen Argestes [2]) nostras Galliae Narbonensis regiones tanta vi quatit, ut saxa volvere, silvas et domos eruere consueverit, quem incolae etiamnum Albanum vocant, eodem quo a majoribus nostris nomine appellatum fuisse scribit Plinius.

OCTAVIUS: At vim ejus venti principio leniorem ita progressu temporis percipimus vehementiorem, sed cum longius ab omnibus littoribus abessemus, Circius inter Coros omnes rapidissimus, qui ob id ab Homero ἀργέστης δυσαῆς [3]) appellatur, Vulturno plane contrarius tempestatem excitavit, unde commoti fluctus tanto impetu latera navis quatere inceperunt, ut contractis velis jacturam [4]) facere cogeremur mercium graviorum. Jam procella diem noctemque navigium afflixerat, cum desituram nautae sperarent, quia tempestatem validiorem eo spatio finiri, rarissime biduum, nunquam triduum excedere affirmabant; multo violentius tamen quam antea fluctus intumuerant, contrario flatu conspirantibus ventis.

SENAMUS: Didiceram ab Aristotele [5]), ventos impetu contrario simul numquam spirare.

OCTAVIUS: Hoc forsitan Aristoteles scripsit in umbra Lycei, non in scholis nautarum, qui gravissimas procellas non aliter quam contrario ventorum flatu cieri tradunt. Hinc [6]) illa Maronis:

Una Eurus Notusque ruunt creberque procellis
Africus;

Item Horatii:

Nec timuit praecipitem Africum
decertantem Aquilonibus;

Item Virgilii:

Luctantes ventos tempestatesque sonoras;

Nec aliter Homerus Africum et Aquilonem conspirantes facit:

ὡς δ' ἄνεμοι δύο πόντον ὀρίνετον ἰχθυόεντα,
βορέης καὶ ζέφυρος [7]).

Quae cum satis intelligeret nauclerus, qui nos antea forti animo meliora sperare jusserat [8]), attonitus et, ut ait ille,

Victus violento navita Coro.

---

1) Horatii Od. I, 7. 2) Sequentia haec quinque verba desunt in alio codice. 3) Eustathius in Odyss. lib. 3. 4) Alius: jactum. 5) Aristoteles, in problem. Sect. de ventis. 6) Alius: Secundum. 7) Homeri Il. X, vs. 4. 8) Alius: jussit.

omnes ad vacuandam navim compulit, quae continuis fluctibus complebatur. Cum autem vehementi jactatione fracta corpora laborem refugerent, jactis anchoris, unumquemque ad preces divinas gemebunda oratione excitavit. Qua voce exaudita quidam Florentinus Catharinam Senensem, alius virginem Lauretanam, huic civitati notissimam, plerique Nicolaum, alii Clementem appellare, nonnulli vero lugubri voce canere: „Ave maris stella" etc., Graeci mercatores vulgari sermone σῶσον ἡμᾶς κύριε, ἐλέησον ἡμᾶς, εἰσάκουσον δέσποτα, Judaei suum שְׁמַע אֲדֹנָי saepius ingeminabant, Ismaëlitae Alexandrini: Ejuche nahbudu, alla, alla, alla, malah, ressulala [1]). Venetus quidam sacrificus in cista vitrea circulari hostiam consecratam flexis genibus e sinu extollens, inquit:

O salutaris hostia,
Quae coeli pandis ostia [2]).

Caetera nostis. Calaber nescio quis clara voce erumpens: A te solo, a te ô dio peccato habbiamo, il soccorso non gia della creatura, ma del grand dio: habia pietado [3]) iddio di noi mortali ciechi. Massiliensis [4]) mercator:

L' esprit, si Dieu le mande,
Souffle tempestueux,
Et s' enfle en la mer grande
Le flot [5]) impetueux;
Mais si a-t-il besoin,
Crians à Dieu lamentent,
Subit il les met loin
Des maux qui les tourmentent,
Fait au vent de tempeste
Sa fureur appaiser,
Fait que la mer s' arreste,
Fait les ondes cesser,

et caetera, quae non memini. Ego cum vota in periculis adeundis semper efficacissima fuisse intellexeram, in ora procumbens ab [6]) immortali Deo veniam flagitiorum precatus, votum feci, si periculis ereptus in portum incolumis invaderem, diem illum annua festivitate me consecraturum. At Hispanus miles ingenti fluctu madefactus Deum consuetis Hispanorum contumeliis nefarie execrabatur: In despecho etc. Non dicam caetera: malgrado etc. pere etc. et: à la virgen sa madre; postremum illud subjecit: no es poderio che sia comparado à el diabolo, insanum carmen illud cogitans:

Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.

Quae scelera cum audiisset mercator quidam, ira motus nauclerum compellavit, ut tantam impietatem maledici supplicio ac jactu vindicaret, alioqui futurum ut omnes ob unius flagitia perirent.

---

1) Alius Codex: eiache nohbuem, eiache nostinu, allah; alius: ill alah resullala. 2) Alius: ostium. 3) Alius: pietà. 4) Alius: Massal ensis. 5) Alius: les flots. 6) Alius: et.

SALOMO: Veteres oborta tempestate, si precibus sedari non posset, sorte jacta demergebant eum, in quem sors cecidisset. Sic enim vate Jona demerso, cui sors obtigerat, tempestates repente conquieverunt; idem futurum fuisse de Hispano opinor tot ac tantas contumelias in Deum evomente, atque utinam mos ille in usum revocaretur; sed quoniam sors in potentissimum saepius, nunquam tamen nisi [1]) in meritum [2]) cadebat, qui suorum satellitio stipatus sacrarum sortium fidem eluderet, ideo [3]) sortes nauticae desierunt. Sic tamen confirmo nisi suo scelere periturum neminem, quin etiam saepe fit, ut unius integritas reliquos a praestantibus periculis eripiat, aut solus a naufragiis, ab incendio, a popularibus morbis eripiatur.

OCTAVIUS: Cum frustra preces fudisse videremur, bonus genius nauclerum impulit, ut Aegyptia cadavera, si quae in navim invecta essent, demergi juberet, capitis indicta poena. Hoc ego [4]) edicto perterritus et ipsa noctis caligine tectus cadaver de arca detractum in mare dejeci, sed ita ut nemo senserit. Derepente ventorum vis conquievit ac secundis ventis salvi in Cretam pervenimus. Hic venerabili [5]) canitie senex expansis ad coelum manibus, immortali Deo gratias agens, caeteros suo exemplo impulit ad laudes divinas. Nos vero voti memores hoc dithyrambo lusimus:

Nunc effunde Deo carmina suavibus
Linguis ô sacra, qui [6]) littora fluctibus
Ereptus gracili succutiens pede,
Miraris fremitus aequoris ardui.
Vos impura procul numina cedite.
Praestanti maris ac terribili Deo
Qui suprema ferit sidera vertice,
Qui moles aqueas sustinet in globum
Suspensas liquida materia . . . . . .
Constringente sinu pondera terrea
Conspirant Zephyri Corus [7]) et Africus
Vulturnique leves et gravis imbribus
Auster qui rabidis flatibus undique
Tempestatis ab imo rapidae [8]) vado
Tetram colluviem crebrius excitant.
Tunc [9]) immane strepens et gemitu gravi
Auras [10]) verberat et fervida confluit
In naves aqua nautis trepidantibus.
Sed si quis metuens Te precibus sacris
O ter magne Parens aequoris invocet,

---

1) Deest, ut videtur, raro. 2) Alius: merentem. 3) Alius: ob id. 4) Alius: enim....dejecit. 5) Alius: venerabilis. 6) Alius: per. 7) Alius: Eurus. 8) Alius: stupida. 9) Alius: Tum. 10) Alius: Aures.

Extemplo revocans Halcyonum quiem [1])
Nautas incolumes littore collocat
Qui claris geminant cantica laudibus.

SALOMO: O si periculis erepti omnes in hunc modum immortali Deo gratias agerent! Sed ingratorum spes tabescet, ut divinissime scriptum est a sapientiae magistro.

OCTAVIUS: Ego senem illum, qui diuturno navigandi usu caeteris prudentia mihi praestare videbatur, rogavi, cur nauclerus Aegyptia cadavera [2]), si qua illa [3]) fuissent, immergi jussisset? Illud mihi reposuit, cadaverum Aegyptiorum vectura tempestates semper cieri, cujus rei fidem toties exploratam asseverabat, ut nauticis Aegyptiorum legibus cadavera transvehi sanctissime prohiberentur; eum [4]) enim, qui contra faceret, mercium jacturam et omnia detrimenta mercatoribus dependere solitum. Qua re intellecta flagitii conscius tacendum hactenus mihi putavi, ne quis a me reposceret detrimenta accepta.

CORONAEUS: Hujus navigationis historia non modo grata, sed etiam perutilis mihi videtur, et quae dicendi materiam nobis, si nullam haberemus, abunde suppeditaret. Primum, cur ab Aegyptiis cadaveribus procellae oriantur, cum aliis alio transvectis cadaveribus nihil tale contingat? Haud tamen scio, an sepulcro violato in alienis cadaveribus idem futurum sit. Deinde, an daemonum ope maria commoveantur? an vero ab exspirationibus, ut physici tradunt. Postremo, cujus precibus in tanta religionum varietate navim incolumem Deus in portu collocavit?

Sic [5]) omnes conticuere, et cum caeteri Toralbam intuerentur, quod esset in physicis accuratissime versatus, nihil tamen ausus est in rebus tam arduis.

Sed CORONAEUS, rupto silentio: Satis est, inquit, ea proposuisse, de quibus crastina die disputaturi sumus, ut, quod in aliis quaestionibus a nobis fieri consuevit, paratiores redeamus. Caeteris annuentibus evocati pueri, divinarum laudum suavissima modulatione fidibus, fistulis ac vocibus erudite confusa, ut moris erat, uniuscujusque animos demulserunt, quibus peractis accepta quisque abeundi venia discessere.

LIBER SECUNDUS.

Postera die redeuntes, cum humanissime se consalutassent et [6]) quod quisque didicerat colloquio contulissent, paulo post laeti [7]) consederunt. Hic CORONAEUS litteras quas a Corcyraeo mercatore acceperat mihi pro Phaedone

1) Alius: quies. 2) Alius: corpora. 3) Alius: si quae illata. 4) Alius: is . . . sollicitaretur. 5) Alibi: Hic. 6) Sequentia haec sex verba in alio codice desunt. 7) Deest in alio codice.

legendas dedit, quibus ea continebantur, quae Constantinopoli gesta fuerant in circumcisione primogeniti Turcarum regis, qui principum, qui legatorum conventus, quae frequentia peregrinorum, qualis pompa ludorum Circensium, quae convivia, quae largitiones, quantus rerum omnium apparatus et quo quaequae ordine gesta fuissent. Et quoniam admirabilia videbantur ac prope incredibilia, nisi acta essent in theatro ac conspectu tantae hominum multitudinis, quanta unquam in illa urbe fuisse memoratur, jussit CORONAEUS ea relegere, quae maxime ad mirabilitatem facerent, scilicet funambulorum alacritatem et audaciam, qui semper funes ab altissimis pinnaculorum summitatibus aptatos ac distentos levissime currerent ac saltarent. Item equitis illius, qui soleas ferreas pedum ejusdem equi posteriorum quo vehebatur pernicissime currentis a tergo sagitta transfigeret; item ejus, qui erectus in pedes super duorum equorum rapidissime currentium sellas [1]) ferebatur. Item, ut duo equites super sellas duorum equorum stantes in pedes erectum gestarent alium sagitta ferientem tantisper, dum equi, in quibus stabant, incitatissimo cursu raperentur. Item, ut alius trabem ferream ictu vehementi ad tibias nudas adjecto [2]) rumperet sine cruore ac livore, ut etiam soleas ferreas equorum manibus frangeret ac partes ruptas dentibus dissecaret, ut etiam jacenti trabes ingentes brachiis supponerentur et super incude ferrea superposita pectori malleis gravissimis tunderent, nihilosecius tamen omnibus renitentibus levissime resurgeret, ac pleraque his similia litterae complectabantur, quae pridie Idus Iulias datae fuerunt Corcyrae et Idibus allatae Venetiam, quae a Corcyra milliaribus circiter CCL distat [3]).

Hic FRIDERICUS: Oportuit igitur, inquit, horis singulis navigium decem milliaria percurrere.

CURTIUS: Illud spatium horis singulis Euro spirante confici posse non dubito, si modo actuaria [4]) navis aut myoparo pluribus velis incitaretur, qualibus utuntur Piratae, cum naves onerarias insequuntur [5]).

SENAMUS: Non satis compertum habeo, quo quaeque temporis spatio navis decurrat; illud tamen constat, Pauli Aemilii [6]) victoriam de Perseo Rege [7]) adeptam in Macedonia quarto post die divulgatam Romae fuisse ludis theatralibus, auctore tamen incerto. Consimilis victoria Romanorum ad Sagram [8]) fluvium eodem die in Peloponneso praedicabatur. Aliud autem praelium adversus Medos ad [9]) Mycalem Asiae superioris urbem scitum est eodem die in castris Graecorum ad Plataeas. Item imperante Domitiano fama Romam perlata est, Antonium qui contra Domitianum arma ceperat, eo ipso die quo fractus ac caesus est, in Germania victum fuisse, tametsi ab urbe abesset

---

1) In codicibus: soleas. 2) Alius: advecto. 3) Alius: quia Corcyra milliaribus circiter CCL, ita ut desint quaedam ad sensum. 4) Alius: vectuaria. 5) Cf. Cic. Verr. I, 34. [N.] 6) Plutarchus, Aemilius p. 286. 7) Alii: Persio regio vel Persiae rege. 8) Codices: Sayram, sine dubio falsissime. Sagra autem erat nomen fluminis inter Locros et Caulonem, Bruttias urbes, siti. [N.] 9) Alius: ante.

milliaribus MMCCCC, et eodem momento, quo Romani Tarquinios ac Latinos ingenti praelio fuderant, id ipsum Romam perlatum est, auctore incerto.

FRIDERICUS: Haec antiquis mirabilia visa sunt, cum tamen nihil frequentius magorum ope ac daemonum fieri soleat, qui etiam in speculis arte magica conflatis vel punctis ea, quae toto terrarum orbe geruntur, spectanda proponunt. Alii canes emissarios habent, qui omnia dicta, facta, gesta, victorias, offensiones denunciant humano sermone, qualem habuisse Cornelium Agrippam Wierus discipulus [1]) ac Paulus Jovius scripsere, quem etiam hero mortuo frequens hominum multitudo in flumen Rhodanum nulla vi adactum demergi vidit.

SENAMUS: Hujusmodi canem loquacem educarat Franciscus [2]) Senensis, qui avorum memoria populo Romano spectante ac sermonem canis audiente flammis est exustus.

FRIDERICUS: Multa quidem incredibilia putantur, quibus tamen nihil usitatius. Ad extremas Aquilonis oras homines scilicet quasi volucres mirabili celeritate remotissimas regiones obire, ut de Apollonio Tyanaeo Philostratus scribit [3]), ab ultima Aethiopia et Nili fontibus Romam brevi transvolatum [4]). Idem Plutarchus de Romulo [5]), de Aristaeo Proconnesio, de Cleomede Astypalaeio, ac Hugo Floriacensis [6]) de comite Matisconensi. Plenus est Sprengerus, pleni Olaus Magnus ac [7]) Paulus Grilandus, Sylvester Prierias, Molitor, Wierus consimilium in aëre sublimi transvectionum narrationibus, quae non modo theologorum decretis [8]), sed etiam legibus divinis et humanis confirmantur. Et quidem Plato libro secundo de legibus cum poenas in eosdem decerneret, qui sceleratis magorum artibus uterentur, ab illis incredibilia fieri scribit, quae tamen ut [9]) certissima confirmat Apulejus et [10]) ipsae [11]) magicae artis sive impietatis reus ac propterea publico judicio postulatus. Minus, inquit, calles pravissimis opinionibus ea putari mendacia, quae vel auditu nova vel visu rudia vel supra captum cogitationis ardua videntur. Quae si paullo accuratius contemplaris [12]), non modo comperta evidentia, sed etiam factu facilia senties. Idem paulo post: Prius, inquit, dejerabo solum istum videntem Deum, me vera et comperta narrare ne ulterius dubitetis. Ex quibus intelligitur, ea quae nec a natura, nec ab humanis viribus proficiscuntur, divina aut daemonum ope exerceri.

SENAMUS: Volatiles illos nuncios optavi saepe videre, qui sine ullis equis aut navigiis immensas [13]) regiones momento transvolarent.

CURTIUS: Memini Petrum Corsum, cum auxiliares copias una cum Vinea Francorum legato peteret a rege Turcarum, speculum habuisse, in quo

---

1) Deest in uno codice. 2) Alius: Francisca ... quae ... exusta. 3) Alius: scripsit. 4) Alius: transvectum. 5) Plutarchus, in Romulo 1, 4. 6) Malleus malefic. P. II, qu. 1. cp. 3. p. 250 sqq. Fd. Francof. 1588. 7) Deest in alio cod. 8) Augustinus l. 10. de Civit. Dei. 9) Deest in alio codice; alius habet: et. 10) Deest in alio codice. 11) Alius: ipse. 12) Alius: explorantur. 13) Alius: in magnas.

quidem uxorem Massiliae cum adulteris ex urbe Constantinopoli moechantem [1]) videbat, et adultera vicissim maritum in speculo contuebatur, quem cum portu solveret ac pridie quam Massiliam appelleret redeuntem perinde aspiciebat, ac [2]) si praesens adfuisset. Sed antequam rediret maritus, sui sceleris conscia fugit Antipolim, quo maritus illam persecutus una cum liberis adulterio quaesitis et ancilla contrucidavit. Recens est [3]) ac toti provinciae notissima historia, nec absimile est, quod iisdem fere temporibus ad Aquas Sextias ejusdem [4]) provinciae contigit. Cum enim Guarinus fiscalis advocatus discederet ab uxore, ut capitis causam diceret in Senatu Parisiorum, pollicitus est uxori, suam se necem, cum moreretur, renunciaturum. Eo die quo carnifex gulam illi fregit, uxor in palma dextrae manus imaginem mariti leviter expressam pluribus [5]) praebuit spectandam. Cujus portenti Grignanus provinciae praeses Henricum II. [6]) Franciae regem fecit certiorem.

FRIDERICUS: Eo pertinet illud, quod Thomas Aquinas scribit, necromantiae genus esse, si quis a moribundo stipuletur, ut se mortuo denunciet, quo in statu sit futurus.

SENAMUS: Optandum quidem esset illud, ut in libris catoptricis earum rerum demonstrationes [7]) exstarent.

CURTIUS: Rerum gestarum historia sensibus ipsis nititur, i. e. ὅτι ἐστὶ, sed causarum demonstratio, scilicet τὸ διότι, altius est ab intimis philosophiae arcanis repetenda. Mihi tamen videtur memorabilius his omnibus, quae literis ipsis Corcyraeis continentur, id quod a Suetonio Tranquillo, Plinio, Dione Cassio, Xiphilino memoriae proditum est, notissimum Romanum equitem in publicis ludis spectante populi [8]) corona per catadromum decurrisse insidentem elephanto. Catadromum interpretatur Xiphilinus funem ex altissimis turrium pinnaculis extentum [9]). Maxime tamen attonitus est populus Romanus, descendente [10]) per funem elephanto, ut Plinius scribit. Hinc veteribus funambuli elephantes, quibus nihil admirabilius fieri potest.

CORONAEUS: Causas earum rerum arduas et in abditis naturae arcanis latentes aut Toralbam nobis explicaturum aut video [11]) neminem.

Hic TORALBA, mista pudore modestia: Nae, inquit, ineptus sum [12]), si agnoscam eas laudes, quas mihi Coronaeus injuria tribuit, quanquam si arcana naturae tenerem, quae Coronaeus abdita esse fatetur [13]), eas tamen quaestiones physici dissolvere non esset, qui tantum ea, quae in natura posita sunt, intuetur. Daemonum autem et angelorum actiones scrutari ad physica mihi pertinere non videntur, sed eos qui τὰ μετὰ φυσικὰ conqui-

---

1) Alius: morantem. 2) Alius: ut. 3) Deest in alio codice. 4) Alius: ejus. 5) Alius: quampluribus. 6) Alius: X. 7) Alius: rationes. 8) Alius addit: Romani. 9) Alibi: extensum. 10) Alius: descenso. 11) Alius: vides. 12) Alius: sim. 13) Alius: confitetur.

runt, cum a divina pendeant voluntate aut impulsu ac potestate daemonum geri planum [1]) sit. Sed cum Fridericus, mathematicarum disciplinarum praestantia clarus, ea quae sunt artibus magorum comprehensa studiose legerit, ut quidem ex ejus disputationibus saepius audistis, non video quis melius ac certius earum rerum nobis aperire causas, quam ipse, possit, modo velit.

FRIDERICUS: Saepe jurisconsultis jure succenseo, qui principia legitima scientia quam profitentur hujusmodi providere: Error jus facit, licet se invicem decipere, jus esse etiam cum praetor inique decernit. Sed nunquam justius illis iratus sum, quam quod mathematices et magiae i. e. sapientiae divinae nomina foedissimis ac facinorosissimis hominibus concedant. Est enim titulus in Codice Justiniani Augusti de maleficis et mathematicis, et utrique eadem scelerum [2]) immanitate aut impietate damnati, quo quid iniquius fieri potest?

CURTIUS: Hanc jurisprudentiam, quam profitemur ac tuemur, Fridericus sugillare consuevit, quod in mathematicorum [3]) perspicuis ac certissimis demonstrationibus educatus cum ab Euclide ad Accursium delabitur, a luce clarissima in atram caliginem et labyrinthum [4]) errorum inexplicabilem delapsus sibi esse videtur. Toralbam quoque saepe audistis hanc legitimam scientiam aspernari, qui ita se comparavit ad veri cognitionem, ut nec falsum dicere nec audire possit, quod usu venit his, qui omnem animorum caliginem perspicuis rationibus [5]) absterserunt; sed quemadmodum nutrices cum infantibus balbutire solent, ita legislatores cum plebe saepius errare necesse est. Cum enim Chaldaei magiam i. e. rerum divinarum ac sublimium scientiam ad foedissimam cum daemonibus societatem traduxissent, errore populari factum est, ut Chaldaei, magi et mathematici pro maleficis usurparentur. Sed omissa verborum subtilitate rem teneamus.

SENAMUS: Libenter audirem, sive magum sive maleficum appellare licet, de sua scientia disputantem, quia vix alius ea capere possit, quam qui re ipsa sit expertus.

FRIDERICUS: Periculum est, ne idem tibi contingeret, Sename, quod non ita pridem legato Pontificis Clementis [6]) accidisse narrat Sylvester Prierias. Cum enim sagarum multitudinem carceribus contineret, quae solitas per aëra transvectiones ac [7]) foedissimas cum daemonibus copulationes, saltationes, epulas, adorationes daemonum confiterentur, quae physici ac medici ludibria dementium esse affirmabant, judex ipse cum vicario quaestionum impietatis collega periculum facere decrevit, pacta impunitate uni sagarum, quae [8]) in locum a daemonibus designatum illos deduxisset. Locus erat urbi proximus; eo igitur a saga deducti, paulo remotius ramis arborum contecti delituerunt.

---

1) Alius: palam. 2) Alius: sceleris. 3) Alibi: mathematica. 4) Alius: labyrinthos .... inexplicabiles. 5) Alius: canonibus. 6) Alius: Comensis. 7) Haec sequentia quinque verba desunt in alio codice. 8) Alibi: si.

Sub mediam fere noctem conventum advolantis utriusque sexus multitudinis et quasi e nubibus delapsarum avium intuentur et ea geri vident, quae ab eis gesta verissime narraverant. Postea vero quum adoratis daemonibus venena tum animantibus tum frugibus perimendis consueto more accepissent, nec amplius quid [1]) restaret quam δήμου ἄφεσις, ut Apulejus loquitur, princeps illius concionis legatum illum Pontificis Clementis [2]) una cum vicario acciri mandavit, quod adyta [3]) sagarum temerare et sacra profanis oculis intueri non erubuissent. Itaque e latebris in concionem protracti et contumeliis omnibus affecti, ad extremum etiam tot et tantis fustium ictibus caesi et trucidati fuerunt, ut domum aegre redeuntes octavo [4]) post die exspirarent.

CORONAEUS: Memini, cum ad urbem de inopinato eorum casu allatum est, Pontifex Clemens [5]) rem, uti gesta fuerat, divulgari jussit, ne quis postea tam incredulus esset, ut dubitare, aut tam impius, ut periculum facere auderet.

CURTIUS: Certe quidem incredibili antea desiderio captus sum, sagarum transvectiones et conventus cum daemonibus his oculis intueri; sed cum hujus argumenti scripta omnia veterum Graecorum et Latinorum legumque divinarum et humanarum [6]) ab ultima antiquitate repetitarum cum nostrorum sortilegorum historiis, indiciis, confessionibus et hujusmodi societatis compositionibus [7]) testium [8]) contulissem, tum certe assentiri necesse habui ὅτι ἐστὶ, nec tanto capitis mei periculo experiendum putavi [9]), vera essent nec ne, quae vulgo ferebantur, memor vulpis Aesopiae, quae cum a leone invitaretur, ut ejus antrum epulandi causa subiret, noluit,

quia me vestigia terrent
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum [10]).

FRIDERICUS: Ut simia tametsi purpura induta sui semper similis est, ita quoque daemonum vis ac potestas est ubique terrarum eadem.

OCTAVIUS: Multi multa in universa rerum natura mirantur, nihil tamen admirabilius est ea, quae frequens est ubique terrarum λυκανθρωπία et ονανθρωπία. Ridiculum antea putaram, quod in urbe Caira ferebatur, homines in asinos converti et incredibilia populo spectante facere. Fabulosum [11]) etiam videbatur, quod de Ammonio proditum est, eum asinum philosophiae auditorem habuisse, quaeque a Luciano et Apulejo prodita sunt de asino aureo ludicra fuisse. Sed cum portu Arciones [12]), quae nunc Kneza [13]) vocatur, solverem et Arabiae felicis littora legerem, frequentes vidimus sagarum praestigias, quae homines in asinos ac lupos converterent ac rursus

---

1) Alius: aliud. 2) Alius: Comensis. 3) Alius: abdita. 4) Alius: uno. 5) Alius: Comensis. 6) Alius: legesque divinas et humanas. 7) Alius: repositionibus. 8) Alius: testis. 9) Alius: tentavi. 10) Horat. Ep. 1, 1, vs. 74. Caeterum in uno codice haec verba desunt. 11) Alius: Ridiculum. 12) Alius: Antinaes. 13) Alius: Zaela.

humanae figurae restituerent, ut ea quae Homerus de Circe, Herodotus de Nerviis, Varro, Pausanias, Plato, Pomponius Mela de Arcadum et Lycaonum lycanthropia scripserunt, non modo verisimilia, sed pro certis et compertis haberem.

CORONAEUS [1]): Aeque mihi ut vobis incredibilia ac ne oculis quidem istis ac sensibus fidem habuissem, nisi sacris litteris confirmatum legissem Nabochodonosoris [2]) ab humana figura in pecudum, item [3]) virgarum in serpentes conversionem. Nihil tunc amplius dubitandum putavi, nisi quis putet, Circem et magos facinum oculis fecisse.

SALOMO: Si esset illa fascinatio ac vecordia mentibus injecta [4]), non mera μεταμόρφωσις, non virga Mosis virgas magorum vorare potuisset, nec arrogantiae poenas lueret Nabochodonosor [5]), quem unguibus ac pelle villosa contectum, totum septennium pecudis figuram indutum ac mente captum, foeno etiam pastum fuisse, in sacris litteris testatum habemus. Nam Moses Aegyptiorum magos eadem fecisse scribit, quae ipse divina potestate fecerat, i. e. serpentes, ranas, sanguinem. At Moses fascinabat neminem, igitur nec illi, cum eadem ab ipsis facta fuisse scribat, nec mentem Nabochodonosoris cum humana figura ereptam ac restitutam fuisse Daniel vates omnium clarissimus prodidisset.

CURTIUS: Videtur Homerus his consentanea scribere de procis illis, quos Circe in porcos mutarat, quibus capita, vox, pili porcorum videbantur, mens tamen ipsa [6]) constans ac figura mănebat [7]).

Οἱ δὲ συῶν μὲν ἔχον κεφαλάς, φωνήν τε, δέμας τε,
Καὶ τρίχας, αὐτὰρ νοῦς ἦν ἔμπεδος [8]).

Boëthius ita reddidit: Voce et corpore perditis, sola mens stabilis semper monstra, quae genuit, patitur.

FRIDERICUS: At non solum corporis figuram mutare saga potest, sed etiam mentis ac rationis vim eripere, humana stante figura, ut Philo Ebraeus scribit [9]) quod antea persuadere mihi non poteram, nisi plane exploratum haberem, magi cujusdam capitali maleficio mentem adolescenti affinitate mihi conjuncto penitus ereptam fuisse ac plane dementem postea semper vixisse, quod Actius Sincerus his versibus significat:

Illum illum magicis conabor adurere sacris,
Qui miserum tota spoliatum mente relinquit,

quae his versibus Lucani consentanea sunt:

Mens hausti nulla sanie polluta veneni
Excantata perit [10]).

SENAMUS: Quid facilius erat Circae, quam procos suos in porcos mutare? Id enim fit unius litterae translatione.

---

1) Deest in alio codice. 2) Alius: Nebucadnezari. 3) Deest in alio codice. 4) Alius: invecta. 5) Alius: Nabuchdonosor. 6) Alius: ita. 7) Alius: restabat. 8) Homeri Odyssea K, 239. 9) Philo de specialibus legibus. 10) Alius: fuit.

CORONAEUS: Facilius est procorum in porcos mutatio ex morum, quam ex litterarum similitudine. Eos enim, qui se ventri ac libidini penitus addixerant Circaeisque illecebris mancipaverant, ratione ac mente caruisse nec praeter figuram humanam quidquam hominis habuisse opinor, contra quam Homerus scripsit, humanam quidem figuram amisisse, mentem vero stabilem et inconcussam [1]) retinuisse.

FRIDERICUS: Argute id ac vere; sed si hanc solam interpretationem feramus, caetera divinis et humanis legibus comprehensa in dubium revocabuntur. Neque enim Herodoto, Maroni, Homero, Platoni metamorphosis illa hominum in pecudes, sed etiam Moysi, Jesaiae, Danieli, theologis clarissimis [2]), narratur. Quin etiam his ipsis temporibus apud eosdem Nervios Herodoti, quos Livonas appellamus, singulis annis circa solstitium hibernum magna sortilegorum multitudo flumine regionis trajecto in lupos mutantur, tum in greges, homines, armenta crudelissime grassantur ac duodecimo post die eodem flumine transmisso rursus humanam recipiunt figuram. Qua de re quaestiones a magistratibus capitales constituuntur, qui cum transmutantur in hunc modum, pro sortilegis convictis tenentur. Id autem potissimum accidit iis, qui humana carne vescuntur, ut [3]) primum Lycaoni regi Arcadum [4]) contigisse Pausanias scribit, cum humanam hostiam Jovi Lycaeo sacrificans libaret, post etiam Demarcho Parrhasio, quem M. Varro et Copas, qui Olympionica [5]) scripsit, cum eidem Jovi humanis hostiis sacrificaret, gustato sacrificio derepente in lupum evasisse ac decimo post anno humanam figuram recepisse, denique pugillatu olympico [6]) certaminis praemium tulisse tradunt. Id cum Arcades saepius exploratum et compertum habuissent, sacratis legibus [7]) vetuerunt, poena capitali subjecta, ne quis Lycaei Jovis templum ingrederetur.

SENAMUS: Istud quidem mihi videtur persuaderi posse, neminem ex homine pecudem sine hominis interitu fieri posse, ac verius putarem, fallaces hominum oculos, velut Heracleoticos falsos martyres, fascino praestringi.

FRIDERICUS: Praestigias magos facere non dubito, nec tamen semper nec omnibus. Cum enim Thuringiam Germaniae inferioris obirem [8]), circulator quidam in oppido erat, qui spectaculis inanibus plebem imperitam accepta mercede pascebat. Is igitur quadrigam onustam foenis una cum equis et quadrigario turba spectante devoravit. Deinde cum coelum scandere se velle dixisset, repente a terra sublatus est, hunc pedibus uxor apprehensum sequitur, dein ancilla heram pedibus apprehensam secuta est, servus ancillam, qui sublimes in aëre suspensi, quasi acus a magnete tracti, omnibus attonitis [9]) aliquamdiu constiterunt.

---

1) Alius: inconfusam. 2) Addit alius: pro verissima. 3) Alius: et. 4) Alius: in Arcadiis. 5) Alius: Olympiaca. 6) Alius: pugillatum olympici. 7) Alius: litteris. 8) Wierus de praestigiis. 9) Desunt duo haec verba in alio codice.

CURTIUS: Devorationem quadrigae et quadrigarii ad fascinam pertinere judico, sed ascensionem et subvectionem illam daemonis ope factam non dubito. Nam Simon magus [1]), spectante Nerone cum ceteris principibus et aulicis, in membra secari se jussit, deinde membratim concisus revixit, post etiam sublimis in aëra subvectus est ac divinos honores et statuam a Caesare adeptus. Quid est enim tam arduum, tam contra naturae vim [2]), quod saga illa se facturam profiteatur:

Cum volui, ripis ipsis mirantibus amnes
In fontes redire suos, concussaque sisto,
Stantia concutio, cantu freta nubila pello,
Nubilaque induco, ventos abigoque vocoque.
Vipereas rumpo verbis et carmine fauces,
Et silvas moveo [3]) jubeoque tremiscere montes
Et mugire solum Manesque exire sepulcris,
Te quoque, Luna, traho.

CORONAEUS: Num tibi, Toralba, videntur haec per naturam, an vero daemonum ope fieri potuisse?

Hic TORALBA: Ingenue, inquit, aperiam quae sentio, sed illud abs te, Coronaee, peto, ne in rebus tam arduis amplius exigas, quam quod possum.

CORONAEUS: Valde amens sim, si scire velim, quae tu nescias.

TORALBA: Aliarum quidem artium veritatem [4]) cum assequi me posse diffiderem, res ipsas et rerum abditas in natura causas omni studio scrutari [5]) conatus, idem mihi ipsi quod navigantibus usu venit. Nam quo longius a littoribus discedunt, eo vada sentiunt profundiora, quousque [6]) ab omnibus terris longissime remoti [7]) molybdaenarum [8]) propter maris altitudinem usum amittant. Ita quoque me in naturas elementorum, fossilium, metallorum, stirpium, animantium ac coelestium corporum intuentem, postremo in angelorum ac daemonum mirabilem potestatem altius mentis agitatione [9]) subvectum ratio penitus deseruisse videtur. Quo etiam plura scire cupio, quoque attentius et cautius subtilissima quaeque persequor, eo me imperitiorem agnosco.

CURTIUS: Id profecto non nisi doctissimis hominibus contingere solet. Cujus rei causam cum inquirerem, Franciscus Fuxaeus, mathematicorum decus, qui a rege Francorum Carolo IX. evocatus, multis spectantibus Lutetiae docuit, quod Archimedes olim proposuerat, datum pondus movere i. e. δοθὲν βάρος κινῆσαι, is, inquam, ignorandi scientiam certissimum scientiarum perfectiorum principium asseverabat nec ullos [10]) imperitiores, quam qui se omnia scire arbitrarentur. Id autem exemplo docebat eorum, qui semper in gurgustio vel Socratis specu conclusi jacuissent, aut quibus pateat coeli spa-

---

1) Justinus Martyr, Clemens et Irenaeus. 2) Alius: viam. 3) Alius: foveo. 4) Alibi: varietatem. 5) Deest in alio codice. 6) Alius: coguntur que. 7) Alibi: revecti. 8) Sunt plumbagines quibus arena e fundo maris detrahi consuevit a nautis, ut intelligant, quas in regiones devenerint. 9) Alius: cogitatione. 10) Alius: omnes.

tium non amplius tres ulnas; cum evadunt in loca superiora, proximas regiones, quas nunquam adspexerunt, mirantur, post etiam in altissima montis cacumina subvecti non modo terras remotissimas ac maria, sed etiam coelestia sidera libere contemplantur ac pristinam ignorantiam attoniti stupent. Plerosque etiam inanis auctoritas trahit, quos ratio ducere debuisset. Atqui hi pecorum in modum properant, non qua aut quo eundum est [1]), sed quocunque itur.

TORALBA: Hoc certe modo plerique meant [2]). Quis enim petenti, unde tanta vis procellarum, unde ventus sit, non respondeat, ab exhalatione calida ea gigni? Jam si rationem quaeris, Aristoteles ita decrevit, ut de Pythagora quondam discipuli Αὐτὸς ἔφα, ipse dixit. Nemo tamen est adeo demens, ut putet, calidas siccas exhalationes hieme rigidissima in altissimis [3]) oceani gurgitibus versus utrumque polum, quoties tempestatibus intumescunt, vim ullam habere. Non desunt tamen, qui nulla auctoritate, sed ratione sola moventur; rerum omnium tamen causas sese reddituros confidunt, cum ne rerum quidem leviorum rationes attingere possint, earum inquam, quae in nobis sitae sunt, quaeque in omnium oculos incurrunt. Quanto modestius a Plinio, rerum naturalium venatore sagacissimo, scriptum est, in plerisque naturae majestatem ac numen admirari, quam subtilius exquirere nos debere! Quod etiam Alexander Aphrodisias Peripateticus accuratissimus confiteri non erubuit, naturam abdidisse causas, cur dentes ferrum lima agitante [4]) obstupescant. Omnium autem errorum, qui sunt innumerabiles, nullus est, in quo gravius a physicis nostris peccari possit, quam existimare, omnia quae extra hominum [5]) potestatem posita sunt, a natura, a causis necessariis, aut a fortuna pendere. Qui enim ita sentiunt, Deo aliud aliter agendi arbitrium penitus adimere coguntur, qui nec daemonum nec angelorum ullam vim necessariam esse ac ne daemones quidem subsistere [6]) putant, sed ea tantum quae brutis [7]) sensibus obvia sunt, et eorum, quae sub sensus [8]) cadunt, si causas ignorant, confiteri turpe arbitrantur, aut si negare nequeant, ineptissimam quam nullam causam prodere praestabilius opinantur. Ut igitur propositarum quaestionum exitus aliquis reperiatur, illud, ni fallor, contra Peripateticos statuendum et principiis ac perspicuis demonstrationibus confirmandum est, scilicet nulla necessitate primam causam ad agendum obligari, sed ea libertate omnia moderari, ut [9]) hominum ac belluarum impetus coërcere, naturas exanimes regere, ignes quominus ardeant prohibere, rerum universitatem nutu quatere ac rursus erigere, si velit, possit; contra quam Peripateticorum, Epicureorum ac Stoicorum tota natio decrevit, qui non modo causam primam necessitate trahi ad agendum, verum etiam ea quae natura fiant, a Deo prohiberi posse negant [10]).

1) Alibi: sit. 2) Alii: meantur vel necantur. 3) Alius: altis. 4) Alii: ad ferri limam agitatam, vel: ad ferream limam agitati. 5) Alius: humanam. 6) Alius: existere. 7) Alius: brutorum. 8) Alius: sensum. 9) Alius: et. 10) Alexander Aphrodis. l. 1. p. 17.

FRIDERICUS: Nemo est eorum, qui modo ullam pietatis opinionem iniverunt, qui sentiat, Deum ulla[1]) necessitate teneri; sed iisdem de rebus aliter physici, aliter theologi statuunt.

SALOMO: Quod verum est, semper unum et idem sit oportet[2]), nec potest res eadem modo vera theologis, modo falsa physicis esse, etiamsi theologorum ac physicorum de rebus iisdem judicia saepe contraria occurrant.

CORONAEUS: Perge igitur, Toralba, nisi molestum est, demonstrationem ejus rei perspicuam aperire.

TORALBA; Multa quidem Aristoteles[3]) non ferenda de Deo scribit, ut cum[4]) eum animal vocat, contra quam decuit non tantum physicum, sed etiam metaphysicum, i. e. rerum sublimium ac divinarum indagatorem ac speculatorem, quoniam isto modo Deum confitetur corporeum esse, cum animal ipse definiat corpus animatum. Nihil tamen absurdius, quam causam primam rerum omnium effectricem ac conservatricem profiteri[5]) eandemque servili officio ac necessitate obligare[6]), ac nihilominus sibi ipsi liberum arbitrium tribuere. Liberum, inquit[7]), hominem diximus, quia causa sui est et quem aliena potestas cogere non potest. Quid arrogantius aut alienius a physicis decretis? Neque enim majus argumentum habuit Plutarchus, ut fatalem Stoicorum opinionem everteret, quam quod posita necessitate mundi gubernacula Deo adimerentur, i. e. εἰ ανάγκη μέμικται τοῖς πράγμασιν, οὔτε πάντων κρατεῖ ὁ θεὸς, οὔτε πάντα κατὰ τοῦ ἐκείνου λόγου διοικεῖται.

FRIDERICUS: Est in rebus elementaribus quidem magna varietas et inconstantia, sed orbium coelestium mutuis sese complexibus rapientium certissimae ac immutabiles conversiones ab immutabili[8]) causa pendere convincunt.

TORALBA[9]): Immutabilem Deum esse, physicis omnibus ac theologis inter ipsos convenit. At illi putant, inferiorum causarum vi ac potestate superiores cohiberi. Probabilius poetae, qui fictis fabulis Jovem imperio deorum inferiorum absolvi confitentur, superioribus tamen τῆς ἀδραστείας legibus teneri affirmant. Hanc ἀδραστείαν seu fatum Parmenides mundum complecti dicebat. Chrysippus vero motum aeternum concinne ac decenter aptatum, Zeno providentiam, Augustinus fatum uni Deo putat congruere aut nemini.

SALOMO: Ebraeus interpres his consentanea scribens: fatum seu קדש est illud, quo sanctitas sanctitatum continetur, Deus inquam, omnia intra se recipiens[10]) ac libera voluntate coërcens.

TORALBA: Si verum est, quod Aristoteles scribit, laude ac vituperio dignum esse neminem ob ea quae necessario facit, profecto Deum aeternum

---

1) Alius: illa. 2) Alius: Quod verum est, semper verum sit oportet. 3) Aristotelis Metaphys. lib. 12. de generat. lib. 2. 4) Alius: ac cum. 5) Alius: confiteri. 6) Libr. 8 Physic. Libr. 2 de generat. 7) Libr. 4 Metaphys. 8) Alius: immortali. 9) Sequentia haec verba usque ad vocem convenit desunt in alio codice. 10) Alii: despiciens.

nullam laudem aut gratiam pro suis erga nos meritis judicat promereri, quoniam haec necessario facere cogitur. Ex eo quoque sequitur, rerum universarum procuratione Deum absolvi, quoniam providentia duabus tantum in rebus cernitur, primum ut res unaquaeque sit, deinde ut bene sit. At utrumque necessitas excludit, quia series causarum necessaria rerum ordinem stabilem et immutabilem efficit, ut nec flammarum incendio, qui[1]) in fornace fuerit, eripi nec saluti cujusdam contra naturae vim prospici possit. At sublata providentia (qua quidem omnia stant, quae videmus et quae non videmus) mundum ipsum subverti necesse est. Quod Aristoteles ne confiteri cogeretur, Platonis dictum ex Phaedone usurpavit, scilicet rationi consentaneum esse, Deum nullam curam habere, i. e. εὐλόγως ἔχει ὁ θεὸς, οὔτε ἐπιμελῶν μὲν ἡμῶν. Idem Plato in Politico Deum humani generis pastorem vocat, i. e. ἀνθρωπίνης ἀγέλης ποίμενα.

SENAMUS: Hoc argumentum probabile quidem videri potest, non[2]) tamen necessarium, ut sublata providentia mundus concutiatur. Quia si Deus prospicit universitati, aut propter se id facit, aut propter mundum; non propter se, quia mundo carere facile potest, alioquin non esset se ipso contentus i. e. αὐταρκέστατος, ut non modo a Platone et Aristotele, sed etiam a se ipso שַׁדַּי, quod idem est, appellatur. Non enim providet mundo propter mundum, quia mundus Dei finis esset, ac propter mundum bearetur; semper enim finis praestat iis, quae ad finem diriguntur.

TORALBA: Hoc quidem, Sename, argumento usus est Alexander, ut Aristotelis decreta tueretur. Idem tamen longissime ab hac sententia discedens: Dicere, inquit, nolle Deum res nostras procurare, alienum a majestate divina; invidi enim est et iniqui, cum possis nolle meliora; τὸ δὲ λέγειν μὴ βούλεσθαι τὸν θεὸν τῶν ἐνταῦθα προνοεῖν, παντελῶς ἀλλότριον θεοῦ, φθόνου τινος καὶ ἀλόγου φύσεως.

SALOMO: Senami argumentum una sui parte convincere[3]) videtur, quia non congruit divinae majestati quicquam agere, ob aliud primo et praecipue, quam propter se ipsum. Omnia, inquit, creavi propter me[4]), etiam impium ad diem ultionis, nec mundi creatione aut procuratione melior futurus erat aut beatior, quia nec optimus ante nec beatissimus fuisset. In eo ipso tamen sibi placet, ut potentiam creatis rebus ac intelligentibus perspicuam faciat, nulla vi, nulla necessitate, nulla denique felicitate[5]) potiore ductus. Nec potest invidiae tribui, si non efficiat meliora quam possit. Nec satis apte Proclus ex eo mundi aeternitatem statuit, quoniam ea est rerum caducarum natura, ut creatori optimo temporis aut felicitatis gradu nulla possit aut debeat exaequari.

CORONAEUS: Nondum explicata quaestio mihi videtur, quonam modo prima causa sit immutabilis, si causarum inferiorum series ac progressus

---

1) Sequentia haec quinque verba desunt in alio codice. 2) Alius: ut. 3) Alius: corruere. 4) Alius: creavit propter se. 5) Alius: facultate.

mutatur. Quodsi progressio causarum inferiorum immutabilis est, mundum hunc necessario stare et ea quae fiunt immutabili superiorum vi ac potestate necessaria concludi confitendum erit.

SALOMO: Deus quidem de se ipso testimonium ferens: Ego dominus [1]) aeternus, inquit; et non mutor [2]); item: Coeli tabescent et peribunt, tu autem idem ipse es, semper tui similis [3]), quae verba majestatem ac naturam divinam semper stabilem ac aeternam significant, non tamen eripiunt, sed potius confirmant liberam Dei voluntatem.

SENAMUS: Quid igitur hoc carmine volunt:

Fata regunt orbem et certâ stant omnia lege?

TORALBA: Recte equidem: aut fatum nihil est, aut Deus est, qui certas omnibus naturis leges praescripsit, quas unus mutare et evertere [4]) potest; naturae legislator suis legibus solutus non a senatu aut populo, sed a se ipso. Cur enim terra non contegitur aquis, cum tamen gravior sit? Id Aristoteles ad animantium salutem factum tradit. Honestius erat tragoedos imitari, qui cum rei difficultatem explicare nequeunt, Deum a machina, τὸν ϑεὸν ἀπὸ μηχανῆς eliciunt. Ex hac igitur demonstratione colligimus, nihil in natura necessarium esse, quod non aliter fieri possit. Quod Algazel, Arabum philosophorum acutissimus, erudite perspexit, contra quam Averroës putavit. Quid enim frequentius quam ex secali siliginem nasci? ex frumento non semper, sed tamen nimis saepe lolium; contrave ex homine serpentem gigni; saepissime monstra ex omnium animantium genere oriri, novos etiam et inauditos morbos grassari, tum aquarum ingentes eluviones, incendia terrarum inopinata, prodigiosos animantium partus, imbres lapideos, sanguineos, lacteos, siligineos [5]), portenta denique stupenda nasci vidimus, quorum plena est antiquitas, pleni libri, plenae Graecorum, Ebraeorum Latinorumque litterae, ut non modo praeter naturam, sed etiam repugnante natura fieri sit necesse [6]).

OCTAVIUS: Hippocrates noster, cum popularium et incredibilium et incurabilium morborum vim praeter naturam semper animadvertisset, divina quadam potestate cieri scripsit. Id axioma Fernelius ἀρχιατρὸς [7]) variis ac stupendis daemonum actionibus illustravit, idque contra naturalium causarum et affectionum progressiones consuetas.

TORALBA: Alexander ipse, qui pro Aristotele pugnare consuevit [8]), a magistri scriptura [9]) discedens scribit [10]), naturam saepe mutari tum vi, tum moribus, tum votis erga Deum conceptis, quibus morbos et mala mitigari et converti [11]) asseverat. Quae [12]) vero maleficorum flagitiis assidue fieri

1) Alius: Deus. 2) Jesaias 40, 27. 3) Ps. 102 (101), 27 f. 4) Alius: aut convertere. 5) Alius: saligineos. 6) Julius Obsequens de prodigiis. Polydor. Vergil. de prodig. Joachim Camerarius de portentis. Livius et Plinius passim. 7) In abditis causis morborum. 8) Alius: decrevit. 9) Alius: sententia. 10) Alibi: scripsit. 11) Alibi: averti. 12) Alius: Quod.

legimus, quaeque a Friderico narrata et superioribus mensibus Constantinopoli, stupente populo, gesta legit anagnostes, quae quidem tota pugnante natura facta intelligitis, num satis arguunt naturae vim necessariam et immutabilem non esse? Nam quae aliter eveniunt, necessaria ut sint, nullo modo fieri potest, ut Aristoteles ipse confitetur[1], qui tamen casum et fortunam in natura statuens, ex opinione plebis necessitatem sustulit de natura.

SENAMUS: Quid ergo Platoni[2] fiet, qui ex Homeri sententia auream catenam fingit a Jove demitti coelitus, nisi causarum naturalium seriem inviolabilem ac plane immutabilem demus?

TORALBA: Satis, opinor, Homerus seipse explicat, cum Deos illos inferiores a superiore[3] quidem sursum trahi posse agnoscit, supremum ab inferioribus non item.

SALOMO: Ego catenam Homericam nihil aliud esse existimo, quam in visu nocturno Jacobi Patriarchae scalâ[4] expressum, cujus vertici Deus imminet, qua descensus est angelis a coeli vertice in terras et hinc rursus ascensus ad coelum.

OCTAVIUS: Certe Salomonis interpretationem confirmare videtur Proclus Academicus et Plutarchus, qui daemones inter deorum et hominum naturam[5] collocarunt, τούς πορθμεύοντας τὰ τῶν ἀνθρώπων πρὸς τοὺς θεοὺς[6] καὶ τὰ τῶν θεῶν πρὸς τοὺς ἀνθρώπους, i. e. portantes divina ad homines et humana ad Deos[7]. Hoc tamen interest, quod appellatione daemonum deum appellavit, κακοδαίμονας tantum complectuntur. Quin etiam Plato maximum omnium daemonum Deum appellavit. Juniores tamen Academici saepius daemones φαύλους καὶ κακοὺς usurparunt.

TORALBA: Ex utraque interpretatione sequitur, angelos ac daemones vim habere deo minorem, hominibus vero majorem[8], quae tamen vis ac potentia dei potestati aequalis esset, si Deus agendi necessitate obligaretur, quoniam causa quaeque quo potentior est, eo majores parit effectus[9], si autem prima causa necessario ageret, omnium consequentium causarum potestas esset infinita et rei finitae vis infinita esse nequit[10].

CORONAEUS: Efficacissimum quidem illud esset argumentum, si antecedens demonstratione concluderetur.

TORALBA: [11] Quicquid naturaliter agit, ad[12] extremum suae potestatis ac facultatis agit, v. gr. ignis urit ad summum, non modice aut intra modum, sed quantum illi a natura tributum est. Ergo si prima causa naturaliter agit, ut Aristoteli placet, vim suam omnem, quae quidem est in-

---

1) Περὶ ἑρμηνείας III., cp. 15. 2) In Theaeteto. 3) Alius: supremo. 4) Gen. 28, 12. 5) Alius: cathedram. 6) Alius: τὰ τῶν θεῶν πρὸς τοὺς ἀνθρώπους καὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων πρὸς τοὺς θεούς. 7) Desunt haec verba interpretantia in aliis codicibus. 8) Desunt tria haec verba in alio codice. 9) Scoti argumentum acutissime collectum lib. II. Sententiarum. 10) Duo haec verba desunt in alio codice. 11) Addunt alii: Sic autem conficitur. 12) Sequentia sex verba desunt in alio codice.

finita, in causam secundam infundere oportet, eadem ratione causas secundas vim infinitam tertiis tribuere, has item consequentibus ad extremas usque communicare, hoc est ea quae sunt finita, fluxa, caduca, locupletare et augere infinita quadam vi ac potestate, cum omnes philosophorum familiae ad Epicureos usque primam causam infinitae potestatis ac bonitatis esse fateantur. Atque isto quidem modo causarum omnium exaequata esset potestas, item secunda causa cum infinita ista potentia coelo finito ac terminato cohaerens, nec ageret nec moveret in tempus [1]). Quod quidem Averroi adeo absurdum visum est, ut ab Aristotelis sententia discedens primam causam, quod esset infinita, segregaverit a coeli agitatione ac secundam causam orbi primo ac finito conjugarit, ne [2]) finita infinitis, sempiterna caducis necessaria connexionis serie copularet. Quae connexio necessaria eo absurdior est, quo mentes omnes ac formas a materia segregatas [3]) simul ac semel a prima causa pendere scripsit Aristoteles [4]), quam sententiam Avicenna et Averroës Academicos secuti repudiarunt, quia secundam causam a prima, tertiam a secunda certa serie derivari tradunt.

SENAMUS: Haec quidem Toralbae demonstratio subtiliter et argute est conclusa, sed ex eadem demonstratione subvertitur tota naturalis disciplina [5]).

CORONAEUS: Quonam modo?

SENAMUS: Quarum enim rerum habetur ulla scientia, causas earum necessarias esse oportet. At Toralbae demonstratio causarum necessitatem tollit, omnem igitur de natura scientiam funditus subverti oportet, quoniam eorum quae casu feruntur aut aliter fieri possunt, scientia non magis constare potest, quam reperiendi thesauri disciplina.

TORALBA: Res naturales nec casu, nec temere, nec ordine coeco fiunt, sed iisdem legibus et eodem tenore [6]) progrediuntur, ut posita causa sequatur effectus, nisi divina voluntate in omnibus, aut humana in quibusdam, aut vi daemonum in pluribus prohibeantur. Neque enim si lapidem sustines, quo minus deorsum feratur, aut ignem quo minus sursum [7]) abripiatur, propterea subvertitur demonstratio, lapidem deorsum vergere, quia gravis, ignem sursum, quia levis sit.

OCTAVIUS: Ex ratione Toralbae colligimus, primam causam liberam esse, non naturalem, non violentam. Nam si cogeretur, non esset voluntas libera in Deo, quam aut a superiori causa aut ab aequali aut ab inferiori cogi oporteret. Non a superiore, quia supremo nihil superius, non ab aequali, quia non esset aequalis, si cogi posset; a se ipso cogi non potest, multo minus [8]) ab inferiori aut imbecilliori causa, cum suprema causa tot ac tantis opibus locuples sit, ut excelsior esse nequeat. Non esset autem Dei natura praepotens et

---

1) Alius: in tempore. 2) Alius: nec. 3) Alius: segregatis. 4) Metaphys. l. 9. 5) Alexander Aphrodisias, Metaphys. l. 11. 6) Alius: tempore. 7) Alii: seorsum. 8) Alius: magis.

excellens, si subjungeretur ei necessitati vel naturae, qua coelum, maria, terrae ac totus hic mundus regatur, eaque vis ac potestas majore ac meliore vi praedita esset quam Deus ipse.

SALOMO: Gravis quidem haec Toralbae demonstratio, gravior tamen mihi videtur, quae ab ipsius Dei omnipotentis ore prodiit: Omnia, inquit, quae volui, feci[1]).

CORONAEUS: Haec quidem perspicua sunt, unum modo restat, quod juniores Peripatetici diviniori doctrina imbuti, Aristotelis impia decreta minuentes, Deo quidem voluntatem non eripiant[2]), sed idem putent esse in Deo Velle et Esse, ita ut illud sit quod vult, et quod sit, id ipsum velit.

TORALBA: Ut aegris cubilia mutantur et loca, morbus tamen sequitur, ita quoque posteri eodem quo primi relabuntur, quia etiam graviora ex his, quam ex illis incommoda sequuntur, quia Dei substantia mutari non potest. At Dei voluntas, si mutari nequit, non est voluntas, non est ad hoc vel illud libera, sed ad hoc tantum praecise[3]). Potuit enim Deus duos tresve soles facere, noluit tamen. Ita Deus multa vult, est tamen unus, non multa. Non igitur idem est in Deo Esse et Velle, quia vult multas et varias formas, non tamen infinitas[4]) neque aeternas aut simplices existere, cum tamen sit ipse infinitus, simplex, aeternus, non multus nec multiplex. Idem Deum modis omnibus esse[5]) necesse est; quodsi mundum quoque necessario esse dicamus, ut illi arbitrantur, non potest in Deo esse idem Esse ac Velle, quia mundi existentia necessaria Dei voluntatem penitus excludit, nihil enim voluntarium fieri potest, ubi violenta necessitas urget.

CORONAEUS: Demus igitur, Dei voluntate omnia existere, nec idem haberi in Deo Esse et Velle, quid ex eo sequitur?

TORALBA: Illud imprimis, mundum ab alio quam a sese servari.

SENAMUS: Etiam[6]) a prima causa servari mundum scribit Aristoteles[7]).

TORALBA: Ita quidem, sed necessario putat servari atque ob id aeternum esse statuit. Si enim a voluntaria causa mundus pendet, ut demonstratum esse confido, suapte natura sempiternus esse non potest. Cum enim sint agendi principia duo, alterum impetu naturae, alterum nulla necessitate fertur, sive ad generationem sive ad rerum genitarum procurationem[8]) ac tutelam. Cum igitur causam mundi effectricem[9]) ac conservatricem a fatis et Adrastiae[10]) legibus liberum ac solutum demonstratum sit, nec eandem esse cum essentia voluntatem, sequitur opificium illud ab eo deseri posse, quandocunque velit. Desertionem interitus sequatur necesse est, cum nihil a seipso servari et[11]) fieri possit, non est igitur aeternum id, cujus salus ab alterius arbitrio ac voluntate pendet. Quod cum intelligeret

---

1) Jesaiae 46, 11 sq. 2) Alius: eripiunt ... putant. 3) Alius: praecisa. 4) Alius: tantum infirmas. 5) Alibi: existere. 6) Deest haec Senami interlocutio in alio codice. 7) De generatione et corruptione, lib. II, cp. 10. 8) Alius: conservationem. 9) Alius: fictricem. 10) Alibi: naturae. 11) Alibi: aut.

Avicenna, princeps eruditione clarissimus: Creatura, inquit, nihil est et ex nihilo, secundum essentiam quidem a prima causa existit. Prima autem causa nulla esse potest, si mundus est aeternus. Ex quo sequitur altera demonstratio, non minus efficax et utilis, quam superior. Sed vereor, ne vobis taedio sim oratione longiori.

CORONAEUS: Neque certe nos pigebit hujus dissertationis, ex qua non modo voluptatem summam, sed etiam consequimur utilitatem multo majorem.

TORALBA: In rebus aeternis nulla est prima, nulla item [1]) postrema causa, ut ipse Alexander [2]) confitetur. At mundus primam causam habet, omnium consensu physicorum, non est igitur mundus aeternus. Quod cum Aristoteles [3]) vidisset, omnes causas posuit aeternas, maxime tamen, inquit, primas. Cur primas potius, quam medias, quam postremas? Cum omnes [4]) sint aeternae ac eodem momento existere coeperint. Aut si una est prima, quomodo [5]) consequentes aeternae sint ac simul cum prima, cum prioris ac posterioris ratio non ad tempus, sed ad ordinem spectat, ut quidem ipsi tradunt. Quae cum absurda sint, confitendum mundum aeternum non esse. Si non est aeternus, originem habuisse oportet et exitum quoque habiturus est. Id enim omnibus et divinis [6]) et naturae legibus [7]) decretum est, quaecunque exitum habitura sunt, ortum habuisse, et quae ortus sui principium habuere, tandem aliquando interitura. Nam si quod semper esse quit [8]), naturam habet immutabilem [9]), suapte haec [10]) nunquam mutari poterit; si nunquam mutari potuit, ac ne gigni quidem potuisse [11]) constat; sin genitum est, mutari quoque oportuit, ut a potentia abiret in actum. Ergo si quid suapte natura mutabile, sempiternum esse nequit. Itaque cum Plato nascendi principium mundo tribueret, obiturum intellexit, eundem Dei [12]) tamen bonitate, non suapte natura, sempiternum fore putavit. Sunt igitur omnia, quae ortum habuerunt, occasura, nisi opificis nutu arbitrio, voluntate, potestate fulciantur. Ex quo planum fit, nulla ratione Galenum [13]) scripsisse, non sibi necessarium videri principium illud: πᾶν τὸ γέννητον φθαρτόν [14]).

SALOMO: Si decrevit opifex, hoc a se conditum aedificium [15]) tandem aliquando collapsurum, nihil contra sua decreta stare potest [16]). At opifex aeternus mundum aliquando interiturum decrevit. At tametsi Philo noster Ebraeus Platonis sententiam secutus putat, coelorum accidentia, non essentiam mutatum iri ac flagitiosissimum vel de mundi obitu cogitare; amicus tamen Plato, amicus Philo, sed magis amica Dei vox, quae neminem dubitare pa-

1) Alibi: est. 2) Alexander Aphrodisias l. 12 Metaph. 3) Libr. 6 cp. 8 Phys. libr. 7 Metaph. et 12. 4) Alibi: res. 5) Alibi: quonam modo. 6) 4 Esdr. 9. 7) Plato in Timaeo, in Phaedone. Aristoteles, l. 1. de coelo et l. 2 et 6 Metaph. 8) Alius: queat, 9) Alii addunt: si vim habet immutabilem. 10) Alius: natura. 11) Alibi: posse. 12) Deest in aliis codicibus. 13) De tuenda valetudine libr. 4. 14) Alii: φθειρῆται. 15) Alius: opificium. 16) Scotus lib. 2 sentent. disp. 2. quaest. 1 et 2.

titur. Antiquissima quidem[1]) sidera sunt, antiquissimi coeli, non tamen aliter ac indumentum veterascent atque interibunt.

CORONAEUS: Epicuraei ac Stoici mundum inflammatum iri affirmabant, sic enim ille Lucretius Epicuraeus[2]):

Una dies dabit exitio, multosque per annos
Sustentata ruet moles et machina mundi.

Quae illi nulla demonstratione subjecta scripserunt, cujus tamen maximum pondus est ac momentum, non modo[3]) ad evertenda Peripateticorum decreta, quae nec legibus divinis ullum, nec auctoritati locum relinquunt[4]), sed etiam ut ii, qui seipsos ac mundum universum tam praeclara origine niti ac servari intelligunt[5]), Dei O. M.[6]) ardentiore desiderio rapiantur atque[7]) illius laudes erumpant.

CURTIUS: Mundi labem ac senium tota natura sentit, ac scriptores continuis querelis homines nec magnitudine nec robore[8]) cum majoribus conferri posse tradunt, ut etiamnum ossium monumenta testantur atque aetates homuncionum ac pusionum prae illis gigantea magnitudine hominibus, qui tribus[9]), qui septem, qui octo, qui novem cubitis veteris cubiti altitudinem superabant, quae testantur mundi senectam et interitum futurum.

TORALBA: Non minus necessaria est demonstratio interitus mundi ex ejus motu, quam ex ipsius creatoris voluntate. Cum enim coelum moveatur, corporeum esse oportet; quicquid autem corporeum est, idem quoque divisibile, patibile nec indissolubile esse, physici aeque ac theologi summa consensione[10]) fatentur. Quod autem coelum sit corporeum, non modo perspicitur ex eo, quod mobile est, sed etiam quod suis finibus et terminis comprehensum, caetera suo complexu ambiat[11]), partes habens extra partes, figuram etiam et quantitatem[12]) finitam et commensurabilem. At quantitas[13]) corporea motum[14]) in se continet, item motus figurans[15]) qualitatem, quae ipsa sunt accidentia. Materiam vero[16]) sine forma usquam consistere negant[17]). Cum dico coelum, inquit ille[18]), tum dico formam, cum[19]) dico coelum hoc, dico formam hanc in hac materia. Quibus verbis coelum ex materia, forma et accidentibus coalescere confitetur, ut etiamnum ejus interpretes.

CORONAEUS: Primum igitur disputationis caput copiose et perspicue explicatum tenemus, scilicet rerum universitatem et[20]) quae amplissimo orbis sinu coercentur[21]), opificis aeterni arbitratu dissolvi ac propterea tot monstra, quae stupore homines afficiunt, tot praestigias et volatus[22]) maleficorum,

---

1) Alius: quaedam. 2) Desunt haec duo verba in alio codice. 3) Alius: tamen. 4) Alii: reliquere. 5) Philo in libro de profusis. 6) Alibi: ad Deum O. M. 7) Alius: et. 8) Alius: Nec robore nec magnitudine. 9) Desunt haec duo verba in alio codice. 10) Alius: confessione. 11) Alius: coërceat. 12) Alius: qualitatem. 13) Alius: qualitas. 14) Alii: materiam. 15) Alius: figuram. 16) Alius: autem. 17) Alius: nequit. 18) Alius: Aristoteles. 19) Desunt sequentia haec Aristotelis (l. 4 de coelo) verba in alio codice. 20) Desunt sex haec sequentia verba in uno codice. 21) Alibi: coërceantur. 22) Alibi: conatus.

non a natura, sed praeter naturam aut contra naturam[1]), angelorum ac daemonum vi ac potestate fieri.

SENAMUS: Si daemones corporales[2]) essent, minus ambigeretur.

TORALBA: Disputatio de animorum immortalium natura, i. e. de angelis ac daemonibus perdifficilis ac obscura semper visa est. Ac tametsi Aristoteles[3]) ubique fere daemonia vocat ζῶα, non tamen explicat, corpora sint necne, quia Deum quoque animal appellat[4]) aeque ac daemones. Quaerat, inquit, aliquis, quamobrem anima, quae[5]) in aëre vagatur, melior sit ac magis immortalis, quam quae est in animantibus: ἡ ἐν τῷ ἀέρι ψυχὴ ταῖς ἐν τοῖς ζώοις βελτίων ἐστὶ καὶ ἀθανατωτέρα[6]), quo loco vel daemones vel hominum mentes a cadaveribus segregatas in aëre vagari confitetur. Plato vero mentis humanae captum egredi daemonum disputationem agnoscit; majorum tamen sententiis acquiescendum: περὶ δὲ τῶν δαιμόνων εἰπεῖν καὶ γνῶναι τὴν γένεσιν, μεῖζον ἢ καθ' ἡμᾶς, πιστέον δὲ τοῖς εἰρηκόσιν ἔμπροσθεν[7]). Frequens tamen est apud Platonem disputatio de daemonibus in Symposio, Protagora, Clitia, Politico, Epimenide, Phaedone, Sophista et in libro de legibus. In Theagene quoque apertius: Nos, inquit, sicut oves mira divinorum[8]) pastorum custodia semper egemus; ac tam ineptum putat[9]), homines hominum custodiae committere, quam ovium et caprarum curam ovibus et capris. Laudat etiam in Cratylo Hesiodi sententiam, quod viros bonos et sapientes vita functos daemones appellat, quos in Symposio medios inter Deos et homines collocavit, aërea natura constantes. Aperte vero in Phaedone angelos, quos[10]) ubique θεοὺς vocat, curatores nostros esse asseverat: θεοὺς εἶναι ἡμῶν τοὺς ἐπιμελομένους. Quin etiam in Sophista angelum genialem, quem juniores[11]) Academici δαίμονα πάρεδρον appellant, nos quocunque[12]) proficiscamur, comitari et cogitationes nostras explorare scribit: τὸν ξένιον οὐχ ἥκιστα θεὸν συνοπαδὸν γιγνόμενον, ὕβρεις καὶ εὐνομίας τῶν ἀνθρώπων καθορᾶν. Et in Theagene: Adest, inquit, mihi divina quadam sorte daemonium quoddam, ab ineunte pueritia me secutum. Cujus argumenti occasione accepta omnes Academici disputationes[13]) varias de natura daemonum instituerunt. Illud autem inter ipsos convenit: unicuique[14]) daemonium ab ortu vitae ducem divino munere concessum. Huc[15]) Menandri illud:

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γενομένῳ,
Ἁπᾶσιν ἐστὶ μεταγωγὸς τοῦ βίου.

Nam Socratis adhuc puelli pater oraculum accepit, eum habere ducem sexcentis paedagogis meliorem, ut quidem Plutarchus scribit in libro Περὶ τοῦ δαιμονίου τοῦ Σωκράτους. Empedocles, qui vivus et spirans in jugo montis

---

1) Haec tria verba desunt in alio codice. 2) Alii: aspectabiles. 3) Libr. 4 Metaphys. 4) Libr. 4 et 12 Metaphys. 5) Alii: animalia, quae. 6) Graeca haec desunt in alio codice. 7) Graeca haec desunt in alio codice. 8) Alius: divorum. 9) Alibi: putari. 10) Deest alibi. 11) Alius: minores. 12) Alius: quoque. 13) Alius: disputatores. 14) Desunt haec sequentia duodecim verba in alio codice. 15) Alibi: Hic.

Aetnae a daemonibus sublatus dicitur, unicuique καλὸν καὶ κακὸν δαίμονα contigisse dicebat.

SALOMO: Rabbi Moses Aegyptius non quidem ab Empedocle, sed a majoribus institutus, etiam unicuique bonum ac malum angelum adesse confirmat.

SENAMUS: Si tanta vis daemonum ac angelorum extitisset [1]), quantam esse vultis, mihi mirum videtur, quamobrem Epicuraei daemonum hypostasin de natura sustulerint?

CURTIUS: Epicuraei non tantum ex albo philosophorum, sed etiam hominum eximendi nobis sunt, tum quia nihil aut parum [2]) differunt a judicio ferarum, tum etiam quod solo sensu feruntur.

CORONAEUS: Quando igitur constat, philosophorum ac theologorum vel potius mortalium omnium consensu daemones esse, ut ab eorum perspicuis actionibus planum est, disseratur illud, si placet, an daemones essentia et qualitate sensibili, an vero sola boni et mali discrepantia differant, quibus item actionibus ac negotiis implicentur. Quibus perspectis ac cognitis perspicuum erit, quid de ostentis, prodigiis, fascino, quid denique de sagarum stupendis actionibus ac λυκανθρωπίᾳ sentire debeamus. Et quoniam Fridericus studiose videtur daemonum vim ac naturam conquisivisse, haud dubito quin haec omnia nobis facili sermone sit explicaturus.

FRIDERICUS: Si tot ac tam multi philosophi tantaeque eruditionis tot saeculis de natura daemonum nihil asseverare potuerunt aut voluerunt, quid de homine minime philosopho sperare potestis? Libros quidem de strigibus ac sortilegiis [3]), quotquot nancisci potui, curiose legi, ut maleficarum actiones utcunque intelligerem, quae vobis enarrare pigebit, cum ex iisdem fontibus, quibus ego hausi, illa ipsa haurire cuique integrum sit. De natura vero ipsaque daemonum origine ac essentia quicquam affirmare [4]) si velim, ineptus sim.

TORALBA: Duae sunt omnino demonstrandi artes, una quidem a causis, altera vero ab effectibus; itaque si obscurae sint causae, ex ipsis tamen effectis eas venari licet, ut si daemonum naturam, τὸ διότι, capere nequeamus, certe ex eorum actionibus τὸ ὅτι ἐστὶν intelligamus.

FRIDERICUS: Nudam historiam, ut vobis morem geram, enarrare non recuso, ne quid a me amplius exigatis. Tametsi ēnim Apulejus sortilegii ac veneficii accusatus et qui ὀνανθρωπίαν in seipso expertus fatetur, multo subtilius quam caeteri daemonum essentiam explicare potuerit, dubito tamen an voluerit necne, quod potuit. Sic autem definivit daemones: sunt genere animalia, ingenio rationabilia, animo passiva, corpore aërea, tempore aeterna. Quam descriptionem miror Augustinum [5]) locis omnibus secutum fuisse atque

---

1) Alibi: existeret. 2) Alius addit: admodum. 3) Alibi: sortilegis. 4) Alius: afferre. 5) Libr. 7 Gen., libr. 8 et 9 de civit. Dei, libr. 8 de trinit.

in eo potissimum, quod eorum naturam scribit esse aeternam, cum tamen Porphyrius, Plutarchus, Plotinus mortales esse tradant, idque Apollinis oraculo, i. e. ipsius daemonis maximi testimonio confirmans: Hei mihi tripodes lugete, obiit Apollo, excessit, flamma [1]) coelestis mihi vim affert! Quin enim Plutarchus Ciceronis sententiam secutus ob id oracula defecisse scribit, quod daemones, qui olim oracula reddebant, interierint [2]). Quodsi daemones hominum generi contubernales ac socii tam multa de [3]) ipsis [4]) mentiuntur, quid nobis sperandum est de angelorum coelestium sublimiore ac diviniore natura? Tametsi vero Philo Judaeus angelos appellat diviniores quasdam ac secretiores [5]) naturas, Dei praepotentis imperio subjectas, quibus quasi legatis utitur; idem tamen in libro de mundo angelos ac daemones essentia scribit eosdem [6]) esse, licet qualitate boni differant a malis [7]).

SENAMUS: Libenter audirem; neque enim dissimulare possum, quando primum nati daemones sint [8]), quibus nutricibus educati, quamque diuturna sit uniuscujusque vita?

FRIDERICUS: Non esse daemones aeternos, Toralba belle demonstravit, cum uni [9]) Deo rerum omnium parenti docuerit convenire, sed quam diuturna sit eorum vita, mortalium nemini compertum opinor, tametsi Plutarchus, Proclus, Porphyrius mille annos definiant ad summum, ex ipsius Herodoti [10]) sententia, qui nymphas decem Phoenicum secula explere scribit, Hieronymus vero Cardanus de Facio [11]) patre suo [12]) scribit, δαίμονα πάρεδρον habuisse annos amplius triginta ab eoque didicisse, daemonum vitam trecentis aut ad summum quadringentis annis terminari, quod perinde est ac si dicerent, hominum vitam annis centum definiri aut ad summum 969, quia Methusalem, qui omnium diutissime vixisse fertur, non diutius vitam protraxit [13]).

SENAMUS: Mira varietas est Apuleji, Porphyrii et Cardani, cum alius daemonum vitam trecentis finiat annis, alius mille, alius aeternos esse putet.

CURTIUS: Certe immortales non esse constat ex ipsius Toralbae perspicua demonstratione, quod etiamnum Eusebii Caesariensis episcopi sententia confirmatur, quam ex Plutarcho transtulit in librum προπαρασκευῆς εὐαγγελικῆς [14]), cum ad Echinades insulas navigium, Tiberio imperatore, translatum esset, exauditam fuisse vocem Thamus [15])! Ad quam cum Thamus nauclerus respondisset, rursus exauditam vocem haec verba resonantem: Cum ad Paludes delatus fueris, denuncia clara voce, Panem mortuum esse! Nauclerum metu naufragii perterritum, nisi Diis imperantibus paruisset, cum ad Paludes appulisset, clara voce denunciasse, Panem [16]) mortuum esse. Quo dicto re-

---

1) Quinque haec sequentia verba desunt in alio codice. 2) Alibi: interierunt. 3) Alius addit: se. 4) Alibi: ipsi. 5) Alius: sacratiores. 6) Alibi: ejusdem. 7) Alius addit: ἄγγελοι δέ εἰσὶ ψυχαὶ κατ' ἀέρα πετομέναι. 8) Alius: fuerint. 9) Deest in aliis codicibus. 10) Alii legunt: Hesiodi. 11) Alii: Tajo vel Pacro. 12) Deest in aliis. 13) Cf. 1 Mosis 5, 21 sqq. [N.] 14) Libr. V. cap. 17. 15) Addit alius iteratum: Thamus! 16) Alii: Pana.

pente voces ejulantium ac suspirantium hominum, qui tamen nulli erant, exauditas fuisse.

SALOMO: Nihil mirum, si Panem mortuum denunciarent, cum Leviathanem [1]), daemonum principem, sacrae litterae moriturum testificarentur [2]).

SENAMUS: Audieram antea daemones et terras et maria tranare, et quasi celerrimis equis homines ipsos transvehere momento. Quae si vera sunt, cur daemones Echinadum insularum ab hominibus principis sui occasum didicerunt, cum daemones dicantur non παρὰ τοῦ δειμαίνειν, ut putat Eusebius, sed quasi δαήμονες, eodem sensu Ebraei יִדְּעֹנִים a verbo יָדַע, quod *scire* significat.

FRIDERICUS: Ego daemones ea scire opinor, quae persuaderi [3]) possunt, sed verius est, eis [4]) ab immortali Deo regiones ac loca circumscripta esse, quae praetergredi nequeant. Argumento sit, quod Caesarius scribit, presbyteri cujusdam Coloniensis filiam a daemone obsessam patris [5]) jussu ultra Rhenum transvectam fuisse ac eodem momento a daemone desertam, patrem vero tot ac tantis ictibus verberatum et contrucidatum, ut paulo post mortuus sit. Ex quo intelligitur, daemonis illius potestatem ultra [6]) flumen terminatam fuisse. Consimile quiddam scribit Hermias: cum quidam parricida matrem interfecisset et a daemonibus acerbe torqueretur, consultus Apollo respondit, aliam regionem ei quaerendam esse, atque ita illum in insulam e gurgite fluminis emersam transvectum cruciari desiisse.

SALOMO: Certe Friderici sententiam confirmare videtur id, quod in sacris litteris [7]) legimus, angelum Dei alligavisse in Aegypto superiori daemonem Asmodeum [8]), qui septem Sarae [9]) maritos antea necarat. Nam in eo quoque summa Dei bonitas conspicua fit, quod non modo serpentes et feras saeviores, verum etiam nequiores daemones in desertissima loca deportari jussit, quo minus hominum coetibus ac societatibus noceant, nec nisi ad justissimam ultionem impiorum [10]) solvi. Et quidem lege divina solenni expiationum die pontifex hircos duos sortiri jubetur, alterum quidem aeterno Deo sacrificandum, alterum vero Zazali [11]) dedendum, quem LXXII interpretes appellant ἀποπομπαῖον, quem in verticem montis deduci mos erat ac de monte praecipitem dare. Locum vero rubrum [12]), quo quidem vinctus erat, candidum fieri dicebant, si Deus placatus esset [13]), quod a caprario buccina solebat significari laeto clangore, ac proximas quasque regiones consimili clangore gratulationem publicam significare, nec tamen caper dictus Azazel [14]) usquam terrarum reperiebatur. Quo pertinere ajunt illud ex Jesaia [15]): *Si scelera vestra coccino rubicundiora fuerint, nive candi-*

---

1) Alii: *Leviathan*. 2) Ezechielis cp. 29, 3 sqq. Jobi cp. 40, 20. Jesaiae cp. 27, 1. 3) Alibi: *quo pervadere*. 4) Alii: *illis*. 5) Alibi: *patrio*. 6) Alius: *citra*. 7) Alibi: *libris*. 8) Tobiae VIII, 3. 9) Alii: *Annae vel Susannae*. 10) Alius: *carceribus*. 11) Alibi: *Azazeli*. 12) Alibi: *coccinum*. 13) Cf. de hoc Azazelo 3 Mosis 16, 8. 10. 26. [N.] 14) Duo codices legunt: *dicatus Zazeli*. 15) Jesaiae 1, 18.

diora fient. Quibus sane congruit, quod R. Moses ex litteribus ritualibus Chaldaeorum et Sabaeorum tradit[1]), veteres Idolatras in loco deserto daemones conquisivisse atque iis sacrificare solitos, devotionibus in scrobes procuratis, effuso cruore, tum epulari et convivari[2]) consuevisse, quod sanctissima divina lege prohibetur ac propterea hostiarum sanguis ad plagam altaris aquilonarem[3]) effundi jubetur. Non quidem desunt ubique daemones, qui omnia[4]) omnium dicta, gesta, facta diligentissime explorant, pars tamen maxima circa sepulcra aut patibula, aut in antris aut in montibus aut per silvas aut circa littora oberrant, quos Graeci Satyros, Sylvanos, Tritones, Manes, Nymphas, Dryadas, Hamadryadas, Oreadas appellant.

OCTAVIUS: Num igitur daemones illi sepulcrales et cadaverum Aegyptiorum custodes vinculis soluti, fines sibi destinatos praetergressi maria trajiciunt ac procellas excitant, ut erepta cadavera sibi restituantur[5])?

SENAMUS: Si verum est, daemonem[6]) illum Agrippinensem, qui deserta puella parentem necavit, latissimam Rheni fossam trajicere non potuisse, nec vada rapidissimi fluminis tranare, praesens remedium haberemus adversus daemones, qui tantam foeminarum multitudinem obsident, ut uno die plures octoginta Romae videremus acerbissime cruciatas, quae nullis exorcistarum execrationibus liberari potuerunt.

FRIDERICUS: Nunquam[7]) vis ac natura daemonum magis conspicua fuit, quam in obsessis, quos Graeci ἐνδαιμονιῶντας καὶ ἐνθέους καὶ ἐνθουσιαστικοὺς καὶ ἐγγαστριμύθους καὶ ἐγγαστριμάντεις καὶ στερνομάντεις καὶ Εὐρυκλέας[8]) appellant, quorum maximam copiam olim ubique fuisse legimus. Vidimus ipsi in monasterio Kentorpio Germaniae inferioris virgines devotas[9]) a daemonibus sursum deorsum jactari ac interdum altius a terra sublevatas, casu levissimo relabi, sine sensu doloris, tum assiduo risu cachinnos movere, seque ipsas mutuis ictibus contundere bacchantium in modum ac foetidissimo halitu aërem ambientem conspurcare. Id enim daemonum fere proprium est, ut teterrimo foetore proxima quaeque loca quasi sulphuris ac putrium cadaverum odore imbuant. Contra vero angeli ambrosium spirant vertice odorem. Illud etiam deprehensum, si quis coram daemoniacis illis vestalibus sacris[10]) preces funderet aut divinis laudibus exerceretur, doloribus acerbissimis obsessas cruciari, si ipsae horarias preces latinis verbis enunciarent aut fabellam narrantibus audientiam facerent, cruciatu levari. Cum a magistratu rogarentur, ecquis illas daemonibus mancipasset, Elsam Kamam. Coenobii ancillam, incusabant, quod illa non erubuit confiteri, ac sortilegii damnata rogis ardentibus exusta est.

---

1) Alius: tradidit. 2) Duo Codices habent: copulari. 3) Alius: aquilonaris. 4) Deest in alio codice. 5) Responsum huic quaestioni in omnibus Codicibus deesse, adnotat Senckenbergius. 6) Alius false: daemonium. 7) Alibi: Nusquam. 8) Εὐρυκλῆς erat nomen celeberrimi cujusdam ventriloqui saepiusque pro ventriloquo in universum usurpatum. [N.] 9) Alius: totas. 10) Alius: sacras.

SENAMUS: Memini Romae Benedictinum exorcistam obsessas a daemonibus rogantem, quem id fecisse suspicarentur, daemones respondisse, Judaeorum id ope factum, quod indignarentur Judaei, foeminas a sua religione ad christianam defecisse.

SALOMO: Quod a Gentili avorum religione ad peregrinam defecissent, forsitan daemonibus sui obsidendi occasionem praebuerunt, sed Judaeorum id ope [1]) factum, nemini credibile videatur. Daemones potius falsis accusationibus et criminibus [2]) Judaeos, quibus infestissimi semper fuerunt, circumveniri cupiebant.

FRIDERICUS: Nobilior extat historia Antonii Segneti [3]) Belgae, equitis aurati ac senatoris, cujus filius cum saga contubernium traxerat [4]). Sed cum jussu patris uxorem nobilem sibi despondisset, saga non aliter quam Medea zelotypiae furore saucia, quod Jason Creontis regis Corinthiorum filiam duxisset, daemonis ope rivalem ita conturbavit, ut saepius in sublime veheretur, deinde huc illuc agitata dejiceretur. Cum vero parturiret, saga cubiculum parturientis ingressa illam in tantum soporem ac stuporem egit, ut sine sensu parienti foetum [5]) eriperet.

SALOMO: Quid si pater filium ab utero voverat daemonibus, id enim sortilegis fere consuetum est, ac propterea divina lex execratione gravissima detestatur eos, qui liberos voverint deo Molocho.

FRIDERICUS: Non minus memorabile est, quod in monasterio montis Hessorum virgines sacrae a daemonibus tanta vi obsessae fuerunt, ut cum canibus atris copulari viderentur, deinde sursum deorsum jactari ac teterrimos foetores exspirare.

SALOMO: Quid si Deus ultionem istam daemonibus permisit, quod forsan [6]) canibus, ut interdum contigit, copularentur. Nihil enim detestabilius [7]), quam votam Numini virginem immundissimae bestiae prostituere, ac propterea divina lex [8]) eodem capite vetuit offerri Deo pretium canis ac mercedem meretricis, tum sequens caput [9]) supplicium extremum irrogat eis qui pecudibus copulantur.

CURTIUS: Immane scelus istud a monialibus mutum scelus appellatur. Neque id novum, si Aeliano [10]) credimus, qui civem Romanum scribit accusationem instituisse adversus canem [11]) adulterum uxoris. Et in Aremorica Celtarum bos puellam peperit, quae nihil bubulum habuit praeter alterum pedem, unde graves controversiae extiterunt.

FRIDERICUS: Non tam mirum est, hominem pecori quam daemoni copulari. At non ita pridem in monasterio Coloniensi Gertrudis puella dae-

---

1) Alius: opera. 2) Alii: criminationibus vel incriminationibus. 3) Alius: Sequeti vel Suqueti. 4) Alius: contraxerat. 5) Alibi: infantem. 6) Alius: forsitan. 7) Desunt haec quinque sequentia verba in uno codice. 8) Deuteron. 23, 18. 27, 21. coll. Levit. 18, 23. 20, 13 sq. 9) Alius: sequenti capite. 10) De varia hist. 11) Deest in alio codice.

monem habuit concubinum, et in ejus scrinio litterae amatoriae illius et ejus ad daemonem [1]) repertae [2]) fuerunt, nec multo post omnes [3]) moniales a daemonibus obsessae.

TORALBA: Earum rerum historias mirari facilius est, quam qua ratione fieri possint exquirere. Nam memini, cum essem in Hispania, Magdalenam Cruciam [4]), monasterii Cordubensis principem, a Paulo III. Pontifice Maximo veniam impetrasse, quod annos amplius triginta cum atro daemone Ephialte concubuisset, tametsi tantam vitae ac religionis integritatem prae se ferret, ut quasi ab angelo, dum sacra fierent, sublimis veheretur a terra, quod Porphyrius etiam Jamblicho sacra facienti contigisse tradit; quin etiam in hostia exadorea post consecrationem ab altaribus [5]), fisso pariete [6]), in buccam monialis evolare videatur. Ab ea non-aliter, quam ab oraculo patres ac pontifices [7]) responsum [8]) quaerebant. Notissima est ubique pervulgata historia, nec dissimile est, quod Franciscus Picus scribit, se vidisse Benedictum Bernam sacerdotem flammis ambustum [9]), quod annos amplius quadraginta cum Hyphialte (ut illa cum Ephialte) concubuisset.

SENAMUS: Etiamnum [10]) daemones utriusque sexus incubos et succubos Italia parit? vereor, ne [11]) medicis plane haec deliria videantur.

FRIDERICUS: At Fernelius, clarissimus Henrici II. Francorum archiater, nobilissimum adolescentem a daemone obsessum scribit, qui tametsi litteras nunquam didicisset, Graece tamen loqueretur. Et Philippus Melanchthon tradit, mulierculam quandam, cum a daemone cruciaretur, graece loqui solitam ac bellum sacrum, quo Germania pene tota deflagravit, hoc carmine denunciasse: ἔσται ἀνάγκη ἐπὶ τῆς γῆς καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τούτῳ. Qua de re cum inter theologos ac medicos varie disputaretur, sciolus quidam medicus, ne nihil ignorasse videretur, a melancholia peregrinam linguam excitari posse contendebat, sed non sine risu ac sibilo palam explosus est.

OCTAVIUS: Illud facile refelli poterat, cum ἐγγαστρίμυθοι καὶ στερνομάντεις bucca conclusa aut etiam exserta lingua, mox etiam e vulva diserte loquerentur.

CORONAEUS: Sed mirum est, obsessos a daemonibus lustralis aquae conspersionem abhorrere, ut quidem Cyprianus scribit et experientiâ saepissime expertum est. At Philippus Melanchthon [12]) aliquando se daemoni fucum fecisse jactavit, cum obsessum a daemone aqua pura aspersisset, aeque enim [13]) hanc atque illam refugiebat.

SALOMO: Ego daemones lustralem aquam duplici de causa detestari opinor, primo quod sua puritate labes abstergit, daemones vero impuritate

---

1) Alibi: ad eum daemonem. 2) Alibi: compertae. 3) Alibi: sociae. 4) Alius: Cruceam. 5) Alius: alterius. 6) Alibi: fuco pari. 7) Alius: principes; alibi: princeps et pontifex. 8) Alius: responsa. 9) Alibi: combustum. 10) Alibi: Etiamne. 11) Alius: ut. 12) 2 ep. ad Mycon. 13) Alibi: idem; alibi: eum ..... refugisse.

delectantur ac propterea frequentes lotiones lex divina jubet, quas sortilegi execrantur. Deinde aqua lustralis sale conspergitur, quo res omnes a putredine servantur, officium vere daemonum est perdere ac corrumpere. Itaque divina lex [1]) omnibus sacrificiis salem inspergi jubet, cujus vim cum intelligeret Plato, salem Diis gratum esse scribit.

CORONAEUS: Ita disserendi ratione quodammodo quae qualisque sit daemonum vis ac natura perspicitur. Nam Paulus Grilandus jurisconsultus, quaestionum impietatis judex, scribit, quendam neophytum ab uxore ad sortilegorum convivia daemonis ope procul a domo subvectum sub nucem Beneventanam [2]), et cum ferculis appositis ad epulandum saepissime salem peteret, tandem aliquid salis simile allatum esse eumque in haec verba erupisse: Lodato sia Dio, pure evenuto questo sale! Qua voce daemones ac sagarum concionem epulasque fictas disparuisse et cum solus neophytus restitisset [3]), domum, a qua milliaribus circiter quinquagintad istabat, nudum rediisse.

FRIDERICUS: Usitatissimum omnibus rusticis est, salem infantium ori admovere, quasi praesens amuletum adversus maleficia sortilegorum.

OCTAVIUS: An quia veteres uno consensu tradunt, maris naturam omnes impuritates expiare; scribit enim Hippocrates [4]), suae aetatis exorcistas maleficia expurgare [5]) solitos, demersis in mare his omnibus, a quibus maleficia impendere dicebantur.

CURTIUS: Ego quidem illos exorcistas, qui Ulpiano [6]) impostores vocantur, ob id suspectos impietatis habeo, quod cum daemonibus colloquium [7]) serunt et ridicula seriis miscentes sacris devotionibus abutuntur, saepius tamen temere lascivientes a daemonibus corripiuntur aut acerbe cruciantur, ut septem illos exorcistas legimus in Actis [8]), cum daemonium [9]) in obsesso interpellarent his verbis: Adjuro vos per Jesum, quem Paulus praedicat, et respondit daemon: Jesum novi et Paulum scio, vos autem qui estis? Et irruens daemonium omnes ad furorem adegit.

OCTAVIUS: Memini, me apud Gregorium Pontificem Maximum legisse, presbyterum quendam a daemone correptum fuisse, cum sacram stolam puellae obsessae superposuisset. Et certe Origines in Matthaeum, daemones in obsessis interrogari summopere vetat.

TORALBA: Primus Hippocrates exorcistas ut impurissimos homines, qui prius sanctissimi putabantur ac divinissimi, scriptis dilaceravit, cumque rebus inanissimis ad expiationes uti videret, Deus, inquit, solus est nostra [10]) salus et liberatio. Ac tametsi tantus vir fuit, ut parem sua aetate habuerit [11]) neminem, nondum tamen ulla [12]) aetas perceperat, quantum inter morbum

---

1) Levitici 2, 13. Cf. Marci 9, 48. 2) Alius: sub arborem nucis Beneventanae; alius: sub urbem etc. 3) Alius: extitisset. 4) In libro de morbo sacro. 5) Alius: purgare. 6) Libro 1. de variis cognitionibus et l. 21. de decurionibus. 7) Alii: colloquia. 8) Actorum 19, 13. 9) Alius: daemonem. 10) Alibi: postea, vel: natura. 11) Alibi: paremque ..... habuit. 12) Alius: illa.

sacrum sive comitialem et daemoniacum furorem interesset. Posteri subtilius symptomata pleraque similia[1]), pleraque dissimilia animadverterunt, atque illud inprimis, quod qui morbo comitiali tenerentur[2]), per buccam spumam egerunt, non item daemoniaci. Hi foetidissimos[3]) halitus spirant, illi non item; hi[4]) vaticinantur vera falsis admiscendo, illi obmutescunt; hi daemonum arbitratu carpuntur et liberantur, illi non item. Ac si quis sortilegus in aurem insusurraverit haec verba: exi daemon, quia Ephimolei praecipiunt[5])! derepente daemoniaci quasi sopore intermortui concidunt, deinde paulo post resurgunt[6]) et[7]) ea quae procul gesta fuere, quasi praesentes affuissent, narrare consueverunt. Postremo, qui comitiali morbo laborant, nunquam[8]) linguis peregrinis utuntur, ut daemoniaci.

FRIDERICUS: Unum[9]) est quod medicos angit, quod morbis sortilegio datis nulla ratione mederi possunt, nec sortilegi morbis qui sine maleficio contingere solent, ut[10]) olim Philo Ebraeus et nostra aetate judices impietatis saepissime deprehenderunt. Utrum vero morbus maleficio an naturae imbecillitate contigerit, explorant sortilegi ferventis[11]) plumbi infusione in vasculum aegrotanti superpositum, et quidem Galenus, ubi de Homerica medicatione scribit, imperitos homines morbis curari[12]) verborum vi, eoque efficacius quo plus fidei adhibeatur. Vidimus enim, sortilegos non aliter curare posse ideoque[13]) prius haec verba ingerunt: Crede et sanaberis!

SENAMUS: Vereor, ut falsa pro veris habeamus, ut illi, quorum oculos sic fascinaverat ille, qui quadrigam foeno plenam una cum equis et quadrigario devorasse videbatur.

FRIDERICUS: Non dubito fascinum oculis fieri posse, aures tamen fascinum negant[14]), ut Graeca pro Latinis habeantur, nec tempestates ac procellas pro cadaverum Aegyptiorum rapina fictas, sed verissimas, hominumque ac navigiorum certos interitus excitari, perspicuum est.

CORONAEUS: Etiamsi demus, quadrigam illam devorari non potuisse, contra naturam tamen est, oculos praestringere fascino aut vecordiam injicere maritis, ne vel uxoribus copulari vel liberos suscipere possint.

SENAMUS: Ego substantiam omnem in corpus et spiritum dividi puto atque hujus generis angelos esse daemones, mentes cadaveribus ereptas. Quod si ita est, quî fit, ut incorporei daemones cadere aut caedi[15]) certisque[16]) locis ac sedibus ligari et constringi queant? nihil enim nisi corporeum constringi loco, nec nisi a corpore pati potest: sin daemones, angelos, mentes demus esse corporeas, etiam patibiles ac dissolubiles confiteri oportet ex

1) Desunt alibi haec duo verba. 2) Alius: compererentur. 3) Alibi: foedissimos. 4) Proxima sedecim sequentia verba desiderantur in aliis codicibus. 5) Alius emendandi gratia legit: Epileptici percipiunt. 6) Alius: exsurgunt. 7) Alius: ut; alius: etsi. 8) Alibi: numquid. 9) Alibi: Tuum. 10) Alibi: et. 11) Alius: ardentis vel furentis. 12) Alius: curare. 13) Alius: Ideoque. 14) Alius: fascinari nequeunt. 15) Alibi: cadi. 16) Alius: certisve.

illa Toralbae demonstratione, quae docuit, mundum vel ob id interiturum, quia corporeus sit.

TORALBA: Utrumque superius demonstratum esse confido, nihil sempiternum esse posse, quod non sit aeternum, nec rursus quicquam aeternum cogitari posse praeter primam omnium causam; quare ne angeli quidem suapte natura sempiterni futuri sunt, sed sola Dei bonitate sustinentur.

CORONAEUS: Explicandum igitur est, an daemones corporei sint, propter varias doctissimorum hominum inter[1]) se dissidentium opiniones.

TORALBA: Prospiciendum nobis est, opinor, quae quamque rem res sequantur[2]), ut[3]) cuique consentaneum sit; plurimum enim refert intelligere, utrum daemones corporei sint, ut[4]) plerique affirmant, angeli vero incorporei, ut[5]) uno vere consensu theologi tradunt, an vero et hi et illi corpoream naturam ad omnes opportunitates induant et exuant, cum sint incorporei, ut velle videtur Homerus, qui daemones παντοίους[6]) appellat. Nam si demus corporeos esse, multo magis mentes humanas, his cadaveribus ereptas, corporea natura constare concedendum erit. Sin putemus, angelos ac[7]) coelites omnes corpore vacare, ut Aristoteles, qui angelos formas separatas et intelligentias, coelestium orbium motrices, appellat, haec disputatio non ad physicam, sed ad metaphysicam spectabit.

CURTIUS: Non video quicquam ab Aristotele de mentibus separatis constanter definiri, sed Apulejus[8]), Porphyrius[9]), Jamblichus[10]), Psellus[11]), Plotinus[12]), Philoponus[13]), Ammonius[14]), Alexander[15]), Augustinus daemones corporeos esse, summa consensione[16]) affirmant. Id autem velle videtur Hesiodus hoc versu: Aëraque induti tota tellure vagantur. Orpheus sortilegorum pontifex daemones partim coelestes, partim terrestres, partim aëreos, partim aqueos, partim subterraneos, partim vagos et circuitores facit. Ex quo innuit, mentes tum coelestes, tum elementares corporeas esse, cum locus nisi corporibus convenire non possit. Daemon, inquit Plotinus, καθ' ὅσον δαίμων μετά τινος σώματος εἶναι δεῖ. Ac tametsi Augustinus angelos incorporeos esse scripserit, saepius tamen corpore constare oportet, ut affirmet: Constat, inquit, quod omnis spiritus sit corpus et spiritualis materiae. Item Damascenus: Omnia, inquit, quae creata, si cum Deo comparentur, crassum et materiale quoddam habent, solus autem incorporeus et sine materia est Deus. Basilius[17]) vero, qui angelos animalia vocat rationalia[18]), mentem loco[19]) vacare[20]) scribit, i. e. omnino incorpoream esse; caeteri tamen theologi non modo angelos, sed etiam daemones et mentes hominum incorporeas esse tradunt.

---

1) Tria haec sequentia verba desunt in alio codice. 2) Alius: sequatur. 3) Alii: quod vel quid. 4) Alibi: et. 5) Alibi: et. 6) Alibi: παντόπους. 7) Sequentia haec novem verba desiderantur in aliis codicibus. 8) In asino aureo. 9) In libro de abstinentia. 9) In libro de mysteriis. 10) In libro de anima. 11) In libro de anima et daemonibus. 12) Contra Alexandrum Aphrodisiam. 13) Contra Alexandrum Aphrod. 14) In libro de anima. 15) In libro de anima. 16) Alibi: contentione. 17) In Homil. de Paradiso. 18) Alibi: rationalem. 19) Alibi: vero. 20) Alibi: carere.

OCTAVIUS: Magnorum virorum auctoritas plurimum ponderis habet, ut fidem faciat omni opinione stabiliorem, sed ut pauci hoc vel illud [1]) assentiuntur, quia sic collibitum est, ita plerique argumentis ad assentiendum necessariis, quasi quaestione adhibita, cogi volunt [2]), ut omnem adepta scientia exuant [3]) opinionem, quae simul stare non magis possunt quam fides et scientia.

TORALBA: Si demonstratum erit, nullam praeter Deum essentiam incorpoream esse, illud etiam perspicuum erit, Dei solius essentiam esse infinitam, quod Joh. Scotus [4]) demonstrari posse negavit. Et certe acutissimus theologus demonstrationem de infinita Dei essentia sibi deesse confitetur. Illud tamen hac demonstratione de incorporea Dei natura consequimur, atque hoc amplius Thomistarum atque Averroistarum opinio valde perniciosa, quam [5]) Albumazar [6]) Maurus nimis pertinaciter tuetur, de una omnium hominum mente funditus subvertetur. Posuerunt enim, omnes mentes impiorum aeque ac piorum in unam et candem animam coire, quo nihil absurdius ac sceleratius dici potest. Postremo ex hac demonstratione, omnem scilicet substantiam, praeter Deum, corpoream esse, perspicua sunt [7]) supplicia improborum, quae ab Epicureis [8]) negantur, ob id tantum, quod nullam admittant actionem in corpora, nisi a corporibus ipsis, nec patibiles esse a corporibus incorporeas naturas arbitrantur.

CORONAEUS: Cedo igitur, Toralba, nisi molestum est, hanc quae tot utilitates complectitur demonstrationem.

TORALBA: Hoc igitur primum, si placet, statuamus: omnis substantia, quae maximi orbis ambitu [9]) coercetur, est finita. Mentes humanae, angeli, daemones orbe coelesti continentur, igitur sunt [10]) finiti, quia nihil infiniti orbe finito concludi potest.

CORONAEUS: Istud quidem sua luce perspicuum est.

TORALBA: Quidquid finitum usquam existit, terminos habet, quibus finitur, locum in quo [11]) concluditur, et [12]) nihil incorporeum terminis aut locis illis [13]) continetur, igitur angeli non [14]) sunt incorporei, cum suis sedibus ac terminis finiantur. Si non sunt incorporei, sequitur corpoream habere naturam, cum omnis substantia sit vel corporea vel incorporea; non hoc, igitur illud. Item illud [15]): omnis substantia, praeter Deum, habet finitam potestatem; omnis potestas finita terminatam habet substantiam [16]); ex quo sequitur, daemones, angelos, mentes quae desertis cadaveribus emigrarunt, terminatis sedibus coërceri, nec ubique, nec pluribus locis simul, eodem existere momento, ut [17]) nimirum [18]) illi ipsi, qui angelos vel [19]) mentes corpore

1) Alibi: huic vel illi. 2) Alibi: nolunt. 3) Alius: eruant. 4) Liber sententiarum IV, disp. 4. 5) Alibi: opiniones .... perniciosae, quas. 6) Alius false: Albumezor. 7) Alibi: sint. 8) Alibi: Epicuro. 9) Alius: circuitu vel sinu. Alibi: maximo orbe coeli. 10) Alii: sint. 11) Alius: locum etiam, quo. 12) Alibi: at. 13) Alius: ullis. 14) Deest in uno codice. 15) Deest in alio codice. 16) False alius: distantiam. 17) Alibi: et. 18) Alius: etiamnum. 19) Alius: et.

vacare putant, confitentur. Nam si eadem substantia finita duobus locis simul et semel existeret, etiam moveri et quiescere simul posset, contra perspicua philosophorum [1]) decreta [2]).

SENAMUS: Ut haec vera sint, nondum tamen video, quibus terminis ac finibus daemones concludantur.

TORALBA: Nullius substantiae fines aut termini cogitari possunt [3]) extra superficiem, superficies autem solius corporis [4]) propria; igitur omnis substantia finita ac terminata corporea sit oportet, alioquin esset infinita, quia tertium nihil est. Absurdum autem est, mentes humanas, daemones, angelos, qui mundi finibus ac terminis coërcentur, infinitos esse, alioquin finitis infinita concluderentur.

SENAMUS: Quid obstat quominus angeli, daemones, mentes humanae certa quadam et determinata sede, non tamen superficie conclusa coërceantur?

TORALBA: Ita quidem est eorum opinio, qui angelos, daemones, mentes separatas in loco esse confitentur, non tamen circumscriptive, ut eorum verbis utamur, sed definitive. Quae distinctio [5]) cum plerisque inanis videatur, nec definitive nec circumscriptive in loco esse voluerunt, sed [6]) effective tantum. Quae sententia quidem minus habet erroris, quam illa, quia non implicat [7]) ajentia simul et negantia, ut illa; sed hoc [8]) habet incommodi, quod angelos ac daemones loco dimoveri negat. Qua ratione nec bonis ad superos, nec malis [9]) ad inferos aditus pateret, quoniam ubique esse congruit tantum substantiis incorporeis.

SENAMUS: Vereor ut argumentum a [10]) te propositum consimile sit huic Aristotelis argumento: Si forma, inquit, non finitur ad materiam, extra materiam est infinita; quod [11]) non magis sequitur, quam si dicat quis: si corpus non finitur corpore, est infinitum, nam ista ratione supremus orbis, qui nullo finitur corpore, esset infinitus.

TORALBA: Clarius id explicabo: omnem substantiam, quae amplissimi orbis sinu coërcetur, finitam esse posuimus, id quod omnes confitentur; fines autem [12]) substantiae finitae nullos esse praeter superficiem, quae solius corporis propria est, quod geometricis principiis perspicuum est [13]). Item mentes omnes definitum habere ac determinatum locum, i. e. neque in quantumlibet maximo [14]), neque in quantumlibet minimo, sed exaequato [15]) suae essentiae finiri loco. Ex his ergo efficitur, mentes separatas et angelos corporea quadam natura coagmentari. Quare si demus, corpus illud esse spirituale, ut Paulus ipse et Damascenus loquuntur, corpus tamen erit, quantumcunque

---

1) Alius: physicorum. 2) Scotus liber sententiarum I, disp. 2, qu. 4. Damascenus lib. 2. 3) Alibi: posse. 4) Alibi: solis corporeis. 5) Alius: definitio. 6) Deest in aliis codicibus. 7) Alius: ampliat. 8) Alibi: id tamen. 9) Alibi: impiis. 10) Alius: abs. 11) Alibi: quia. 12) Alius: ac. 13) Alibi: quod geometricis est principium perspicuum. 14) Desunt haec sequentia quatuor verba in alio codice. 15) Alius: determinato.

subtile esse dicamus, nec cum alio corpore ejusdem naturae magis esse poterit[1]), quam aër subtilissimus cum aquea terreave natura.

SENAMUS: Adeone discrepat a natura, quicquam incorporeum esse in loco, cum puncta incorporea ipsaque accidentia suis quaeque sedibus ac locis contineantur?

TORALBA: Tu, Sename, agis de punctis et accidentibus, quae quod per se ipsa et sine corporibus nullam habent hypostasim, nunquam[2]) per se, nec ullo loco existere possunt et ne moveri quidem nisi ad corporum agitationem. Hic autem[3]) agitur de substantia, puta de angelo, de mente cadaveri superstite, quam finitam esse fatentur, incorpoream tamen statuunt, quod nullo ingenii humani captu fingi potest, nisi demus ajentia et negantia esse vera, quia substantiam illam, quam incorpoream fingunt, uno tantum loco statuunt, eoque definito, extra quem nihil sui reperiatur, nec ubique esse volunt, vel suam habere circumstantiam, vel ut eorum verbis utamur, suam ubietatem, ut si quaeramus[4]), ubi est angelus? responderi possit: in coelo vel in terra, non tamen utroque in loco, sed illic tantum, ubi sit ejus actio vel perpessio, nec usquam alibi. Loco tamen circumscribi, locum mutare negant, cum vel a superis locis ad inferos praecipites deturbantur, vel ab inferis praecipites ad superos revolant. Ex quo sequitur, utrumque pronunciatum verum esse: angelus est in coelo, angelus non est in coelo, quae[5]) cum tota natura pugnant. Quid autem est aliud, locum definire, quam loci terminos corpori[6]) circumscribere? Quodsi loco definiri vel circumscribi sunt eadem, etiam in loco esse circumscriptive et definitive eadem erunt, quod Damascenus duobis locis[7]) fatetur. Itaque Thomas[8]) repudiatis superiorum definitionibus[9]) angelum in loco esse scripsit non ratione[10]), sed applicatione, quem Scotus refellens angeli praesentiam ante rationem[11]) necessariam esse concludit et quidem in loco commensurative; sic enim loquitur, quoniam nec ubique nec in loco quantumlibet maximo, nec minimo, sed suae substantiae exaequato, quo nec majorem queat occupare, nec minorem. Ex quibus etiam illud sequitur, descensum et ascensum separatis mentibus necessario tribuendum. Quicquid autem movetur a loco in locum, corporeum esse oportet, quia prius transit[12]) spatium se ipso minus, deinde spatium sibi aequale, antequam in spatium se[13]) majus decurrat. At substantia incorporea inanisque, quia nihil incorporeum magnum aut parvum dari potest, itaque necesse est, quaecunque moventur, corpora esse confiteri. Item motus omnis fit in tempore, et quovis tempore minus recipiendum erit, quo minus mobile moveatur. Igitur omni mobili accipietur in infinitum aliquod[14]) minus mobile, ex quo fit, ut nihil incorporeum aut divisibile moveri possit. Item motus

1) Deest in aliis codicibus. 2) Alius: nusquam. 3) Alius: enim. 4) Alius: quaeratur. 5) Alibi: quia. 6) Alibi: terminis corpora. 7) Lib. 2 cap. 13. 16. 8) Parte I, qu. 8, art. 1. 9) Alius: distinctionibus. 10) Alii: actione. 11) Alius: actionem. 12) Alius: transilit. 13) Alius: sibi. 14) Alius: aliquid.

successio, quae in motu intercipitur, sit resistentia mobilis ad [1]) moventem, vel intervalli ad mobile vel motoris ad intervallum. At nulla resistentia esset in angelo, si esset incorporeus, non enim resisteret intervallo, nec intervallum illi, nec sibi ipsi ut motori. At nullo humanae mentis captu cogitari potest, ut ab extremis ad extrema sine decursu intervalli medii perveniatur. Quare si locus, si corpus, si spatium divisibile est, angelos quoque, mentes humanas, daemones corporeos ac divisibiles esse oportet, contra quam illi et scribunt et sentiunt.

SENAMUS: Cur igitur Peripatetici tam anxie a physicis metaphysica dividunt, cum physicorum argumentum omne circa [2]) corpus naturale esse velint, metaphysicis vero tribuant substantias ab omni corporum oneratione [3]) liberas, quo [4]) verbo separatas mentes atque intelligentias contineri tradunt?

TORALBA: Graviter certe peccatur ab iis, qui [5]) metaphysica physicis conturbant, i. e. naturalia divinis, nisi ut ex aliis alia melius intelligantur. Nullum autem metaphysici argumentum praeter primam causam incorpoream esse potest. Nam cum Aristoteles Platonis [6]) ideas locis omnibus evertere conaretur, quod hypostasim nullam in natura [7]) haberent, intelligentias tamen seu mentes separatas in natura incorporeas statuit his verbis [8]): An, inquit, ad physicam pertinet, de omni anima disputare? an vero de ea tantum, quae materia vocatur [9])? Hoc postremum tam absurdum visum est Alexandro Aphrodisiensi, ut nullam omnino substantiam corporis expertam affirmaret. Recte ille quidem, si primam causam excepisset, quam ob id incorpoream esse oportet, quia sit infinita.

OCTAVIUS: Argute quidem, Toralba; sed me scrupulus angit, quod cum angelus particula quaedam sit et quasi scintilla divinae mentis illius ac aeternae, qui fit ut corporea mens ex incorporea natura existere possit?

TORALBA: Assumis tu quidem, Octavi, quod in quaestione positum est, an scilicet mens humana sit particula divinae mentis, ut quidem video placuisse nonnullis, qui Plotinum auctorem citare [10]) non dubitant, quod hominis mentem ὁμοούσιον esse dixerit ipsi Deo. At [11]) ne ὁμοιούσιος quidem est, tantum abest ut sit ὁμοούσιος. Falsum item, quod Arrianus ad Epictetum scribit, quem [12]) ad hominem ita loquentem inducit: Tu delibatio [13]) Dei habes in te ipso partem illius: σὺ μὲν ἀπόσπασμα εἶ τοῦ θεοῦ, ἔχεις τε ἐν σεαυτῷ μέρος ἐκείνου. Longe aliter Trismegistus ad Asclepium: Mens, inquit, non est abscissa de substantia Dei, sed [14]) explicata, ut lux solis. Nam [15]) si angelus, si humana mens ab essentia Dei decerpta esset, i. e. si particula Dei esset, Deum corpus esse oporteret, quod absurdum esse omnes confitentur. Item

1) Sequentia haec sedecim verba desunt in alio codice. 2) Deest alias. 3) Alii: concretione. 4) Alibi: quae. 5) Alibi: quod. 6) Alius: Platonicas. 7) Alius: naturam. 8) Libro ultimo de nat. anim. 9) Alius: vacat. 10) Alibi: ciere. 11) Desiderantur haec decem sequentia verba in alio codice. 12) Alibi: cum. 13) Alius: deliberatio. 14) Desiderantur haec viginti sex verba in alio codice. 15) Alibi: Non.

totus homo Deus esset; totum enim esse necesse est, cui pars detrahi nequit. Item Dei natura divisibilis ac dissolubilis esset, si partes haberet; itaque litterae sacrae mentem hominis non Dei substantiam, sed spiraculum appellant i. e. רוּחַ [1]) et imaginem, non partem illius, quae nulla in natura divina incorporea fingi potest.

SALOMO: Sapienter illi quidem, qui a Dei natura corpus omnino [2]) sejunxere, id enim praecipuum caput est symboli nostri.

SENAMUS: Quid igitur hoc sibi vult [3]), Deum esse ubique? Etsi enim ubique est, est in loco, si in loco, etiam corporeum esse oportet.

FRIDERICUS: Deus ubique est et [4]) nusquam est.

SENAMUS: Igitur contradictoria simul vera sunt: si Deus est hic, Deus non est hic.

CURTIUS: Nos, inquit Augustinus, credimus ubique Deum esse praesentia, essentia, potentia, in omni loco sine circumscriptione, in omni tempore sine mutatione.

OCTAVIUS: Rectius [5]) et optime, opinor, Chrysostomus, qui, quomodo Deus ubique sit, capere se non posse confitetur.

SALOMO: Recte ille quidem, etenim Deus de se ipso loquens: Ego, inquit, coelum et terram impleo. Item: Coelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum [6]).

SENAMUS: Haec ad potentiam ejus infinitam pertinere videntur, non ad essentiam, ut Helias Thesbites his verbis innuit [7]): Deus, inquit, non est in aëre, non est in commotione, non est in igne; alioquin creatoris et creaturae una esset et eadem essentia, si utraque promiscue confunderetur, idem etiam creatoris et creaturae cultus haberetur. Ob id Deus altissimus, h. e. Eljon, עֶלְיוֹן appellatur, quia in coelis est. Et ab interpretibus Hebraeis Deus מָקוֹם, i. e. locus beatorum [8]), quia mundus in Deo est, non autem Deus in mundo vastissimo quidem, sed prae illa essentia infinita corpusculo exiguo; non quia mundi aditu excludatur, sed ut intelligamus, nulla mundorum innumerabilium capacitate includi aut illius purissimam et incomprehensibilem essentiam cum rebus foedis, fluxis ac caducis permisceri. Est enim mundus usquequaque corporum plenissimus, nec quicquam in natura [9]) vacuum. Quis autem et qualis sit Deus, (quanquam in eo nulla sit qualitas), mortalium nemo, quamdiu spirabit [10]), intelliget. Nam Mosi roganti, ut se Deus illi contuendum exhiberet: Nemo, inquit Deus, vivens Deum videbit, i. e. plane cognoscet. Ac propterea dicitur in atra caligine versari et in tenebris latibula sua posuisse, h. e. obscurissimam et difficillimam ejus cognitionem videri hominibus in caligine densissima constitutis, cum ipse lucis auctor omnia suo compleat splendore. Ac tametsi praeclarum est, ejus omnia

---

1) Alius: נְשָׁמָה 2) Alibi: omne. 3) Alius: haec sibi volunt. 4) Alibi: ut. 5) Alibi: Modestius. 6) Jeremiae 23, 24. Jesaiae 66, 1. 7) 3 Regum 19, 11 sqq. 8) Alius: vocatur. 9) Alius pro his duobus verbis: materia. 10) Alius: scrutabitur.

opera, dicta, facta, leges praedicare et crebris canticis usurpare, nihil tamen est, quo verius vel melius, quam contemplantis silentio laudari possit. Ac propterea David [1]) illud sapienter usurpat: Tibi silentium laus! Quod vulgaris interpretatio non explicat his verbis: Te decet hymnus Deus in Sion. Sic enim voces hebraicas לְךָ דֻמִיָּה תְהִלָּה erudite Rabbi Moses interpretatur, ut etiam Chaldaeus paraphrastes: Coram te, inquit, laus reputatur silentium; quia Deus, quis qualisque sit, nullo sermone explicari aut ne cogitatione quidem capi potest.

CURTIUS: Illud quidem symbolo Pythagoras significat, cum silentio Deum laudandum esse ac puro animi affectu jubet colendum, quia sermo ipse inquinatus est nec veras Dei laudes assequi potest. Quod silentium Porphyrius et Jamblichus sic interpretantur, quando pura mens hominis in ecstasin divini amoris sublata immortali Deo mactatur, quod veteres in sacrificiis significabant, cum dicerent: Favete linguis! vel ut Homerus: Praecidite linguas, τέμνετε γλώσσας, ut rerum sublimium ac divinarum contemplatione sursum corda raperentur, supra coelos omnes, ubi Dei [2]) essentia ab omni mundi cogitatione disjuncta versatur. Id autem tum maxime fit, cum Dei agnoscendi causa potentiam ejus, bonitatem, sapientiam atque illius omnia dicta, facta, judicia, res-gestas discutiendo, immensa rerum admirabilium ac sublimium infinitate perterriti silemus.

TORALBA: Ego tamen silentio rupto laudes immortali Deo canere nunquam desistam, et quidem Heroicis numeris:

Me tua gestarum rapit ingens gloria rerum,
O Deus omnipotens! procul hinc peregrina deorum
Turba fugit fictaeque simul pietatis imago.
Angelici properate chori, properate poëtae,
Quotquot mente pia sacratum nomen adorant,
Ac Domini laudes puris efferte [3]) labellis!
Ast ubi [4]) verborum vis ac sapientia tanta,
Quae mare, quae terras, quae coeli temperet orbes
Legibus aeternis, percurrens cuncta momento?

CORONAEUS: Tenemus igitur Deum extra mundi concretiones et contagiones, sedem suam posuisse supra quicquid est coelorum, ut etiam visio Ezechielis ac prophetarum LXXII, quos de spiritu Mosis Deus afflaverat, aperte declarat.

SALOMO: Apertius tamen significatur hominis conditione, quem Deus ad imaginem sui creavit, quod Rabbi Moses sic interpretatur, quod [5]) quemadmodum intellectus agens seu adeptus [6]) extra hominem et ab hominis concretione liber est, sic etiam Deus a mundi [7]) concretione et contagione liber sit.

---

1) Psalm. 64, 2. 2) Alibi: mundi. 3) Alius: afferte vel offerte. 4) Alius: Est ibi; alii: Est ubi. 5) Alius: ut. 6) Alibi: occupatus. 7) Desunt alibi haec tria sequentia verba.

CORONAEUS: Habemus Toralbae demonstrationem, non modo de angelorum ac daemonum corporea natura, verum etiam praeter Deum nullam substantiam incorpoream esse; sed quaeri possit, an daemonum et angelorum cum mentibus humanis essentia sit eadem?

CURTIUS: Puriorem esse angelorum quam daemonum essentiam et corpora lucidiora, docet Augustinus [1]: Angelis, inquit, malis mutata sunt in casu corpora in deteriorem qualitatem aëris spissioris. Idem: Tenuia, inquit, angelorum corpora in deteriora ac spissiora transformata sunt, quibus ab igne pati possint.

TORALBA: Porphyrius in antro Homerico scribit, angelos ac daemones aëreo corpore constare ac vestiri, ut ab ignibus patiantur, idque affirmans Philoponus [2]: Alioquin, inquit, intellectualis natura [3] nihil pateretur.

SENAMUS: Si nulla sunt organa sensuum, nulla visus, tactus, gustus instrumenta et ne ulli quidem in aëre nervi, a quibus sensum haberemus, nullum cerebrum, unde nervi oriuntur; quonam modo aëreae mentes ab ignibus paterentur? Item si mentes humanae ignea constant natura, ut ille [4] innuit hoc versu:

Igneus est illi vigor et coelestis origo,

nihil ignis ab igni pati potest. Multo minus si aërea compage coalescunt; alioqui totus aër quantus est, pridem flammis consumtus interiisset. Sin mentes separatae aquea constant natura, flammas potius exstinguerent, quam ignium vim sentirent.

OCTAVIUS: Vetustissima est opinio, animas ignea [5] constare natura, ac propterea Synesius in epistola quadam ad Cyrenesium pontificem eos, qui extrema naufragia extimuerant, siccas exeruisse [6] vaginas [7] scribit, ut animam, ne mergeretur [8]), ejicerent, idque ab Homero significari, ac propterea Philostratum scripsisse, nunquam ante Ajacem Oïleum, qui submersus interierat, demersis hominibus parentari consuevisse. Inde vox Sibyllae ad Palinurum [9]:

Tu Stygias inhumatus aquas amnemque severum
Eumenidum inspicies ripamve injussus [10] adibis?

Num igitur Philo [11] verius, qui daemones appellat chorum corporis expertium animorum, aut cur Ebraei animam, quae corpori superstes evolavit, viduam appellarent, si alio adhuc [12] corpori conjuncta esset, cadavere priori deserto? Neque enim recte diceretur mens vidua, si relicto cadavere alteri corpori quasi secundis nuptiis copularetur.

FRIDERICUS: Si Senami argumentum necessarium esset, quo sensibus animas, daemones, angelos vacare concludit, ne Deus ipse quidem audiret

---

1) In Genesin cp. 8. 2) Contra Alexandrum Aphrodisium. 3) Alius: ratio. 4) Virgilius Aen. VI. 5) Alibi: igne. 6) Alibi: exemisse. 7) Alius: siccâ evasisse vaginâ. 8) Alius: mergerentur. 9) Virg. Aen. VI. 10) Alius: invisus. 11) In libro de mundo et in libro: quod somnia mittantur a Deo. 12) Alibi: ad haec.

aut videret. Quid autem stupidius [1]), quam eum, qui mirabili aurium et oculorum fabrica visum et auditum brutis etiam animantibus indidit, coecum et surdum arbitrari, quia sic oculis, auribus ceterisque sensuum careat instrumentis? At nemini dubium esse opinor, quum angelorum ac daemonum voces ab aliis, qui daemones πχρέδρους [2]) i. e. domesticos habeant, audiantur, quos tamen his sensibus carere fatentur. Quin etiam daemonum voces mox acutae et graciles, mox etiam graves et terribiles videntur [3]), et quasi ex utre [4]) verba facerent. Inde ab Ebraeis malus daemon ob id אוֹב appellatur [5]) ab utre. Memoria subit Hermolai Barbari Patricii, qui ab hac civitate exilio pulsus est, quod legatus Romam missus a summo pontifice cardinalis honorem injussu senatus acceperat. Is cum entelechiae vocem in animi definitione non satis intelligeret, placuit daemona πάρεδρον, quem cum Georgio Placentino quaestionis arbitrum receperat, interrogare; hic voce tam gracili ac tam obscure [6]) respondit, ut quid vellet nullo modo intelligi potuerit.

TORALBA: Non sunt igitur ad vocem articulatam necessarii pulmones, larynges, lingua, palatum, sed confitendum est, vim sensuum [7]) aliam esse in Deo, aliam in coelo, aliam in angelis ac daemonibus, aliam in animantibus.

OCTAVIUS: Si nullus esset sensus in mentibus separatis, nulla essent supplicia sceleratorum, ac praemia [8]) quaeque bonorum jacerent.

SALOMO: Illud abs te, Sename, scire cupiam, num saepius in somniis sola mente, oculis conclusis ac sensibus omnibus stupefactis, rerum imagines videris [9]) perinde ac si oculos apertissimos haberes [10])? Quod quidem si fateris, cur dubitas aciem mentis, quam oculorum, ad contuendum acutiorem confiteri? Ac M. Tullius non minus eleganter quam vere scripsit, mentes ipsas tum maxime sentire ac vigere, cum e corporibus excessissent.

CORONAEUS: Frustra res antea perspicue demonstratas a calce ad caput [11]) revocaremus: nam ex illis Toralbae demonstrationibus deque corporea daemonum ac animorum natura, hunc etiam fructum decerpimus, quod Thomistarum [12]) ac Averroistarum perniciosa opinio diluitur; posuerunt enim, unam esse omnium animam in singulos homines diffusam ac rursum occasu cadaverum segregatam in sese coire. Ita argumenta illa triginta, quae ad stabiliendum hunc errorem Averroistae denotant, uno ruunt et eodem momento, quibus tamen satis apte fieri non poterat ab iis, qui animos corporum expertes esse posuerunt, quoniam substantiae incorporeae, si ullae existerent, facile [13]) avulsae a corporibus coirent in unum, corpora vero ut se ipsa penetrent, fieri nullo modo potest. Restat igitur, ut intelligamus, quemadmodum ex ea demonstratione Dei essentia et potestas infinita [14]) colligatur, quod superius Toralba demonstraturum se, ni fallor, spopondit.

---

1) Alibi: turpius. 2) Alius: παροίκους. 3) Alius: videantur. 4) Alius: aëre. 5) Levit. 20, 27. 6) Alibi: obscura. 7) Alius: sensitivam. 8) Alius: gaudia. 9) Alibi: videri possint. 10) Alibi: quis haberet? 11) Alius: carceres. 12) Themistianorum. 13) Alius: facillime. 14) Alius: indistincta.

TORALBA: Dixi quidem, ut ille in re levissima, sed non promisi. Quis enim hoc sibi aut alteri promittere se posse confidat? Obsequor tamen Coronaeo, cui nihil denegari potest; ineptus enim malo, quam non obsequens videri. Omnis substantia corporea est finita, cum incorporea nullis terminis coërceatur. Quae autem substantia nullis finibus concluditur, infinita est. Hoc enim corollarium ex superioribus [1]) demonstrationibus colligitur. At omnium theologorum et philosophorum summa consensione prima causa est incorporea, igitur sola est essentia infinita; si [2]) essentia est infinita, et potestas et bonitas et sapientia est infinita. Quia si vis finita subjecto infinito congrueret, etiam visin finita subjecto finito conveniret, et creatura finita infinitae potestatis esset. Absurdum consequens, igitur et antecedens. Ex eo sequitur, nihil in Deo infinito finitum cogitari posse. Hoc amplius scilicet, si Deum solum simplicem esse, cum omnia corporea ex partibus coalescant, ac propterea Deum solum impatibilemet indissolubilem esse, contra quam usuvenit substantiis compositis, quae ex iis constant in quae dissolvuntur, et in ea ipsa dissolvuntur, ex quibus conflantur. Id autem quod simplex est, in partes, quas nullas habet, dividi aut in alia principia dissolvi nequit.

SENAMUS: Si Deus est incorporeus, quid est quam ob rem aures, oculi, nasus, digiti, pedes, brachia, facies ei tribuantur?

SALOMO: Etiam ira et furor saepissime, an propterea iracundum et furiosum esse dicemus? Sed nutrices et parentes oportet cum infantibus balbutire et ad Deum humana transferri, quando ad homines divina traduci non possunt. Illud autem animadversione dignum, quod cum caeteri sensus Deo tribuantur, nunquam tamen gustus et tactus, quia corpori semper inhaerent, nec sine corporibus sensibilia tactus et gustus percipi queant, ut caetera sensibilia, ut magis ac magis appareat, Deum plane incorporeum esse. Angelus autem si incorporeus esset, ut Aristoteles cum plerisque theologis opinatur, ejus substantia existeret omni in loco et extensionem infinitam haberet et [3]) essentiam, quin etiam intelligentias ac daemones unum et idem cum Deo esse oporteret atque ita bona malis, aeterna caducis, fluxa sempiternis, purissima foetidissimis, Creator denique creaturis promiscue confunderetur. Quae non modo absurda, sed dictu nefaria sunt. Ita quoque si angelus aeternus esset, nunc haberet totam durationem, quam habiturus est [4]), et ut pinguius loquamur, formaliter infinitam [5]). Illud enim philosophorum ac theologorum consensione constat, esse et posse in essentia divina nihil differre; item esse, fuisse et fore in rebus aeternis unum idemque haberi, quia nec prius nec posterius est in Deo, ut rectissime Rabbi Moses [6]) scribit. Idem autem significat Jesaias [7]), cum utrique angelo seraphino sex alas fuisse scribit ac duabus quidem faciem tegere, duabus pedes, reliquis

1) Alibi: supremis. 2) Desunt haec duodecim sequentia in aliis codicibus. 3) Deest in alio codice. 4) Alibi: esset. 5) Alibi: nisi vitam. 6) In libro More nebochim. 7) Jesaiae 6, 2 et 6.

volare, ut intelligamus, angelos ortum habuisse et occasum habituros, tametsi hominibus utrumque sit ignotum, Deum vero solum principio et fine et omni temporis successione carere. Nam ubi est successio, ibi est novatio ac mutatio, ut angelus se habeat aliter quam prius, quoniam non angelus habet, quod praeteriit, et exspectat, quod futurum est, igitur mutabilis ac propterea terminum habiturus. Nisi enim aliud atque aliud esset in motu, ne in tempore quidem prius ac posterius perciperetur. Motum autem angelis inesse, perspicue Toralba demonstravit; id enim sacris litteris saepe significatur, quae non modo angelis motum inesse, sed etiam motus [1]) celeritatem ac pernicitatem significant, cum alas quatuor sexve angelis tribuant, quod satis innuit, mutabilem esse [2]) ac dissolubilem eorum naturam.

CORONAEUS: Habemus igitur perspicuam minimeque dubiam demonstrationem de potestate atque essentia Dei, omnibus modis infinita, eumque solum aeternum esse, αἰώνιον, ἀπέραντον, ἄναρχον, angelos vero, daemones, mentes corporeas esse ac finitas, suaque natura mutabiles ac solubiles. Quae aditum aperire mihi videntur ad ea, quae de actionibus daemonum, de funambulis elephantibus, de arboribus et brutis loquacibus, de sagarum transvectionibus feruntur.

SENAMUS: Prospiciendum nobis est, opinor, ne pro argumento capiamus id ipsum [3]) quod in quaestione positum est, scilicet ea miracula quae spectantur a daemonibus cieri. Neque etiam si demus, corporeos esse daemones, propterea sequitur, transvectiones sagarum veras esse.

TORALBA: Quod nec a natura nec ab hominibus fieri potest [4]), id vel a Deo vel ab angelo vel a daemonibus fiat [5]) oportet. At neque per naturam neque per hominum gestionem transvectiones illae sagarum [6]) per aëra [7]) fieri possunt; igitur a Deo vel ab angelis daemonibusque fieri necesse est.

OCTAVIUS: Post mundi conditionem [8]) Deum ab omni actione conquievisse docemur, nec quicquam nisi causis intercedentibus agere; quanquam de rebus tam arduis et ab hominum sensu et captu remotis quicquam [9]) statuere valde periculosum mihi videtur.

TORALBA: Si Deum mobilem fatemur, et patibilem et mutabilem confiteri oportet; hoc absurdum, illud igitur. Sed ut angelorum ac [10]) daemonum actiones melius intelligantur, demonstrandum est, primam causam non solum immobilem esse, sed ne moveri [11]) quidem, contra quam [12]) putat Aristoteles, qui aeterno motu Deum obligavit.

CORONAEUS: Age igitur, Toralba, uti facis, ea quae vagis minutorum philosophorum erroribus jam pridem implicata sunt, explicare.

---

1) Deest in aliis codicibus. 2) Deest in aliis. 3) Deest in alio codice. 4) Alius: possit. 5) Alibi: fieri. 6) Alius: hominum. 7) Tria haec antecedentia verba desunt in alio codice. 8) Alius: creationem. 9) Alius: quicquid. 10) Desiderantur haec quinque sequentia verba in aliis codicibus. 11) Alius: movere. 12) Alius: quam.

TORALBA: Inveteratus Aristotelis error plerosque fefellit, qui si acutius mobilium ac moventium ordinem intuerentur, a suscepta sententia discessissent. Quaedam enim moventur tantum ut materia, quae quasi faex [1]) omnes motus patitur, nec tamen movet ipsa; quaedam tantum [2]) movent et [3]) moventur, ut forma et corpora naturalia; quaedam movent nec moventur, ut primus motor, qui movet quidem primum mobile, nec movetur tamen. Hoc ordine mobilium et moventium posito, necesse est, aliquod [4]) extremum esse, quod nec moveat nec moveatur. Id autem est prima omnium mobilium ac moventium causa, quae perfruitur [5]) quiete sempiterna.

OCTAVIUS [6]): Pulcherrimus quidem hic ordo mobilium ac moventium; non video tamen, ut sit necessarius.

TORALBA: Non desunt aliae demonstrationes, quibus necessario conficitur [7]), primam omnium causam nec moveri nec movere.

CORONAEUS: Cedo igitur, nisi molestum est, cum in re tanti ponderis ac momenti omnia nos tentare oporteat, ut sit [8]) quo Epicurei efficacibus argumentis et ad assentiendum necessariis refellantur.

TORALBA: Tam absurdum est, essentiam infinitam finito corpusculo ad finitum modum adjungere, quam vim infinitam finitae naturae tribuere, cum sit eadem contrariorum disciplina. At ineptum est et ab omni ratione alienissimum, vim infinitam tribuere corpori finito; igitur ineptum quoque, essentiam Dei infinitam corpusculo, mundo finito copulare. Atque illud quidem Averroi tam incongruum visum est et abhorrens a natura, ut Aristotelis sententia repudiata secundae causae tribueret primi mobilis conversionem. Idem tamen hic sui [9]) oblitus mundum aeternum statuit, qua quidem ratione causam secundam, quam finitam esse fatetur, aeterno (id est infinito) motui [10]) alligavit, et eodem relabitur, quo [11]) Aristotelem delapsum criminibatur.

CORONAEUS: Haec quidem demonstratio non minus efficax [12]) est ad convellendam Aristotelis et Averrois de mundo aeterno sententiam, quam superior illa de corporea daemonum et angelorum natura. Deum autem motorem inquietum [13]) statuere, non modo a natura divina, sed etiam ipsius Aristotelis scriptis inter se dissidentibus alienum est. Deos, inquit [14]), arbitramur felices ac beatos, sed cum nullis actionibus impediantur, nec Endymionis in morem [15]) dormire consentaneum sit, relinquitur [16]), ut contemplatione aeterna fruantur. Si Aristoteles Deum contemplatione, quae a motu quam [17]) longissime abest, si quiete beata perfrui [18]) arbitratur, cur illum irrequieto motu fatigat? Dicitur enim post mundi creationem [19]) conquievisse, quid a

---

1) Alius: sex. 2) Alius: vero. 3) Haec sequentia undecim verba desunt in alio codice. 4) Alius: aliquid. 5) Alius: perfinitur. 6) Deest in alio codice. 7) Alius: conficiatur. 8) Alii: si. 9) Deest alibi. 10) Alius: motu. 11) Alius: unde. Ceterum haec sequentia Toralbae verba in aliis codicibus desunt. 12) Alibi: minimae efficaciae. 13) Alii: irrequietum. 14) Lib. 10 Moralium ad Eudemum. 15) Alius: in modum. 16) Deest in alio codice. 17) Deest in eodem codice. 18) Desunt haec sex sequentia verba in eodem codice. 19) Alius: conditionem.

mundo alienius, quam quies? Quae quum ita sint, consequens est, coelos[1]) per sese et a forma sibi insita aut ab angelis moveri.

OCTAVIUS: Video nos sensim a metaphysicis ad physica delapsos, siquidem demonstratum est, angelos, daemones, mentes humanas corporea coagmentatione vigere, nec ullam omnino essentiam praeter Deum incorpoream existere.

TORALBA: Omne metaphysici argumentum ac subjectum ad essentiam incorpoream spectat. Caetera quia[2]) corpora naturalia sunt, physicorum propria dicamus. Angelorum tamen aut daemonum actiones, quae voluntariae sunt, quis ad naturam pertinere dicat? Perinde non[3]) est, ac si quis putet, liberas hominum actiones a voluntate profectas[4]) naturales esse, tametsi homo, quatenus corpus naturale, physicorum subjectum erit.

CURTIUS: Ambigit Aristoteles de mente humana, cujus disputationem a physicis libris retraxit[5]).

TORALBA: Succurrit in mentem Helvetii cujusdam opinio, qui eleganti nomine se Theophrastum Paracelsum appellavit, qui medicorum omnium decretis a stirpe revulsis nova somnia invexit, summa doctorum virorum consensione repudiata, quibus etiam illud subrogavit, daemonum actiones naturales esse.

CORONAEUS: Statuendum igitur prius est, quae naturalis actio dici mereatur.

TORALBA: Actio naturalis esse non potest, quae vel a Deo, nullis causarum inferiorum interjectis opibus, vel ab angelo vel a daemone vel a divinae[6]) voluntatis arbitrio vel denique casu fiat. Casum appello plurium causarum concursum ad effectus inopinatos: caetera, his exceptis, naturâ fieri dicemus.

FRIDERICUS: Nemo certe, nisi demens, arbitratur[7]) hominis ascensum in coelum, aut per aëra volatus sagarum naturales esse, cum id potius fiat repugnante natura, quae gravia[8]) deorsum impellit, nisi quid fuga[9]) vacui sequatur, ut cum e lacubus[10]) aqua pluvialis sursum abripitur, tunc enim gravia sursum, leviora[11]) deorsum feruntur, ad universitatis totius incolumitatem.

CURTIUS: Ego mundum hunc[12]) perinde ac rempublicam ad illius reipublicae mundanae imaginem temperari oportere statuo, vel potius nostram civitatem exemplar esse debere illius exemplaris et archetypi mundanae civitatis. Nam qui universitatis ordinem penitus perspexit, suae civitatis statum multo melius temperabit. Et quemadmodum in republica bene constituta sunt quaedam majestatis et imperii perpetuae leges, quaedam vero[13]) per varia

1) Alius: coelum. 2) Alius: qui. 3) Alius: enim. 4) Alibi: perfectas. 5) Alius: litteris detraxit. 6) Alius: humanae. 7) Alius: opinatur. 8) Alius: graves. 9) Alibi: nisi prius fuga. 10) Alibi: vel cum elicibus. 11) Alius: levia. 12) Addit alius codex: a Deo. 13) Additur alibi: quae.

tempora ac rerum opportunitate mutantur, item ordinarii quidam sunt magistratus lege creati ad jurisdictiones, ad aerarii tutelam, ad sarta tecta civitatis, ad annonae procurationem, ad salutis publicae curam, item ministri magistratuum locis omnibus dispositi, ad exsequenda principum ac magistratuum jussa: ita quoque consentaneum est, providum naturae parentem Deum leges quasdam perpetuas et inviolabiles sanxisse, ratos scilicet orbium cursus ac recursus, quorum tanta constantia est, ut ab ortus sui primordio ne momento quidem aberraverint a tramite. Nec dubium est, quin angelos quasi principes in coelo, his inferiores in elementis collocarit, alios ad obeunda sacra, qui quasi sacrifici mentes puriores ac sanctiores, velut hostias, Deo immortali sacrificant ac vota precesque offerunt [1]), quosdam civitatibus ac imperiis praepositos, quos Graeci [2]) κοςμαγωγοὺς, Latini Deos tutelares appellabant ac persuasum habebant, non prius civitates expugnari aut capi posse, quam tutores illos ac praefectos urbium votis ac supplicationibus evocarent [3]), quo pertinet illud: Excessere Dii, quibus hoc imperium steterat.

FRIDERICUS: Civitatum moderatores ἀγγέλους, δαίμονας vocat Plato [4]), κατὰ τόπους ὑπὸ ϑεῶν ἀρχόντων πάντα τὰ τοῦ κόσμου μέρη διειλημμένα.

SALOMO: Illud arcanum, ut optima quaeque [5]), Plato ab Ebraeis acceperat; sic enim in sacris litteris legimus, Deum terminos ac fines populorum pro angelorum numero statuisse; nec dubitandum est, angelorum partem coelestibus, partem elementis, partem hominibus praefici, alios quidem ad praemia bonorum, alios ad supplicia impiorum. Huc enim pertinet carmen illud Davidis [6]): principes populorum congregati sunt cum Deo Abrahami, quoniam in Deum intenti sunt tutores terrarum. Id enim proprie [7]) significant haec verba מָגִנֵּי אֶרֶץ, quos eodem versu נְדִיבֵי עַמִּים principes populorum appellat. At tametsi [8]) Plato a Diis praefectos [9]) scribit, horum tamen omnium ducem ac principem exercituum daemonum ac Deorum ter maximum Deum appellat, cujus currum caeteri consequantur: ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἔχει, τῷ δὲ ἕπεται στρατιὰ ϑεῶν τε καὶ δαιμόνων. Quod idem a Davidis odis expressum est hoc versu [10]): currus Dei exercituum multiplex viginti millia laetantium. Quem locum sic reddidit Chaldaeus paraphrastes: currus Dei viginti millia ignis ardentis, duo millia angelorum ducunt illos, divinitas Dei est [11]) super illos, ut intelligamus, Deum placida quiete fruentem angelorum ac daemonum ministeriis ac obsequiis uti.

CURTIUS: Illud etiam in natura videmus, quod in republica, bene constituta scilicet, leges interdum mutari ac pro curatoribus [12]) ordinariis extraordinarios constitui, idque ad reipublicae salutem. Ita quoque naturae

---

1) Alius: afferunt. 2) Alii: Proclus. 3) Evocatio est apud Curtium lib. 2. 4) In politicis. 5) Alius: quoque. 6) Psalm 46 (47), 10. 7) Alius: praecipue. 8) Alibi: attamen etsi. 9) Alius: profectos. 10) Psalm 67 (68), 18. 11) Alius: quiescit. 12) Alius: magistratibus.

leges suspendi [1]) ac nova quaedam praeter naturam, ostenta, prodigia, morbos populares, incendia terrarum, diluviones aquarum cieri, ne quis putet, ulla legum naturalium necessitate Deum alligari, ut ante [2]) Toralba demonstravit. Quid enim absurdius esset, quam in civitate regem suis imperiis ac legibus solutum, ut leges pro temporum varietate corrigere et emendare possit, Deum vero mundi principem ac parentem suis legibus obligari? Non debent igitur angelorum ac daemonum naturales actiones censeri, quae [3]) praeter ordinem naturae consuetum fiunt, ut flumina retroferri, maria scindi, flammas deorsum dejici, quae non nisi divina potestate ac consensu [4]) fieri possunt.

SENAMUS: Nihil bonum mihi videtur, quod praeter naturam fiat, ut Aristoteles scribit: οὐδὲν δὲ τοῦ παρὰ φύσιν καλόν.

SALOMO: Ignoscendum opinor Aristoteli, rerum divinarum imperito, imo potius contemptori.

SENAMUS [5]): Quid vetat igitur, quominus omnia quae naturâ fiunt, a daemonibus et angelis fieri dicamus?

SALOMO: Pleraque nasci ac paulatim augeri videmus ab ea vi, quam originis cujusque principio Deus indidit, sine ulla daemonum aut angelorum actione, puta stirpes et animantia, quae suapte vi, primordio sui generis divinitus tributa, suum genus propagant [6]). Idem judicandum de lapidibus, metallis, fossilibus, quae terra modice culta et etiam inculta sponte profert. Sed praeter hanc animantium ac stirpium generationem est alia [7]) quaedam ordinaria et solennis, quae [8]) solet quotannis recurrere, attamen praeter naturae leges, quibus quidem ex semine genera propagantur, ut omnia illa piscium examina, quae derepente stata magnitudine eodem tempore, iisdem littoribus [9]) exoriuntur, quorum [10]) nec semina in vadis aut littoribus aut saxis aut alga usquam apparent, nec ulla vestigia parentum. Nam eorum, quae a parentibus originem habent, sua sunt semina, sua incrementa, et ut paulatim exsurgunt, ita quoque sensim tabescunt. Illa vero momento in justam magnitudinem erumpunt ac paulo post, nisi capiuntur [11]), evanescunt, ut thynnorum agmina, quae cubica figura tanta vi ac multitudine in Hellespontum tranant e Ponto, ut saepe naves ac retia validissimis viribus subvertant, neque tantum in Hellesponto, sed etiam apud Rhodios Elopes [12]) ejusdem magnitudinis tantis agminibus prodeunt, ut Rhodiorum alimento diu sufficere possint. Nec dubito, quin aliis quoque littoribus consimilis piscium annona divinitus [13]) tribuatur accolarum inopiam ac tenuitatem sublevatura.

FRIDERICUS: Ego quidem apud Batavos salmonum ac sturionum, quos

---

1) Alius: sustineri. 2) Alibi: acute. 3) Alibi: cum. 4) Alibi: concessu. 5) Alii rectius: FRIDERICUS. 6) Alius: propugnant. 7) Alibi: lux. 8) Alius: quia. 9) Alibi: littore, iisdem temporibus. 10) Desunt haec tredecim sequentia in alio codice. 11) Alius: capiantur. 12) Vel: helopes. 13) Deest in alio codice.

siluros appellant, tantam piscationem vidi, ut in finitimas regiones [1]) non sine ingenti quaestu transveherentur, nec procul a Batavia circa fretum Ixium, haleces tot ac tantis legionibus Octobri mense prodire, ut iis capiendis piscatorum copia, quae maxima est, sufficere nullo modo posset, unde in universam Galliam, Germaniam utramque, Britanniam cum uberrimo quaestu transvehi. Sed illud mirum, quod cum justa magnitudine momento prodirent, nulla tamen semina, nulli foetus ac ne ulla quidem vestigia videantur. Quae quum a piscatoribus et mercatoribus exquirerem [2]), narrabant illi, ad Orcades insulas arcarum multitudinem admirabilem annuis piscatoribus redundare [3]) et in littore Celtico statam esse galeorum piscationem mense Martio [4]), deinde Aprili scombrorum; unde tamen tot agmina prodirent, scire neminem.

CURTIUS: Ipse vidi saepius in Galliae Narbonensis littore examina mugilum stato anni tempore semper remeare et in proximo littore Massiliensi apicarum [5]), item in adversis Africae littoribus trissarum [6]), quas accolae juratas [7]), nostri alosas appellant, copiam ceteris [8]) littoribus inusitatam.

CORONAEUS: Etiam Cretenses nostri annuas habent gobionum legiones, quibus insula mirifice sustentatur, sed ea multitudine [9]), ut ab eodem utero, eadem hora, eodem momento natae aut coelitus delapsae aut ex intimis terrae visceribus erutae videri possint. Item e littore Siculo muraenarum maxima copia quotannis exsurgit.

TORALBA: Non vestris tantum hominibus, sed nostris quoque liberalissimus naturae parens providit. Nam Calaei [10]) circa Lusitaniae littora solennes habent chalcidum [11]), quas sardinias vocant, piscationes, et procul a littoribus Europae in Atlantico asellorum ingens erumpit copia, paulo post aestivum solstitium, non sine magna piscantium admiratione. Sed cum intentos [12]) lucro piscatores aspiceremus, nec tamen, unde tanta ubertas tam repente prodiret, admirari [13]) his iambicis invecti sumus in avaros piscatores:

Avare piscator, freta
Qui trajicis ferventia,
Piscationis aemulus!
Dic, si potes, (sed quis potest?)
Vis unde tanta piscium
Fulgentibus per aequora
Squamis [14]) repente prodeat?
Est omnibus ac singulis
Ab ortu magnitudo par,
Est aequa moles corporis,
Adepta mox originem

1) Deest in alio codice. 2) Alius: conquirerem. 3) Alius: redundari. 4) Alius: Martis. 5) Alius: aprarum. 6) Alius: frissarum. 7) Alius: ejuratas. 8) Alius: nostris. 9) Alius: magnitudine. 10) Alius: Colesiaci. 11) Alius: serdunas, vel: sardumas. (Cf. Plin. h. n. 32, 53.) 12) Alibi: intentione. 13) Alibi: admirari. 14) Alibi: alis.

Et incrementa partium.
Nusquam ulla partus semina,
Nec ulla sunt vestigia [1]),
Nec alga vilis cochleas
Progerminat [2]) a caudice,
Profunda nec maris vada,
Nec altis saxa rupibus,
Nec pura gignunt littora,
Nec Aphrodites candidae [3])
Genetrix spuma [4]) procreat.
Quis agmen illud cubica
Figura piscium regit [5]),
Aut unde lucidus fretum
Invadit halec Ixium,
Distenta rumpens retia [6])
Revulsis ante navibus?
Recenseamne cetera?
Vix orbe toto littus est,
Quod non abundet piscibus,
Largitione coelica,
Et quae [7]) marinis sedibus
Procul [8]) pascuntur alites,
Aut delicatioribus
Cicadum legionibus,
Cum fruge pingues evolant
Nomadum [9]) ad solitudines,
Ut improborum poena sint,
Bonorum justa praemia.
O numen admirabile!
O celsitudo maxima
Procuratoris optimi,
Qui nutu nutrit omnia!

OCTAVIUS: Video ego vos plus otii piscationi [10]), quam aucupio dedisse. Saepe cum Volaterranis finitimis nostris non sine admiratione spectavi,

---

1) Alius codex quinque haec antecedentia versus ita legit:
Adepta moles corporis
Aqua mox incrementa et
Originem partium nusquam,
Nec ulla partus semina,
Nec sunt ulla vestigia etc.

2) Alius: progermines. 3) Alius: candida. 4) Alius: spumae. 5) Alius: regitur. 6) Alius: ilia. 7) Alius: qui; alius: aquae. 8) Alius: nova. 9) Alius: Modo dum. 10) Alibi: otio piscationis plus.

advolantes exercitus palumbarum, cum tamen in continenti nullae aut [1]) ne ovorum quidem aut nidorum ulla usquam imago reperiatur, multo minus etiam in proximis insulis. At si quis ab Africa [2]) trajecto mari mediterraneo evolare putet flantibus [3]) austris, facile refellitur immani spatio milliarium MCC; omnibus tamen accolis [4]) constat, a plaga maritima involare in continentem.

CURTIUS: Cum agerem in Gallia, callidus quidam auceps noctu facibus [5]) accensis palumborum multa millia [6]), quae ab oceano in littus Rhotomagum versus advolaverant, nullo negotio venabatur. Cum ab illo percontarer, unde tanta vis palumborum? illud reposuit, illis [7]) tantum annis advolare, quibus abundaret fagina glans, qua pascantur. Item liviarum et earum [8]) avium [9]), quas ipse patria lingua „pluviers" [10]) appellabat, e genere columbarum, examina infinita in Aurelianorum agros impluere, nusquam tamen nidos ac ne ciborum quidem in ingluvie aut ventriculo argumentum [11]) exstare. Et in pagis [12]) Andium anseres sylvestres coelitus accedere et, gramine pascuorum [13]) momento saginatos, proventus uberrimos incolis afferre.

SENAMUS: At in littore Neapolitano coturnicum annuam piscationem videre potuistis, quae cum flantibus coris in Mediterraneum transvolare conantur, demergi ac mortuae in littus ejici [14]) solent. Ita quoque avium greges opinor avolare et revolare, tum flumina, maria, montes trajicere, ut [15]) grues, hirundines, ciconiae, accipitres, anseres et anates sylvestres [16]), coturnices vero alarum brevitate debiles et adipe graves merguntur. Ut [17]) enim regiones omnes hieme conquiras, nusquam [18]) tamen hirundinem reperias.

SALOMO: Senamus omnia argute derivare conatur ad naturae causas. At [19]) quidem originis initio Deus jussit [20]), aquas non solum aquatilia, sed etiam volatilia promere. Itaque in sacris libris legimus [21]), coturnices a plaga maritima ad Israëlitarum castra spiritu Dei disjectas tanta multitudine, ut spatio itineris diurni duobus cubitis in altitudinem undeque castra complecterentur. Castra vero quanta fuerint, intelligi potest ex eo, quod 600000 civium, qui arma ferebant, censa [22]) fuerunt. Ex quo intelligitur [23]), seniorum, juniorum, foeminarum, servorum peregrinorum, quae censa non fuere, multitudinem triplo majorem exstitisse. Ac nihilominus tantae multitudini [24]) coturnices non solum mense toto suffecisse constat, verum etiam cupiditatem carnium vorandarum [25]) ad nauseam usque explevisse. Quod igitur legimus,

---

1) Alius: ac. 2) Alibi: Austria. 3) Alii legunt: santis, id quod sine sensu. 4) Deest in alio codice. 5) Alibi: fascibus. 6) Alius: vim. 7) Alius: iis. 8) Alius: Luciarum et Acarum. 9) Alibi: ranium. 10) Alii: pluvieres. 11) Addit alius: aliquid. 12) Alius: agris. 13) Alius: pascuarum. 14) Alius: rejici. 15) Alibi: et. 16) Desunt quatuor haec antecedentia verba in alio codice. 17) Alibi: Et. 18) In eodem codice desunt sequentia haec quatuor verba. 19) Alius: Et. 20) Genes. 1, 20. 21) Numerorum 19 sqq. 22) Alius: secuta. 23) Numerorum 1 et 2. 24) Alius: multitudinis. 25) Deest in alio codice.

tot examina coturnicum spiritu Dei ab oris maritimis abrepta fuisse, satis intelligitur, fuisse extraordinariam generationem, angelis divino concessu ac munere procurantibus, non aliter quam illa, quae dixistis, piscium ac avium repentina examina, angelorum officiis ad hominum alimenta, mirabili Dei procuratione ac bonitate comparantur, ut etiam illud manna, quo Israëlitae in deserta solitudine annos amplius XL pasti fuere, qui cibus angelorum [1]) diserte vocatur, non quod manna vescantur angeli, sed quia nullis naturae causis ordinariis angelorum curatione quotidie fuerit praestitum [2]).

SENAMUS: Non video, cur angelorum vel daemonum procuratione sit opus, si sola Dei voluntate [3]) ista fieri possunt [4]).

SALOMO: Aliud est de divina voluntate, aliud de potestate disputare; Deus enim post mundi creationem [5]) ab omni opere conquievisse et locis omnibus angeli Deo diligenter [6]) inservire ac jussa ejus [7]) exsequi produntur [8]). Huc enim spectat illud, quod dicitur, Deum coetus angelorum convocare, quod Rabbi Moses [9]) interpretatur: angelorum officiis ac muneribus uti. Nam cum dixisset, se primogenitos Aegyptiorum trucidaturum, eodem tamen capite subjecit [10]), se non passurum, carnificem in illa clade populi sui tecta subire. Idem: Increpabo, inquit, aquilonarem istum cacodaemona, quominus fruges absumat [11]).

SENAMUS: Cur igitur toties ac tam saepe contestatur populum, saepe pestem, famem, calamitates omnes a se invectas [12])?

SALOMO: Ne ad angelorum ac daemonum cultum prolaberentur, sed ab unius Dei manu ac potestate omnia pendere persuasum haberent, cujus tamen decreta daemones [13]) nunquam [14]) injussi exsequantur. Argumento sit, quod cum Rex Achabus multa nefarie [15]) gessisset, tandem [16]) a sortilegis persuasus tertio praelio [17]) contra Syriae regem dimicare, Michaeam prophetam prius consulendum putavit. Hic vates consultus: Vidi, inquit, Deum in sublimi solio sedentem et omnes exercitus angelorum circumstantes; ad quos ille: Quis vestrum, inquit, persuadebit Achabo, ut praelium committat et occidatur [18])? Cumque alius aliud diceret, prodiit quidam spiritus et coram Deo stans: Ego, inquit, persuadebo! Ad quem Deus: Qua in re? Hic: Ego ero spiritus mendax in ore prophetarum ejus. Tum Deus ad illum: Persuadebis simulque conficies, abi igitur et facito! Quidam theologi tradunt, spiritum illum fuisse Nabothum [19]),

---

1) Psalm. 77 (78), 25. Sapient. 16, 20. 2) Alius: quotidie implueret. 3) Alius: bonitate. 4) Deest haec Senami interlocutio in alio codice. 5) Alius: conditionem. 6) Alius: semper, id quod vero in alio codice deest. 7) Addit alius: diligenter. 8) Ps. 103 (104), 20 sq.; 147 (148), 2. 9) Libro III More Nebochim. 10) Exodi 12, 23. 11) Malach. 3, 11. Joël 2, 20. Amos 8. 4, 6 sq. 12) Levit. 26. Deuteron. 28. Alii legunt: immissas, alii: inventas. 13) Deest in aliis codicibus. 14) Alius: neque. 15) Alius: nefaria. 16) Alii: id. 17) Alius: bello. 18) 1 (3) Reg. 22, 19. 22. 19) 1 (3) Regum 21, 1 sq. 2 (4) Regum 9, 21. 25 sq.

quem Jesabella regina calumniis circumventum, annuente rege, crudelissime trucidari jusserat, ut rex agro, quem nec prece nec pretio extorquere poterat, capitali fraude frueretur.

CURTIUS: Illud quidem Academicis ac Platonicorum [1]) principi persuasum est, qui ultionis cupiditate incensi trucidantur, mortuos ultionem modis omnibus reposcere.

SALOMO: Poterat Deus solo nutu Achabum regem perdere, sed videtis belli occasionem falsos vates angelorum consilium accersitum, ultorem denique divini decreti administrum. Consimile concilium coactum dicitur, priusquam ulla potestas diabolo [2]) fieret in Jobum, cui concilio dicitur Satan adfuisse. Qua loquendi similitudine satis intelligitur, non congruere divinae majestati, per se agere, quae [3]) angelorum officio [4]) possit. Cui congruit illud, quod Jedacus [5]) Levita in Porta lucis [6]) scripsit, ab infernis terrae sedibus usque ad summum coeli verticem omnia daemonum et angelorum plenissima esse. Idem alibi a coeli cardinibus ac decumanis angelos spirare scribit, a bonis quidem bona, a noxiis bella, sterilitates, populares morbos ac bestias nocentissimas ad scelerum vindictam procurari.

FRIDERICUS: Cum in rerum natura nihil frustra conditum sit, si omnia solo nutu Dei fierent, ut principio sola voluntate Dei omnia creata sunt, tot angeli ac daemones frustra exstitissent.

TORALBA: Quaedam animantia generantur ad breve tempus, quae officio defuncta penitus evanescunt. Et quidem Plinius [7]) ad stuporem usque miratur, Seleucidas aves in montem Casium, sole cancrum subeunte, advolare, ut [8]) insectorum multitudinem populentur [9]), quo minus viva noceant frugibus, vel odore mortua. Quibus depastis ita disparent, ut nusquam terrarum reperiantur. Neque enim singulis, sed statis quibusdam annis, cum insectorum vis abundantius excrevit, advolare consueverunt. Aristoteles quoque cum Plinio tradit [10]), murium agrestium examina, quae non saepe, sed tamen judicio agricolarum nimis saepe spectantur, populatis frugibus sic evanescere, ut nec in superficie nec in visceribus terrarum vel unus quidem reperiatur.

SALOMO: Illud etiam in sacris litteris testatum habemus, cum locustarum multitudine totam Aegyptum Deus contexisset, poenitentia Pharaonis et Moysis precibus omnes eodem impetu sic avolarunt, ut ne una quidem in tanta ac tam late patenti regione restaret.

SENAMUS: Nihil mirum [11]), si avolarunt bene pastae, quae famelicae advolarant. Quis autem intimas terrarum cavernas et latebras subiit, ut demortuorum murium [12]) cadaveribus parentaret? Multa popularibus erroribus

1) Alius: Platoni. 2) Alius: daemoni. 3) Desunt haec sequentia quatuor verba in alio codice. 4) Alibi: ministerio. 5) Alii: Bedăcus. 6) Liber rabbinicus. 7) Hist. nat. 10, 39. 8) Alibi: et. 9) Alibi: populari. 10) Alibi: tradunt. (Plinii hist. nat. 10, 85.) 11) Alibi: minus. 12) Deest in alio codice.

implicantur, quae tandem vidimus explicari. Hirundines enim, quae ad internecionem natae sunt, flantibus ventis [1]) aquariis [2]) involant, spirantibus Africis autem [3]) revolant [4]) ac totas hiemes subter maritimas rupes delitescunt, ut saepius in mari Suecico a piscatoribus deprehensae dicuntur [5]), quoniam loca maritima caeteris semper tepidiora sunt, propter calorem, qui jactatione maris oritur [6]) ac saepe impetu procellarum perinde ut subjectis ignibus effervescunt. Sunt etiam qui putant, hirundines profundissima vada maris penetrare.

TORALBA: Ut in intimis vadis hirundines delitescant, nulla ratione fieri potest [7]), cum intercluso spiritu animalia, quae pulmones habent, repente moriantur. Nam etsi glires [8]) sopore oppressi totas hiemes dormiant, nec ullis ictibus aut vulneribus excitentur, si tamen aquis demergantur, derepente [9]) absiliunt.

CURTIUS: Sed ut redeant [10]) hirundines, grues, ciconiae, nidos tamen et ova videmus, piscium tamen aut palumbarum aut anserum sylvestrium ova nusquam reperiuntur. Ut enim demus, stirpes, scarabaeas, locustas, bruchos [11]), mures, ranas sine semine solo putrido ortum debere, fieri tamen nequit, ut tanta piscium et avium examina statim incrementum derepente per naturam adipiscantur, et [12]) neglecta penitus evanescant.

TORALBA: Quoniam Senamo persuaderi nequit, animantium ortus et obitus alios esse, quam a naturalibus causis, illud ab omnibus physicam tractantibus serio libenter discam, unde tanta ranunculorum multitudo, ordientibus aestate caloribus ac siccitate, momento cum imbre gravi decidat. Neque [13]) enim semine, neque parentum coitu [14]), nec limo terrarum aut aquarum in aëre sublimi gigni possunt.

SENAMUS: Ego semper existimavi, calidissimos imbres in pulveream terram delapsos materiam aptissimam ad ranunculos gignendos nancisci.

TORALBA: At generatio perfectissimorum animantium momento per naturam fieri nequit, cujus rei periculum saepe feci, cum fossam ardenti aestate aqua complerem, menstruo spatio exsiccata fossa rudimenta ranunculorum folliculo nigro contecta et caudata apparebant [15]), cujusmodi examina natare vidimus in palustribus locis, in quibus est copia ranarum; sequenti mense ruptis follibus, quadrupedes ranunculi absilierunt. Sed ut brevissimo unius horae spatio ranae quadrupedes partibus omnibus absolutae gigni queant, per naturam fieri non posse [16]) existimo, et ut planum sit in aëre sublimi repente [17]) procreari ranunculos, argumento sit, quod saepissime in

---

1) Deest in alio codice. 2) Alibi: austris, vel aviariis. 3) Deest in alio codice. 4) Alius: evolant. 5) Alius: dicantur. 6) Alius: cietur. 7) Desiderantur antecedentia haec undecim Toralbae verba in alio codice. 8) Alibi: glirides. 9) Deest in alio codice. 10) Alius false: credant. 11) Deest in alio codice. Est autem bruchus locustarum seu gryllorum quaedam species. (N.) 12) Alius: ut. 13) Alibi: Non. 14) Alibi: e vita. 15) Alii: appareant. 16) Alibi: non potest. 17) Alibi: derepente.

arboribus ipsis ac potissimum in salicibus, quarum resecta capita sunt calidiora [1]), ranunculi caduci post imbres aestivos reperiuntur aeque ac humi.

CORONAEUS: Probabilius videtur, pulveris et atomorum copiam cum exspirationibus ac vaporibus impetu ventorum in mediam regionem subvehi, unde ranae ac lapides geniti saepe depluant. Cum enim Cremae tempestas me adolescente orta esset, lapides caducos cum imbribus depluisse constat, atque unum tanti [2]) ponderis exstitisse, ut decem libras aequaret [3]), glauci coloris ac sulphurei odoris; sed brevitas temporis, quo imbres in aëre coguntur, aperte convincit, ea aeque [4]) daemonum opus esse ac [5]) ranunculi, quos in Aegypto coram Pharaone sortilegi excitarunt.

FRIDERICUS: Si Deus animantibus sui generis propagandi potestatem dedit atque etiam ipsis [6]) elementis stirpium atque [7]) animalium producendorum vim indidit, quanto magis angelis ac daemonibus vim eandem adjecit? [8]) Id enim planum fuit [9]) ex illa ranarum procreatione apud Pharaonem [10]), quam verissimam fuisse scribit Moses.

SENAMUS: Quid autem vetat, quominus procellas, tonitrua, fulmina, ventos a daemonibus cieri fateantur, si haec ab illis fieri concedimus? Sin haec ipsa naturae occulta conspiratione ac numine sine daemonibus fiant, illa quoque a natura pendere consentaneum est.

OCTAVIUS: Antea semper existimaveram, ventos ac procellas a natura ipsa excitari, quousque cadaver illud Aegyptium, quod a me in navim illatum est, ex edicto naucleri in mare dejecissem; mox enim procellae violentissimae acquieverunt. Neque propterea id contigisse putarem, nisi nautarum omnium vocibus ac usu diuturno [11]) ipsisque nauticis legibus ac judiciis [12]) comprobatum et exploratum haberem.

FRIDERICUS: Recordor veteres Heracliti, Theophrasti ac Plutarchi [13]) querelas, hominum diffidentiam et ἀπιστίαν obesse, quominus certissimam de rebus maximis et abditis cognitionem assequamur. Neque enim temere ac leviter assentiendum opinor, neque nimis pertinaciter dissentiendum.

TORALBA: Cum diutissime in Peripateticorum decretis acquievissem ac multa plus auctoritati quam rationi tribuendum putarem, nihil me ab his erroribus aeque liberavit ac motus elementorum ac praecipue maris. Posuit enim Aristoteles [14]) quasi naturae miraculum, illud scilicet moventium ac mobilium extrema simul esse; quo fundamento concusso cetera quoque impulsu levissimo ruinam minantur et eo nos deducunt, ut angelorum ac daemonum immortaliumque omnium [15]) actiones alienas a natura [16]) confiteri cogamur.

---

1) Alius: latiora. 2) Alius: tantum. 3) Alius: exaequaret. 4) Alius: eaque. 5) Alius: ut. 6) Alibi: ipse. 7) Alius: et. 8) Alius: indidit. 9) Alibi: fit. 10) Alius: coram Pharaone. 11) Alibi: diurno. 12) Alii: indiciis. 13) In vita Coriolani in fine. Plotinus in libro de anima et daemonibus. 14) Physicor. l. VII, c. 4. 15) Alibi: animorum. 16) Alius: terra.

SENAMUS: Decretum illud non modo Aristotelis et philosophorum pene omnium autoritate, verum etiam tot ac tantis rationibus niti videtur, ut subverti difficillime possit. Nam si causas effectrices praesentes effectibus esse convenit, profecto moventis ac mobilis extrema simul esse necesse est; verum illud, hoc igitur. Cuncta quidem spiritum, spiritus musculos, musculi brachia, brachia fundam, funda lapidem, lapis bestiam aut quid aliud movet, fit tamen ut mobilium ac moventium extrema sint simul.

TORALBA: Demus, hoc verum esse in exemplis his, falsum tamen est in magnete ferrum attrahente, in succino paleas eliciente, in naphta [1]) ignes eminus concipiente, in torpedine piscatores stupefaciente, in hoste hosti pallorem aut ruborem excitante, in luna oceanum commovente, a qua tamen spatiis pene [2]) infinitis est avulsa.

SENAMUS: At vim illam seu magnetis seu torpedinis seu lunae ab extremis ad extrema per media penetrare, quis non videt? Argumento sit, quod ferrum a magnete longius aliquando distans, quam ut vis lapidis eo pervenire possit, non movetur.

TORALBA: Sit ita, non propterea tamen piscatoris retia aut virga stupefiunt, nec item mare a luna, aër ab igne, aqua ab aëre agitatur, sed in summa coeli puritate ac tranquillitate oceanus fluit ac refluit, non quidem totus, ut plerique arbitrantur oceanum quasi animal spirare ac respirare, sed partes tantum littoribus propiores, aut quae non longissime a littoribus [3]) distant, oceanum aeque immobilem percipiunt, coelo tranquillo ac sereno, ut marmoream tabulam.

SENAMUS: Aristotelis dictum ex [4]) ipsius scriptis sic interpretari possumus, ut mobilium partem moveri, partem quiescere velit, nam alterius pedis motus alterius quies futura est.

TORALBA: Id etiam falsum in avium volatu reperietur, in telis missilibus, quae tota moventur, nulla sui parte stabili, falsum in coelestibus globis, qui toti circumaguntur, nec ulla pars eorum quiescit, ut perspicuis demonstrationibus docui [5]) et usu ipso compertum est. Jam autem ab ultima memoria exploratum habemus, exoriente luna supra horizontem exundare oceanum in aestuaria consueta sex horas, quibus ad circulum meridianum luna progreditur, declinante luna a meridiano, redire oceanum in alveos totidem horarum spatio, post occasum ab horizonte usque ad meridianum noctis circulum, influere rursus in eadem littora eodem temporis decursu, ac tum [6]) in alveum, luna ad horizontem redeunte, mirabili utriusque naturae consensu redire.

---

1) Alius: nephite. 2) Deest in aliis. 3) Alibi inseritur: discedunt, nam quae longissimis spatiis a littoribus. 4) Alibi: ab. 5) Alii: Eudoxi vel edocti. 6) Alius: tandem.

SENAMUS: Neque constans mihi videtur, neque aequabilis ille motus, cum sole et luna conjunctis et oppositis fluxus oceani multo magis intumescat.

FRIDERICUS: Hujus varietatis causas cum exquirerem, animadverti, lunam in coitu vel opposito supremam excentrici [1]) apsida pertingere, in quadratis vero hypogaeum, quasi secum una [2]) traheret oceani gurgites, quo altius subvehitur a terris, quoniam non magis distat hypogaeum lunae ab oceano [3]), quam apsis [4]) lunae ab hypogaeo. Ex quo intelligitur, duplo [5]) intervallo lunam a terris abesse in auge [6]) excentrici, eoque magis situm fuerit in apside epicycli, sed [7]) in mari mediterraneo ac potissimum in Adriatici carceribus et angustiis nullus fere fluxus percipitur, tantisper luna in hypogaeo excentrici versatur, h. e. in trajectionibus quadratis, quibuscum luna propinquius [8]) abest a terris.

SENAMUS: At efficacius mobile agitatur, quo propius est motori, vel [9]) in magnete vidimus graviores acus magnetem contingere, leviores a consequentibus contactu trahi.

FRIDERICUS: Imo lunam altius a terris subvectam oceanum quasi secum evehere consentaneum est.

TORALBA: Hujus ergo agitationis oceani causam effectricem ad lunam referri videmus, quandoquidem motus aquarum ut rerum omnium gravium, rectus est ad centrum; alius est enim [10]) aquarum motus ab aëris [11]) agitatione, alius item sine ulla commotione, tametsi rarior, ut Plinius de quodam Italiae lacu scribit, turbari [12]) ac fluctibus intumescere non modo sine ulla ventorum vi, sed etiam in summa coeli tranquillitate. Jam vero cum nulla res exanimis moveatur a seipsa, confitendum est, a daemonibus hanc agitationem aquarum cieri, atque eo pertinet illud [13]) de sagarum mirabili potestate:

Et tonat ignaro coelum Jove vocibus isdem,
Humentes late nebulas numerisque solutis
Excussere comas ventis cessantibus, aequor
Intumuit rursus, vetitum sentire procellas,
Conticuit turbante Noto [14]).

SENAMUS: Ut haec vera sint, quae mihi quidem ignota sunt, atque haud scio an cuiquam re ipsa comperta plane fuerint, non tamen ad exemplum debent trahi.

CORONAEUS: Ne in singulis haereamus, demonstrandum est, opinor, aëris agitationem vel a sole vel ab animantibus vel a daemonibus excitari, quartum nihil est.

---

1) Alius: ex centri. 2) Alius: luna. 3) Ptolomaeus lib. V, cap. 7. 4) Alii: ipsis. 5) Alibi: duplici. 6) Alius: hypogaeo. 7) Alius: seu. 8) Alius: propius. 9) Alibi: ut vel: et. 10) Alius: etiam. 11) Deest alibi. 12) Addit alius: eum. 13) Lucani Phars. 4. 14) Alius: voto.

TORALBA: Quemadmodum oceanum a luna, sic aërem a sole [1]) cieri ac moveri statuo. Et quemadmodum oceani fluctus augentur vel minuuntur aëris agitatione violenta, sic aëris motus ordinarius et naturae congruus saepe extraordinaria daemonum vi ac potestate conturbatur.

SENAMUS: Si ventus oritur ab exhalatione calida sicca, quae [2]) Noto [3]) obliquo proximam sibi deinceps impellit, ut Aristoteles tradit, non video, quam ob rem extraordinarias agitationes aëris impulsu daemonum constituere debeamus.

OCTAVIUS: Antiquorum definitio visa mihi est multo verior, ut scilicet ventus sit aëris fluxus; plerique fluctum legere malunt, sed Graeca vox ῥεῦσις [4]) τοῦ ἀέρος, cum fluctu, quo κῦμα significatur, ambiguitatem tollit.

TORALBA: Hanc definitionem, ut omnia [5]) physicorum decreta, convellens Aristoteles nulla probabili ratione ad exspirationes fumosas refert [6]), quibus tamen nihil magis insensibile, tempestate vero [7]) nihil violentius fieri potest. Quod autem natura fit, violentum esse nequit; videmus enim procellarum tantos impetus, ut silvae revellantur [8]), turres dejiciantur, aedificia subruantur, ingentes arbores turbinibus coelo delapsis distorqueantur, naves vorticibus rapidissimis in orbem circumactae demergantur, cum tamen aëris motus nec circularis sit, nec per naturam deorsum fereatur.

SENAMUS: Etiam vidistis, opinor, ac saepe legistis, exiguo pulvere nitri ac sulphuris, igne concepto, turres ingentes ac moenia funditus everti.

TORALBA: Id quidem nec in subterraneis locis, ne penetratio [9]) corporum sequatur, sed nulla existere potest in aëris immensa raritate, ac propterea in turribus ac moenibus succutiendis ac evertendis per cuniculos illud praecipue cavetur, ne qua [10]) rima pateat aut fissura [11]). Jam vero expirationes illae non modo subtiles, quae propter sui tenuitatem sensum oculorum fugiunt, sed atra caligine densiores sursum rapiuntur levissime et graviorem superant aëris naturam. Ventus enim [12]) obliquo modo [13]) fertur aut rapidissima vi deorsum e nubibus dejicitur. Non est igitur ventus ab exspiratione, quae suapte natura sursum nititur, unde nubium origo, quae cum vapore simul et exhalatione in regione gelida superioris aëris concreverunt, a quibus ventorum impetus sedari, non cieri consueverunt. Item [14]) si ventus esset ab exspiratione, cum semper a terris exoriatur, semper ab eadem plaga, non a contrariis aut diversis agitaretur. Item omnis exhalatio est calida, nullus ventus est calidus, ergo [15]) nulla exhalatio ventum ciere potest. Quin etiam [16]) eo frigidiores sunt venti, quo vehementiores; non est igitur ventus ab exhalatione [17]) calida. Item si ventus esset ab exspiratione, eo vehementius per-

1) Alibi: Jove. 2) Desunt haec septem sequentia verba in alio codice. 3) Alius: motu. 4) Alius: ῥῦσις. 5) Alibi: omnium. 6) Alius: effugit. 7) Alibi: tamen. 8) Alius: releventur. 9) Alius: ne in subterraneis locis penetratio. 10) Alius: quae. 11) Alibi: scissura. 12) Alius: autem. 13) Alius: motu. 14) Deest alibi hic sequens locus usque ad verba: Item si. 15) In codicibus: ea. 16) Alii: in. 17) Alius: exspiratione.

ciperetur, quo major est exspirationum copia, i. e. aestate, qua terrae dehiscunt, ac potissimum meridianis horis. At utroque tempore venti conquiescunt, hieme vero et autumno violentissimae tempestates exoriuntur, tunc enim [1]) navigantibus clausa maria dicuntur, ut Plinius annotavit. Item vis procellarum in altissimis oceani gurgitibus saepius excitatur, ubi nulla exspiratio calida, sicca, sed omnia frigida, humida. Quibus argumentis tametsi Aristotelis opinio aperte convellitur [2]), apertius tamen demonstrari potest communi physicorum omnium decreto, quod scilicet nihil a se ipso movetur, alioquin unum essent [3]) actus et potentia simul et semel, ac si moveretur aër ab exspiratione, a se ipso moveretur [4]), cum nihil sit aliud [5]) exspiratio quam aër calidus fumosus. Non est igitur ventus ab exhalatione.

CURTIUS: Haec argumentorum copia satis evincit, ventorum origines exhalationibus non deberi, ac praecipue illud, quod hieme rigidissima, terris et aquis gelu concretis, ventorum vis multo major est, quam aestate hiantibus terris, ac meridie ipsa fervente aestate venti summa tranquillitate conquiescunt, ut etiam Aristoteles [6]) scribit et experientia cogit confiteri. Ac propterea pastor ille Theocriti [7]) meridie vetat fistula ludere, quod et Pana metueret a venatione redeuntem, ne in greges et armenta bilem exerceret, quem Aristophanis interpres ἔμπουσαν interpretatur ac daemonium meridianum, τὸ δαιμόνιον μεσημβρινὸν, quia cum ab aëris agitatione daemones conquiescunt [8]), tunc in armenta, fruges, homines grassantur. Ob idem enim veteres atram meridie hostiam olim immolabant, ut Festus Pompejus scribit.

SALOMO: Rabbi Salomo Jarchi, Gersonis filius, illud e Psalmis [9]) de daemonio meridiano interpretatur מִדֶּבֶר daemonem, qui nocte media, מִקֶּטֶב vero, qui meridie a nocte media interficit, inde mos inolevit, meridie ac nocte media precibus Deum placare. Sic enim lyricus psaltes [10]): Media nocte exsurgebam, ut laudem dicerem nomini tuo. Idem alibi: Vespere et mane et meridie narrabo mirabilia tua. Illud etiam animadversione dignum, quod venti locis fere omnibus scripturae sacrae Deo tribuuntur. Quin etiam de thesauris suis dicitur ventos promere et a quatuor coeli plagis ventos accire. Quo significatur, non ab ordinariis naturae causis ventorum vim ac impetum originem habere.

SENAMUS: Cur non eodem modo quo fluctus fluctum, ita fluxus aëris fluxum impellere possit?

TORALBA: Illud quidem est Aristotelis captiosum argumentum; fluctus enim fluctum protrudit; sed ita cum ab aëre prius, vel ab animantibus vel a luna propellitur, ut saepius demonstratum est: ita quoque aër aërem impellere potest, sed oportet ab alio prius quam a seipso motus principium habere, scilicet a sole, vel ab animante, vel a daemone, alioqui et aqua et

---

1) Alius: etiam. 2) Alius: divellitur. 3) Alius: esset. 4) Alibi: movetur, vel: moveatur. 5) Alibi: cum sit aliud. 6) Problem. Sect. de ventis. 7) Idyll. 1. 8) Alius: interquiescunt. 9) Psalm. 90 (91), 6 sq. 10) Psalm. 118, (119), 62. 54, (55), 18.

aër aeque immobilia consisterent, ut saxa congruentem suae gravitati et naturae nacta sedem.

OCTAVIUS; Illud quidem ab ultima antiquitate proditum scribit Seneca[1]), peculiarem quendam cuique regioni ventum attributum, quod fieri nullo modo posset, si ab exhalatione ventus ortum haberet.

CORONAEUS: Ego semper hac opinione tractus sum, praeter naturalem rerum ordinem singulari quoque Dei munere et concessu singulis regionibus et hominibus prospici et provideri, procellas vero ac tempestates violentissimas ad improborum ultionem a daemonibus excitari.

TORALBA: Nil tam a natura alienum, quam quid violenter fieri, ex quo intelligitur, tempestates ac procellas, quibus elementa conturbantur, natura fieri non posse.

SENAMUS: Si ventus daemonibus tribuitur aërem agitantibus, non exspirationibus calidis, quid est quam ob rem validissima tempestas ac ventorum violentia imbre levissimo sedatur? Nam ex eo perspicuum fit, vim illam calidam et siccam ab humida natura et frigida restingui[2]).

FRIDERICUS: Verum[3]) est, daemonum impurissimorum naturam aquarum puritatem[4]) abhorrere, et a daemonibus obsessi nil magis exsecrantur, quam aquae aspersionem[5]), nec ullo certiore argumento sortilegi indicantur[6]), quam si aquae vinctis manibus ac pedibus supponantur, nunquam enim demergi posse usu diuturno exploratum est. Atque hoc indicio[7]) Germani judices adversus sagas uti consueverunt, quod Julianus Augustus[8]), cum in Germania fieri vidisset, spurios a legitimis hac ratione[9]) judicari[10]) scripsit; cum tamen sortilegorum periculum fieret, atque eorum qui a parentibus daemoni prius[11]) dicati fuere, quam nascerentur, quos Veronenses Acheronticos pueros appellant.

TORALBA: Illud etiam mirabilius, quod Typhones venti, qui a Latinis turbines vocantur, non obliquo motu, sed e nubibus maxima[12]) vi dejecti, circumvolvuntur in orbem et excelsas arbores saepe contorquent, aceti conspersione fugantur.

OCTAVIUS: An quia talium daemonum substantia est ignea? Nihil autem igni tam contrarium, quam acetum. Et quidem cum ea qua[13]) dixi tempestate jactaremur, apparebat quaedam ignea species, quae navem sursum deorsum lustrando aliquamdiu prostitit[14]) in prora, quam nautae tanquam daemonem infestum exsecrabantur.

FRIDERICUS: Veteres Helenam appellabant, mali ominis certissimum argumentum. Sin flamma duplex aspicaretur, Castorum et Pollucem salutaria

---

1) In quaest. naturalibus. 2) Alibi: restringi. 3) Alibi: Verius. 4) Alius: aquam; alius: aquarum aspersionem. 5) Alii: respersionem, vel: puritatem. 6) Alibi: judicantur. 7) Alibi: judicio. 8) In ep. ad Antiochum. 9) Desunt alibi haec duo verba. 10) Alii addunt: a Germanis. 11) Alibi: primum. 12) Alibi: magna. 13) Alius: quam. 14) Alibi: consistit.

numina esse judicabant. Et quae flammae circa sepulcra, patibula, paludes vagantur, quas vulgus fatuos ignes appellat, daemones esse non dubito, quia homines nocturnis itineribus in aquas et[1]) praecipitia deducunt, quique vocibus ac sibilis evocati derepente advolant ac temere vocantes enecant.

SALOMO: Nullum ad fugandas ejusmodi pestes aërias efficacius remedium[2]), quam humi prostrato vultu Deum adorare.

OCTAVIUS: Quaerenti mihi, cur spectra illa[3]) circa patibula ac sepulcra vagarentur, nihil verius occurrit, quam daemones illos esse cadaverum custodes, ut mihi persuasum sit, cadaveris furtum daemonem custodem persecutum fuisse ac me ipsum procellis excitatis[4]) ulcisci voluisse. Cujus rei argumentum nullum certius exstitit, quam quod ejecto e navi cadavere, non aliter quam Jona demerso validissimae tempestates momento conquieverunt, quae profecto vim daemonum ventos excitantium apertissime testantur.

FRIDERICUS: Multa physicis incredibilia sunt ob id, quod nihil praeter naturam in natura fieri gravissimo errore arbitrantur, ne abditas[5]) sibi causas ignorare videantur. At Olaus Magnus scribit, in Lapponia ultra mare Suecicum sagas et sortilegos cum nautis pacta mercede ventos vendere consuevisse, quod mihi fabulosum videretur[6]), nisi nautarum summa consensione pervulgatum[7]) esset experientiaque jam inde usque ab Homero compertum. Is enim[8]) Ulyssem scribit[9]) ab Aeolo rege vento donatum utre[10]) incluso, quo securius Ithacam navigaret. Sic quoque in Sardinia[11]) nauclerus funiculum a saga triplici nodo[12]) constrictum accipit, pacta prius mercede. Cum a portu solvens vela facit, levis ventus flare incipit primo nodo soluto; si velocius ac plenis velis navim ferri velit, secundum nodum solvit; si procellas rapidissimas concitare, tertium nodum expedit.

CURTIUS: Antea mihi fabulosa videbatur consimilis historia, quam apud Herodotum legere potuistis, ubi scribit magos Persarum incisionibus factis ventos ac tempestates compescuisse, cum regia classis in Graeciam invasisset.

FRIDERICUS: Graeci, qui rerum veritatem fabulis texerunt, Aeolum regem ventorum conclusos ventos in antris habere fingebant; huc enim illud Horatii[13]):

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae, lucida sidera,
Ventorumque regat pater,
Obstrictis aliis, praeter Japyga.

CORONAEUS: Ex hac disputatione illud, opinor, colligimus: quoniam nihil a seipso moveri potest, oceanum a luna placido ac naturae congruente

1) Alius: aut. 2) Alius: amuletum. 3) Alius: species illae. 4) Alibi: exectatis. 5) Alius: incognitas. 6) Alius: videtur. 7) Alibi: provulgatum. 8) Alius: Ipse enim etiam. 9) Hom. Odyssea X. 10) Alius: vitro. 11) Alii: Scandinia, vel: Scandinavia. 12) Alii: modo. 13) Libro I. carm. Od. 3.

motu [1]), aërem a sole moveri, et cum nihil tam sit a natura alienum, quam quid violenter et impetu fieri, procellas ac tempestates daemonum vi ac potestate commoveri.

SENAMUS: Hoc quidem etsi concedamus, eadem ratione terrae concussionem, fulmina, tonitrua, lapsus ignium, daemonum actionibus [2]) tribuenda nobis erunt.

OCTAVIUS: Quum terra suapte natura stabilis, ignis vero sursum rapiatur, consequens est lapsus ignium deorsum ac terrae labes et hiatus violenter fieri non suapte natura. Si non sunt haec naturalia, sequitur daemonum actionibus tribui oportere.

SENAMUS: Saepe gravia sursum, levia deorsum feruntur, fuga vacui, aut ne corpora seipsa impediant eodem loco. Ita quoque fulmina, in mediis nubibus a calida sicca exhalatione concepta, cum frigidi et humidi vaporis mediaeque regionis naturam diu ferre non possint, fragore tandem erumpere oportet ac deorsum praecipiti casu [3]) ruere, unde tonitrua ac fulmina exoriuntur.

TORALBA: Senamus acceptam disciplinam a Peripateticis tueri pulcrum, deserere turpe putat. Et quidem ipse ea in sententia diu [4]) acquievi, sed ab ea vis argumentorum ac certissimarum demonstrationum me discedere coëgit. Nam qui fieri potest, ut tenuissimae ac mollissimae nubis fragore tanta tonitrua exaudiantur? Quod si fragore nubis tonitrua cierentur, semper tonaret, cum nubes vento rumpuntur ac dissipantur. Praeterea flammis e nimbo caliginoso erumpentibus, semper tonaret, at saepe usu venit, nimbos densissimos hiatu ingenti subito aperiri ac coruscationes ac fulgura clarissima sine ullo tonitru fieri. Postremo si fragore nubium tonitrua cierentur, nunquam tonaret sine fragore nubis, at saepissime tonat sine ulla nubium scissura aut ruptura, et continuo quidem tonitru, imo etiam sine ullis nubibus sereno coelo ac sine fulgure tonitrua exaudiuntur.

CURTIUS: Profecto Herennius duumvir [5]) Pompejorum coelo sereno ictus est fulmine [6]), quod cum Seneca [7]) saepius fieri animadverteret, testatum posteritati reliquit, ne quis Plinio ac Valerio idem scribentibus fidem derogare possit. Unde Lucanus:

Et tonat ignaro coelum Jove.

FRIDERICUS: Ita [8]) quidem Toralbae argumenta mihi videntur frangere ac debilitare penitus Aristotelis de tonitru opinionem. Et quidem illi ipsi, qui sagarum coetibus affuerunt, summa consensione affirmant, si quis ritibus daemoniacis nondum initiatus illuc deferatur et exsecrandas devotiones abhorreat, repente daemonum ac sortilegorum concionem non sine ingenti tonitru dissolvi. Quin etiam antra sunt quam plurima, in quibus in summa

1) Alius: modo; alius: motio. 2) Alii: daemonibus. 3) Alibi: cursu. 4) Alibi: dudum. 5) Alius: decurio. 6) Plinius hist. natural. II, 48. 51. 7) Quaest. natur. I, 31. 8) Alius: Illa.

coeli [1]) tranquillitate tonitrua ab accolis et praetereuntibus exaudiuntur. Legistis, opinor, in labyrinthum Aegyptiacum ingredientes tonitrubus [2]) domesticis perterrefactos. Et quemadmodum coetus sortilegorum, ac dira sagarum venena sulphur resipiunt [3]), ita quoque loca illa, in quibus delapsa sunt fulmina, sulphuris odore teterrimo infestantur, ac lapides ipsos fulmineos [4]), daemonis [5]) arte fabrefactos, nihil nisi sulphur redolere vidimus. Jam vero quis adeo coecus, qui daemonum actiones in lapsu fulminis non perspiciat, cum tamen flamma, quo major est, eo velocius sursum abripiatur? Nec solum in casibus fulminum contra naturam daemonum vis [6]) perspicitur, verum etiam in obliquo et circulari et vago motu, neque tantum [7]) in eo, sed etiam in liquatione [8]) gladiorum integra vagina, in exustione suppellectilis arca clausa et illaesa, in pilorum e pudendis [9]) abrasione intacta cute, neque in iis modo, sed etiam in avulsione uxoris a [10]) complexu mariti et in [11]) innumerabilibus actionibus, quae alienissimae sunt a rerum natura, ut ea non nisi daemonum vel angelorum vi ac potestate, contra naturam fieri posse confitendum sit.

CURTIUS: Triplices Jovis manubias antiqui theologi denotarunt, scilicet candidas, rubras, atras; primas quidem solius Jovis consilio fieri dicebant, quod essent innoxiae et quasi cohortatoriae. Id solum fulmen, inquit Seneca, placabile est, quod mittit Jupiter. Ad secundum credebant adhiberi Deos minores, i. e. inferiores Jove planetas, quod fulmen tametsi vulnus infligeret, attamen fiebat sine caede cujusquam. Ad tertium accieri Deos superiores, i. e. superiores stellas, non tamen sine hominum clade. Quod Plinius cum satis non perciperet [12]), re vera putavit ab ipsius Jovis corpore candidas decidere flammas, quod levius est, quam ut refelli mereatur.

OCTAVIUS: Hunc integrandi [13]) supplicii modum secutum fuisse audio Timurbecum [14]), quem nostri Tamerlanem vocant, qui [15]) in urbium obsidionibus tentorio candido primo die utebatur, ut impunitas deditionem sequeretur, die sequenti rubro, quo denotabat caedem priorum ac magistratus futuram, tertio die atra tentoria stragem omnium significabant, si urbs expugnaretur.

SALOMO: Graeci fabulis rerum veritatem ab Hebraeis acceptam contexerunt. Quod enim Junonem aëris praesidem furias praecipites de medio aëre deturbare [16]) finxerunt, ne in coelum evolarent, nihil aliud significaverunt, quam inferiores mentes ac daemones suis quibusdam limitibus conclusos, ne supra nubium regionem erumpant, et a superioribus angelis ac potestatibus dejici ac deorsum in terram deturbari, eaque dejectione mortales terreri et

---

1) Deest in alio codice. 2) Alii: tonitruis. 3) Alibi: recipiunt. 4) Alibi: ipsi fulminei .... fabrefacti. 5) Alius: daemonum. 6) Desunt haec duo antecedentia verba in uno codice. 7) Alibi: tamen. 8) Alius: in liquefactione. 9) Desunt haec in eodem codice. 10) Alius: e. 11) Deest in alio codice. 12) Alius: perspiceret. 13) Alii: irrogandi. 14) Alius: Temisculum. 15) Alibi: is enim. 16) Alius: deturbari.

admoneri candido primum [1]) fulmine, innoxio tamen, post in fulminis vulneribus castigari, nonnunquam etiam clade illata sive uni homini, sive uni familiae, sive uni civitati, ut poena quidem ad paucos, metus ad omnes perveniret. Et innoxia fulmina Jovis consilio fieri dicebantur, ut bonitas Dei optimi maximi conspicua foret, quia per se veniam, largitiones, opes, scientias, omnia denique bona tribuat, magistratibus vero ac lictoribus, i. e. angelis ac daemonibus, judicia ac poenas irrogandas relinquat.

SENAMUS: Ista quidem a vobis eleganter et peraccurate [2]) sunt explicata, sed non intelligo, cur daemones sequantur potius Aegyptiorum cadavera quam Graecorum, aut cur procellas ereptis illis cadaveribus potius quam aliorum excitare soleant. Nemo enim est, qui nesciat, cadavera navibus evehi et invehi sine tempestate consuevisse tum in Asia, tum in Graecia, tum etiam in Italia.

FRIDERICUS: Ista quidem cadavera nondum sepulta; cum enim [3]) Theanus ex urbe Locrensium Thebas navigio delatus [4]) esset, ut Lysidis Pythagoraei cadaver, non ita pridem ab Epaminonda sepultum, in Italiam amicis flagitantibus reveheret. sacris manibus rite [5]) factis, admonitus est in somnio a Lyside, ἀκίνητα μὴ κινεῖσθαι nec sepulcra esse violanda nec [6]) immobilia movenda.

OCTAVIUS: Forsan daemones Aegyptii salutaria hominum generi medicamenta, quae ex illis cadaveribus eruuntur [7]), invident. Argumento sit, quod thesauros reconditos mira diligentia custodiunt et effodientes enecant. Scribit enim Philippus Melanchthon, Magdeburgi duodecim [8]) sortilegos thesaurum effodientes casu turris obrutos et in argentifodina [9]) Rosae [10]) plerosque a daemonibus subterraneis caesos [11]) fuisse. Plenus est Georgius Agricola historiarum ejusmodi narrationibus, ac saepissime in fodinis daemones, pygmaeorum cubitali magnitudine, ab omnibus conspici tradit, quasi in metallis eruendis valde impeditos, huc illuc frusta terrae ac saxa volvere, nihil tamen metallarios terrere, modo ne rideantur [12]); id enim aegre ferre jam pridem Apulejus maximus sortilegus ac veneficus [13]) admonuit. Illud autem mihi mirum [14]) est, neminem unquam, qui daemonis consilio [15]) thesaurum conquisivisset [16]), reperisse aut reperto ditari potuisse.

CURTIUS: Profecto legibus Romanis denegantur pecuniae iis, qui exsecrandis sacrificiis aut alia quavis arte prohibita scrutantur thesauros.

FRIDERICUS: Daemones terrestres, qui thesauris et cadaveribus custodes esse dicuntur, mendaciores et crudeliores esse Chaldaei tradunt, quia

---

1) Alibi: primo. 2) Alius: peracute. 3) Plutarchus de daemonio Socratis. 4) Alibi: perlatus. 5) Deest in alio codice. 6) Desunt tria haec sequentia verba in alio codice. 7) Alii: capiuntur, vel: eximuntur. 8) Alii: sex. In alio codice deest numerus. 9) Alius: aurofodina. 10) Deest in alio codice. 11) Alius: caecos. 12) Alii: videantur. 13) Desunt duo haec verba in uno codice. 14) Addit alius: visum. 15) Deest in uno codice. 16) Alibi: inquisivisset.

longius a puritate lucis et cognitione divina discedunt: Οἱ δὲ Χαλδαῖοι ψεύδειν φασὶ τοὺς προςγαίους δαίμονας, ὡς πόῤῥω θείας ἀποικιθέντας γνώσεως. Atque hos quidem Porphyrius [1]) sanguinis nidoribus supra modum inhiare scribit. Sic [2]) enim Ulysses, a Circe eruditus, scrobem complet cruore victimarum, nec sinit ullum circumvolitantium daemonum, quos Homerus [3]) ψυχὰς vocat, haustu cruoris [4]) ante satiari, quam Tiresias [5]) libasset.

SALOMO: Hanc impietatem ac diritatem sortilegis usitatam divina lex [6]) supra modum execratur, eosque qui cum daemonibus sic epularentur עַל דָּמִים super sanguines.

FRIDERICUS: Quid si daemones illi sunt sceleratorum hominum [7]) animae, qui aut rapinis collectas opes, tenuibus [8]) utiles futuras, humi recondiderant atque in iis spem omnem collocarant, aut qui corporis sui saginandi suarumque libidinum explendarum nimiam curam haberent, cadaveribus quae olim adamaverant ac thesauris semper intenti, justa supplicia diuturno cruciatu luant [9]); aut qui [10]) in aedes ac turres cruore plebis construendas omnia studia contulerunt, iisdem turribus quasi carceribus [11]) conclusi ac vincti poenas dependant? Nec mirum, si cum ad ea loca pervenitur, voces, tonitrua, suspiria, gemitus exaudiantur. Denique impuras mentes circa coenosas foedasque regiones versari ac vagari et tempestates ac procellas ciere non dubito.

TORALBA: Causas earum rerum explicare difficile; illud tamen mirum mihi visum est, quod cum ex Hispaniis in Gallias iter haberem omniaque maxima, mediocria, minima lustrarem, juga Pyrenaeorum totius Europae altissima superans [12]), multa comperi naturae arcana, nihil tamen mirabilius eo lacu, in quem si saxum dejeceris, paulo momento coelum serenum atra caligine obscuratur ac fulminibus gravissimisque imbribus, grandine permistis, regionem totam infestat. Est etiam in monte Sacone Pyrenaeorum ara vetustissima, male cohaerentibus sibi lapidibus exstructa, quorum si quis vel unum loco moverit, repente tonitrua ac fulmina gravesque imbres excitantur. Et quoniam id saepe compertum erat gravi totius regionis detrimento, legibus sanctissime cavetur, ut peregrini ab accolis admoneantur, ne quid auderent [13]), capitali poena subjecta. Quae mihi cum incredibilia viderentur nec tamen capitis periculo [14]) experiri vellem, eo me scrupulo socius liberans [15]): Jam, inquit, collectis frugibus licet id impune experiri. Itaque lapidibus altaris huc illucque disjectis, nemine conscio diffugimus. Non prius tamen in proximam vallem descenderamus, quam validissima fulmina ac tonitrua coelum

---

1) Libro II περί ἀπόχης τῶν ἐμψύχων. 2) Alibi: Hic, vel: Hinc. 3) Odyssea II. 4) Alibi: cineris. 5) Addit alius: ante. 6) Levit. 19, 26. Ezech. 33, 26. 7) Deest in aliis. 8) Deest in alio codice. 9) Alius: diluant. 10) Alius: quasi. 11) Desunt haec duo verba antecedentia in alio codice. 12) Alius: superarem. 13) Alii: audeant. 14) Alius: periculum. 15) Alibi: liberavit.

omne imbribus ac grandine miscuerunt, ut non immerito Thomas Aquinas, clarus etiam[1]) inter physicos, scripserit, daemones fulgura ac tonitrua ciere.

CURTIUS: Consimile est id, quod Plinius et Strabo narrant, tacta[2]) rupe Cyrenaica aut lapide in antrum Dalmaticum injecto, coelum nivibus[3]) ac fulminibus conturbari, quae nunc tamen desiisse accepi, perinde ut oracula Delphica, quaeque ex antro Trophonio et Lebadio exaudiri consueverunt, jampridem conticuere, ut Tullius[4]) scripserit: nihil sua aetate iis contemptius fuisse. Causas tam diuturni silentii[5]) Plutarchus[6]) ad daemonum occasum referri putat oportere.

SENAMUS: Si daemones hoc spectabile[7]) coelum, maria, terras, ignes conturbant, si territanto homines tonitruis, fulminibus, procellis, turbinum impetu, terrae hiatibus ac portentorum inopinato concursu[8]), si legationibus divinis et humanis oberrant[9]), si denique imperia, civitates, urbes, pagos, familias moderantur et evertunt, postremo hominibus singulis custodes et ultores adjecti sunt: videte, quanta daemonum et angelorum multitudo sursum[10]) deorsum in omnibus mundi plagis et in singulis stationibus collocanda vobis sit. Prospiciendum etiam, unde nobis tot angelorum ac daemonum promptuaria sufficere possint, ut sint ubique terrarum et coelorum quasi ministri ordinarii, vicarii, mediastini, quando nihil aeternum ac ne sempiternum quidem esse praeter Deum statuistis. Itaque providendum est de maritandis angelorum ac daemonum ordinibus, ut ex eorum connubiis soboles in demortuorum loca substituantur, aut[11]) magistratibus[12]) abdicantibus, aut stato tempore abscedentibus, aut munere simul et vita defunctis, novi veteribus substituantur[13]). Posuit enim Fridericus daemones utriusque naturae ac sexus, ephialtas inquam et hyphialtas, in sagarum cum incubis et sortilegorum cum succubis conjugatione.

CURTIUS: Hic Platonis dignitas agitur; cum enim posuisset, omnes animas simul creatas fuisse ad immortalitatem, ut vicissim corpora cadaverum occasu subirent, subjecit haec verba: Non, inquit, pauciores erunt unquam animi, nullo pereunte, neque plures. Quin etiam animos αὐτοκινήτους appellat. Quodsi mens est αὐτοκίνητος, erit etiam αὐτοφυής καὶ αὐτάρκης καὶ αὐταγαθός, quae tamen uni tantum Deo convenire Toralba demonstravit.

TORALBA: Plato Phaedonem adhuc adolescens scripsit, Timaeum vero cum aetas ingravesceret jam sua, in quo sententiam mutasse videtur. Sic enim Deum loquentem inducit: Ego satum[14]) animorum dabo, satus[15]) dimittam in corpus. Certum enim animorum immortalium a Deo genitorum numerum nec augeri nec interitu minui scribit, sed perpetua quadam μετεμψυχώσει e corporibus ad corpora migrare.

---

1) Alius: enim. 2) Alius: fracta. 3) Alii: nubibus, vel: nimbis. 4) Libro II de divinat. 5) Alius: Cujus silentii tam diuturni causam. 6) Libro de oraculorum defectu. 7) Alius: spirabile. 8) Alibi: concussu. 9) Alius: si legationes divinas et humanas oberrant. 10) Alibi: seorsum. 11) Alius: ac. 12) Alius: magistratu. 13) Alius: sufficiantur. 14) Alii: statum. 15) Alii: satis, vel: satas.

CORONAEUS: Rem profecto difficilem Senamus, sed justam proposuit [1], quam si explicaverit Toralba, ut omnia argute solet, non tantum Senamo, nobis omnibus, ut confido [2], rem gratissimam facturus est.

TORALBA: Tibi, Coronaee, quicquam denegare nefas esse semper duxi, ac propterea meas ineptias mea [3] facilitate proponere malo, quam illud [4] onus abs Te meis humeris impositum recusare. Sed cum disputatio de angelorum ac daemonum origine, statu, conditione, occasu a demonstrationibus procul abesse videatur, profecto haec ab Ebraeis, qui arcana divina ex ipsis fontibus et sacris laticibus hauserunt, earum rerum explicatio petenda nobis est, nec video, quis melius quam Salomo hoc praestare possit. Quod etiam Porphyrius ad Boëthium et Aristoteles ad Callisthenem, uterque diversis aetatibus, scripsere, rerum omnium origines ac reconditas scientias a Chaldaeis profectas, Chaldaea appellatione complectuntur Ebraei, qui origine Chaldaei sunt, sed arcana illa rerum divinarum, quasi thesauros, occulta quadam disciplina, quam illi [5] Cabalam, Graeci autem, ni fallor, ἀκρόαμα appellant, sed abdiderunt, ut aditus paucissimis patere possit.

SALOMO: Video Toralbam id, quod magna nostrorum omnium expectatione a Coronaeo ipsi delatum [6] est, honesta specie excutere velle. Majores quidem nostrae gentis Chaldaeos [7] fuisse agnosco et in Phoeniciam primum migrasse, unde Cadmus, quae vox ebraica Orientalem significat, litteras in Graeciam advexit [8] ac rursus in Chaldaeam ab hostibus abductos multa divinitus didicisse, sed nihil accepimus, quod non sit omnibus omnium vocibus ac linguis toto terrarum orbe dissipatum ac pervulgatum, ut latere possit neminem.

Quae cum Salomo dixisset, caeteri conticuerunt, quod hominem aetate gravem interpellare contra decus et dignitatem arbitrarentur. Sed CORONAEUS rupto silentio: Nihil abs Te, inquit, Salomo, scire desideramus, quam quod vestri mores, vestra disciplina, vestrae leges patiantur, et quoniam angustiae [9] temporis longiorem disputationem ferre non possunt, differendum mihi commodius videtur, ut paratiores redeamus. Tum laudatorio cantico, fidibus, vocibus ac fistulis suavissime animos oblectati [10], mutua consalutatione [11] accepta discesserunt.

---

1) Alius: poposcit. 2) Alibi: quod confidat. 3) Alius: nimia. 4) Alibi: ullum. 5) Alius: ipsi. 6) Alius: delatum illi. 7) Alius: Chaldaicae. 8) Alius: invexit. 9) Alibi: angustia ..... potest. 10) Alius: animum delectati. 11) Alibi: consolatione.

LIBER TERTIUS.

Cum ad coenam Salomo tardius venisset, CORONAEUS illum intuens: Tuae te, inquit, salutis deinceps curam habere oportet, Salomo, ne cum tanto studio mentem pascis, corpus ipsum inedia contabescere patiare.

SALOMO: Vereor, ut vobis, cum aetas ingravescat, jam in eo molestus sim, quanquam nihil prohibet, quominus me absente, dum[1]) tardius redeo, sessum eatis et ut jubeas, abs Te, Coronaee, peto.

Cum itaque consedissent, Coronaeus coeptam superioribus diebus Phaedonis lectionem persequi jussit, et cum eo loci venissent[2]), ubi Plato animas solutas corporibus a daemonibus eorumque ducibus judicio sisti et ad supplicia suis sceleribus digna trahi[3]) scribit, locum relegere, deinde finem legendi facere jussit.

Tum coena peracta post laudatoria cantica ita orsus[4]): Loci hujus obscuritas, inquit CORONAEUS, mihi dubitationem injecit, cur antiqui tum Graeci tum Ebraei tanta obscuritate et caligine velarint sua scripta, ut vix ac ne vix quidem a sapientibus intelligerentur, quae tamen percepta mirabilem afferunt tum utilitatem, tum oblectationem. Nam Aesopus, fabularum scriptor antiquissimus, illecebris quibusdam animantium[5]) universam[6]) humanae vitae rationem complexus est. Sic Pythagoras symbolis quibusdam allegoricis et illis carminibus, quae ob suam[7]) praestantiam χρύσέα ἔπη dicta sunt, Orpheus, Homerus, Hesiodus, Trismegistus[8]), Terpander et antiquissimi denique philosophi sapientiae suae[9]) decreta obscuritatis caligine contexerunt, quin etiam sacratiores litteras allegoriarum plenissimas vidimus.

OCTAVIUS: Nihil verius ab Augustino[10]) dici potuit, quam illud: Ea demum miserabilis animae[11]) servitus est, signa pro[12]) rebus capere et supra corpoream naturam mentis oculum ad hauriendum lumen aeternum attollere non posse. Idem alibi[13]): Utilis est, inquit, scripturae auctoritas, cum diversas sententias parit.

FRIDERICUS: Cum nihil perspicuitate utilius sit, haud scio an ullum in scriptore gravius sit vitium, quam, quae facillime possis, ea obscura tradere, ut liber Apocalypseos, qui tanta verborum ac rerum obscuritate[14]) implicatur, ut ne auctor quidem ipse, si reviviscat (quis qualisque fuerit, nondum constat inter eruditos), sua scripta quid velint, liquido affirmare ausit. Atque haec obscuritas Juliano Imperatori, Porphyrio, Proclo, Celso, ut Ebraeorum et Christianorum scripta calumniarentur, maximum praebuit argumentum.

---

1) Alius: cum. 2) Alius: venissem. 3) Alius: capi. 4) Alius: exorsus. 5) Alibi: animantibus. 6) Alius: universae. 7) Alius: sui. 8) Deest in aliis codicibus. 9) Deest ibidem. 10) De doctrina christiana cap. 5, 10 et 11. 11) Alibi: vitae. 12) Alibi: sine. 13) Lib. II de civit. Dei. 14) Alius: ambiguitate.

CORONAEUS: Cum illa ratio scribendi veterum fere omnium communis sit, prospiciendum nobis est, ne absentes et indicta causa damnati a nobis videantur. At ne Julianus ipse quidem Augustus, is qui[1]) παραβάτης, i. e.[2]) transfuga, cum a Christianis ad paganos defecisset, usurpatur, quantumvis Christianis infestus esset, Basilii Magni librum ante rejecit, quam legisset ac relegisset, ut epistola his tribus verbis scripta significavit: ἔγνων, ἀνέγνων, κατέγνων.

CURTIUS: Ego duabus de causis potissimum existimo veteres sapientiae decreta verbis obscuris tradidisse: primum ne margaritae porcis, deinde ne res preciosissima, i. e. sapientia, sua vilesceret[3]) facilitate. Nam vulgaria fere contempta jacent, etiamsi preciosa. Extat Lysidis Pythagoraei epistola graviter querentis, quod plerique secretiorem philosophiam quasi meretricem prostituerent iis, qui[4]) mentis purgationem ne per somnum quidem capere possent, eosque non minore impietate obligari, quam si Dearum Eleusiniensium[5]) adyta profanarent aut aquam puram coeno conspergerent. Itaque Porphyrius Plotinum phthisi[6]) periisse scribit, quod contra jusjurandum Ammonis[7]) arcana divulgasset. Quin etiam Plato, cum rerum divinarum arcana Dioni scripsisset, litteras exuri jussit, quoniam[8]) ridicula, inquit, videntur, quae sunt admiratione dignissima. Et in epistola ad Archidamum, in qua de natura Dei scribit: φραστέον δὴ σοὶ αἰνιγμόν. Item Porphyrius: Tu vide, inquit, ne ista cum hominibus impuris communicari patiare, majus enim tibi quam mihi periculum impenderet; non enim aperte Dii, sed aenigmatice sua mortalibus tradiderunt.

SENAMUS: Alia mihi mens est, nam[9]) cum plerosque verborum obscuritatem[10]) sic affectare videmus, ut admirabilitatem sui efficiant, sic enim seplasiarii notis Graecis, Arabicis verbis et Gothicis litteris utuntur, ut medicinam faciant confusiorem[11]), aut ne intelligentibus sui irridendi praebeant argumentum, neque enim facile carpimus, quae[12]) non capimus. Talem fuisse accepimus Heraclitum, qui tam obscure de natura scripsit[13]), ut Plato[14]) Delio natatore opus esse diceret. Is enim discipulos instruebat uno verbo σκότησον, quod Aristotelem[15]) quoque opera dedita fecisse legimus in libris τῶν φυσικῶν ἀκροαμάτων. Ac tametsi Plato caeteris apertius, interdum tamen obscure ita scribit, ut ne ipsum quidem, si reviviscat, sua scripta de numeris interpretari posse videatur, ac ea potissimum, quae libro de republica octavo scribit, in quibus interpretandis Theon uterque, Plotinus, Proclus, Jamblichus, Marsilius hircum mulgere videntur. Quid Aegyptia va-

---

1) Alibi: isque. 2) Desunt haec et septem sequentia verba in alio codice. 3) Alibi: vilescat. 4) Alius: quae. 5) Alius: Eleusinarum. 6) Deest in alio codice. 7) Alius: daemonii. 8) Desunt haec sex sequentia verba in aliis codicibus. 9) Alius: nam cum. 10) Alibi: puritatem. 11) Alii: quaestuosiorem. 12) Alibi: quod. 13) Alius: scripserat. 14) Addunt alii: ad ea intelligenda. 15) Ita Gellius ex epistola Aristotelis ad Alexandrum M. scribit.

nitate levius? Illa tamen deliramenta litteris hieroglyphicis sic texerunt, ut sacrata quaedam oracula viderentur.

OCTAVIUS: Sunt qui sua scripta neque a doctis, neque ab indoctis legi velint, ut Lucilius, ne alteri ob imperitiam rejiciant non intellecta, alteri nimis intellecta calumnientur.

SALOMO: Senami reprehensio in sophistas quidem, non tamen in sapientes cadit, multo minus in eos, qui sacrae sapientiae decreta scriptis obscurioribus velarunt. Profecto Rabbi Moses Maimonides per sacra obtestatur lectores, ne arcana divulgari aut a profanis hominibus pollui patiantur.

SENAMUS: Quid si peccandi argumentum et occasio ab obscuritate ipsa trahatur? Certe Salomonis scripta, quae ipse allegorias inscripsit, plerisque absurda videntur. Quid enim hoc sibi vult: Nequitia viri praestat mulieris bonitati? Illud enim foeminas a lectionibus sacrae scripturae quam plurimas [1]) avertit.

SALOMO: Ebraeis dictio רַע malum et deforme significat, ut טוֹב bonum et pulchrum, quod Academici καλὸν καὶ ἀγαθὸν dicunt. Sic enim Sara dicitur a regibus expetita [2]) ad concubitum [3]), quod esset optima i. e. valde formosa. Innuit igitur sapiens [4]) eleganti allegoria, viros deformes formosis mulieribus praestare, item foeminarum blanditias pejores [5]) esse acerbis [6]) sermonibus virorum. Item animos corporibus excellere; mulier enim corpus allegorico sermone [7]) utique [8]) significat; item intellectualem facultatem, utcunque prava fuerit, praepollere cupiditati, quae bruta et mortalis anima dicitur. Huc enim pertinet, quod scribitur in Ecclesiaste [9]): inter viros mille unum sapientem reperi, foeminarum ex [10]) omnibus nullam. Id quidem de mulieribus nudo sensu intelligi non potest, cum sola Debora sua aetate et sola Hulda imperante Josia prophetiae ac sapientiae divinae muneribus inter sexaginta [11]) millia inertium virorum fruerentur [12]). Item appellatione viri formam naturalem, mulieris vero materiam intelligit, quam etiam saepe in proverbiis [13]) meretricem appellat, quae ut virorum, sic illa formarum multitudine delectatur. Plena sunt regis Salomonis scripta allegoriarum, in quibus interpretandis strenuum se praebuit Philo, moralia secutus, Leo Ebraeus naturalia. In utroque claruerunt [14]) Rabbi Moses Maimonides ac Talmudici scriptores. Hi tamen obscurius; at ne scriptis quidem sua prodidissent, nisi librorum interitum metuissent [15]). Et quoniam illa disciplina sola auditione percipiebatur [16]), קַבָּלָה dicta est. Id enim voluit Esdras [17]), cum dicit: alia quidem pervulgabis, alia trades sapientibus. Et quemadmodum plebi locus erat in atrio templi, a Levitis

1) Alibi: quam plurimum. 2) Alibi: repetita. 3) 1 Mosis 12, 14. 39. 4) Alibi: saepius. 5) Alius: diriores. 6) Alibi: acribus. 7) Alius: sensu. 8) Alius: ubique. 9) Ecclesiastes 7, 29. 10) Alibi: de. 11) Judith IV, 4; 2 Regum 22, 14; et 2 Chron. 34, 22. 12) Alius: sexcenta. 13) Desunt haec verba in alio codice. 14) Alii: clarescunt, vel: clari sunt. 15) Alius: metuerent. 16) Alibi: suscipiebatur. 17) Esra lib. IV, c. 14. Nehem. IX, 9.

discreto, sacerdotibus intra velum aditus erat, non caeteris Levitis, et uni tantum pontifici maximo in sacratissimum illum locum, ubi erat foederis arca; sic etiam sacri libri ita scripti sunt, ut ea, quae ad uniuscujusque salutem pertinent, cujusmodi est decalogus et omnia decalogo consentanea, facillime ab omnibus percipiantur [1]), scilicet jussa, vetita, poenae, judicia, festa, ritus, mores, quae omnia 613 capitibus continentur, tanta perspicuitate, ut patiantur dubitare neminem. Quae vero minus ad salutem faciunt, ut rationes occultae rituum ac sacrificiorum ac a doctis [2]) tantum quaedam vero non nisi a doctissimis intelligi possunt, ut quae a nostris appellatur Cabbala, i. e. scientia naturalium arcanorum, postremo omnium difficillima ad currum pertinet, qui ab Ezechiele ita scribitur, ut in ipso apparuerit coelestium orbium ac rerum divinissimarum admiranda descriptio, quam Moses, qui a nostris [3]) aperta aquila dicitur, summis digitis attingere contentus, secretiora noluit explicare.

SENAMUS: Si haec tam sublimia nihil habent utilitatis aut ejusmodi sunt, quibus carere facile possumus, illud usurpandum nobis est, quod psaltes lyricus: Non exquisivi, inquit, mirabilia et supra captum meum, sed humilis [4]) me gessi. Sin haec ad scientiam et sapientiam divinam pro●tura sunt, malevoli et ipsa invidia jejuni animi sit,, thesauros abditos humanis usibus eripere ac verborum ambiguitate mentes imperitorum [5]) magis ac magis implicare.

SALOMO: Ne igitur [6]) a thesauri similitudine discedamus, legistis eleganter fictam Aesopi fabulam, qua paterfamilias jam moriturus liberos consolatur, qui [7]) tametsi non magnas opes ac latifundia legaret, thesaurum tamen in vinea sua latere affirmabat, quo suam inopiam cumulate sublevarent. Mortuo patre liberi summo studio ac labore conquirentes, cum nusquam thesaurum reperirent, vineam paternam aliud agentes cultissimam ac noxiarum herbarum purgatissimam reddiderunt, unde proventus uberrimos collegerunt. Ita quoque si divina scripta studiose legamus ac lecta saepius meditemur [8]), thesauros studioso incredibiles eruere licebit. Nam eo spectat regalis illa vox, qua David initio laudationum suarum summam felicitatem praedicat illius, qui assiduis cogitationibus die nocteque [9]) leges divinas contemplatur. Item precatur a Deo [10]), nubeculam oculorum sibi detrahi, ut admirabilem sapientiam divina lege comprehensam intueri possit. Fit enim illa mentis agitatione erga litteras divinas obscuriores, ut non solum a vitiis abstineamus [11]) ac verum [12]) decus amplectamur, verum etiam corpori salubritas, menti prudentia ac sapientia et cum immortali Deo arctissima con-

1) Addit unus codex glossam hebraicam cum verbis: lex quae ore traditur. 2) Alibi: doctoribus, vel: doctioribus. 3) Desunt haec quatuor verba sequentia in aliis codicibus. 4) Alius: humiliter. 5) Addit alius: erroribus. 6) Alibi: ergo. 7) Alius: quid. 8) Alius: meditamur. 9) Alius: noctuque. 10) Psalm 68 (69), 18. 11) Alius: abhorreamus. 12) Alibi: novum.

nexio [1]) quaeratur. Illud vero gravius [2]), quod in eo ipso laus Dei agitur, cum ejus arcana pervulgata obsolescant, ut acute scripsit Salomo [3]): Gloria Dei est, inquit, arcana celare, gloria regum arcana scrutari [4]). Quod Tobias [5]) paulo aliter: Praeclarum est, inquit, arcana regum celare et opera Dei laudare. Nam opera Dei patent omnium oculis, arcana vero paucis.

SENAMUS: At obscuritas non modo bonos a lectione detinere [6]), verum etiam improbos ad rerum divinarum contemptum excitare videtur. Cum enim Porphyrius arboris scientiae boni et mali fructus decerpere nullo modo posset, negavit in hortis illis deliciarum censeri debuisse fructum, aspectu quidem jucundissimum ac sapore gratissimum, sed tamen homini, quem Deus in illis hortorum umbraculis viriditatis [7]) collocarat, mortiferum ac pestilentem, multo minus homines a prudentiae cognitione vetito salutari fructu arceri debuisse, cum prudentia dux humanae vitae sola turpe ab honesto dividere [8]) possit. Quod autem scribitur, fructum vitalis arboris divino jussu ab horti viridariis avulsum, ne, si Adamus eo vesceretur, in aeternum viveret, in Dei optimi maximi contumeliam scriptum esse. Denique serpentis cum muliere ac Dei cum hominibus colloquia et absurda et incredibilia videri.

SALOMO: In disputationibus rerum divinarum illud inprimis prospiciendum est, ne quid cuiquam [9]) temere excidat, nihil enim gravius ac capitalius peccari potest. Illud autem usu venire solet iis, qui rerum humanarum fastu ac dialecticorum argutiis inflati omnia supera, infera, prima, ultima ingenii acumine ac subtilitate capere se posse confidunt, cum sine ope divina id consequi nemo queat. Quod sapientiae magister [10]) uno verbo significat: Inquirit derisor sapientiam, sed frustra. Quanquam Porphyrius, inscitia dicam an impietate, oracula divina calumniatur, quasi legislator prudentiam significaret et vitam beatam hominibus invidisse Deum, cum libro sequenti scripserit Bezaleelem spiritu divino, sapientia, prudentia, scientia et omni artium genere ab immortali Deo fuisse abunde cumulatum, quibus quidem donis ac muneribus omnes omnino virtutes continentur. Spiritus quidem divinus tribuitur Dei munere et concessu ad illustrandas humanae mentis caligines ac futura prospicienda. Sapientia vero pietatem ab impietate, prudentia bonum a malo, scientia verum a falso, ars utile ab inutili sejungit. Cum autem sapientiae princeps ab immortali Deo excitatus, ut quid vellet a se peteret, ille prudentiam petiit [11]), qua quidem turpe segregaret ab honesto, et cum qua homines ad Dei metum et venerationem cohortaretur: Quoniam, inquit [12]), Deus sapientiam abunde largi-

---

1) Alius: conjunctio. 2) Alii: gnavius. 3) Proverbia XXV, 2. 4) Alibi: eorum celare. 5) Tobias XII, 7. 6) Alius: deterrere. 7) Alius: viridatis. 8) Alibi: dijudicare. 9) Alius: ne quicquam. 10) Proverb. XIV, 6. 11) 1 Regum III, 9 sqq. 2 Paral. I, 7. 10 sqq. 12) Proverb. II, 6. XI, 30.

tur, ab eo solo scientia et prudentia. Idem alibi: Fructus justi lignum vitae, quam interpretatur sapientiam. Ac tantum abest, ut hominem a fructu vitali prohibuerit, ut etiam his verbis invitarit: Forsan, inquit [1]), decerperet Adamus fructum vitalem, ut eo vescatur et vivat in aeternum. Sic enim paraphrastes Chaldaeus consimili oratione utitur pereleganti figura. Ad Jesaiam conversus Deus: Dic, inquit [2]), populo huic: audiendo audite, videndo videte, ne tamen cognoscatis; crassum reddito cor istius gentis et aures obtura, oculos obline, ne forsitan audiat, videat, intelligat et ad me conversus saluti restituatur. Quorsum haec loquendi ratio, nisi quod semper nitimur in vetitum nec ardentius quicquam optamus, quam quae nobis eripi vel prohiberi videmus. Docet igitur Mosen ac Esaiam, quibus artibus miseros homines a facinorosa et conscelerata vita ad verum decus revocare ac saluti restituere debeant. Cave legibus divinis operam dare, cave sapientiae studiis incumbere, ne sempiternam ac beatam vitam adipiscaris; haec oratio apud homines improbos et cupidos efficacissima esse consuevit.

SENAMUS: Nulla res me diutius exercuit, quam arboris utriusque ac serpentis allegoria.

SALOMO: Et graecis et latinis interpretibus est ignota. Ac tametsi quidam ex Ebraeis [3]) arcanos allegoriae sensus aperuerint, omnia tamen eorum studia inania futura sunt, nisi Deus mentes nostras ad haec percipienda illustrarit.

FRIDERICUS: Periculi plena res mihi videtur, sacrae scripturae litteras [4]) ad allegoriam deduci, ne rerum gestarum historia in fabulas evanescat.

OCTAVIUS: An ullum, Friderice, serpentis cum muliere colloquium fuisse putas? qui odio tam implacabili inter se certant, ut serpentis intuitu solo mulier abortum patiatur ac in turba virorum unam mulierem ad ultionem [5]) serpens petat ac persequatur. Nihil ergo [6]) verius dici potuit, quam illud: Littera occidit, spiritus vivificat [7]).

SALOMO: In sacris litteris historia pura saepe narratur, ut cum censetur populus et suis quibusque [8]) tribubus duces attribuuntur. Est etiam cum historia quidem [9]) narratur, sed praeter historiam allegoria latet occulta, ut cum Sara ancillam et filium rejiciendum suadet, theologi acutiores etiam cupiditatem renitentem virtutibus, cum filio peccato, a ratione dominante ablegari oportere docent, cum eadem ancilla domum redire ac Sarae morem gerere jubetur ab angelo, tum cupiditatis obsequium ac [10]) rationis dominatum interpretantur, ab intellectu agente. Hinc illa Dei vox ad Abra-

---

1) 1 Mosis 3, 22. 2) Jesaiae VI, 9 sq. 3) Philo in allegoriis biblicis. Leo Ebraeus l. III de amore. 4) Alius: sacras litteras. 5) Desunt duo haec verba in alio codice. 6) Alibi: enim. 7) 2 Corinth. 3, 6. 8) Alius loco horum duorum verborum: singulis quoque. 9) Omnes codices: quaedam. 10) Alius: tum.

hamum: Fac quaecunque dixerit tibi Sara, id est: ratio; cum etiam [1]) Sara contestatur [2]), ancillae filium haeredem non futurum, innuit etiam eos, qui vitiis inserviant et libidini, divina bona nunquam adepturos. Saepe quoque visiones ac somnia divina pro rebus gestis narrantur, in quo plerique suam navim afflixerunt, plerique [3]) etiam naufragium fecerunt, qui Deum cum hominibus quasi vigilantibus colloqui arbitrantur. Neminem enim unquam Deus allocutus est [4]) vigilantem, praeter Mosen, et quominus ambigeretur, perspicua Dei voce testatum habemus in ipsa lege. Ergo angeli vox ad Bileamum, aut asini loquentis in scriptura ad visa dormientis Bileami referenda sunt, et [5]) quaecunque Abrahamo et prophetis omnibus oracula data commemorantur, uno tantum Mose excepto, cui vigilanti locutus est Deus. Qua quidem ratione clarissima lux ad caliginem sacrarum scripturarum discutiendam accedit. Interdum allegoria facilis ac pura traditur, ut cum lex jubet [6]), praeputia cordium circumcidi. Saepe verba triplicem sensum prae se ferunt: vulgaris sensus ad captum imperitorum accomodatur, ut cum Salomo [7]) vetat coram rege superbiam et arrogantiam prae se ferre, secretiore sensu ad Deum pertinet, ad quem abjecto et humili habitu accedere oportet; semper enim Salomo significat Deum regem [8]), nisi Dei vox cum rege conjungatur, ut illud: Cor regis in manu Dei est [9]). His autem verbis Deus significatur: Ne, inquit, cogitatione tua vituperaveris regem, nec vituperes in penetralibus lecti tui divitem; volucres enim coeli efferent [10]) vocem et avis allata rem vulgabit [11]). Quibus verbis vetat de Deo impie cogitare. Lectus enim in sacris allegoriis [12]) corpus humanum significat, volucrum autem vox daemones, tametsi volucres [13]) et pro angelis accipiantur, ut apud Jesaiam [14]) angeli quoque ac daemones avium appellatione saepe significantur. Nam utrique custodes vel lictores hominibus additi cogitationes occultas atque intimos sensus nudant, ne quod inultum scelus ac pia cogitatio sine praemio relinquatur. Chaldaeus paraphrastes [15]) haec Salomonis verba interpretabatur de angelis Raziele et Elia [16]), quos occultissima quaeque scelera patefacere scribit.

SENAMUS: Acutissime Salomo Salomonem interpretatur, sed quis hanc interpretationem divinare potuisset?

OCTAVIUS: Ego locum hunc de volucribus, qui cogitationes et intimos sensus regi aperiunt, ad eos reges pertinere duco, qui domesticos daemones sibi vel sese illis adjunxerant, a quibus omnia omnium dicta, facta, cogitationes perinde intelligunt, ut ab illis spectatoribus, quos veteres tyrannorum ὀφθαλμοὺς καὶ ὦτα ἀρχόντων appellabant; nullum enim tyranni secretius habent arcanum.

---

1) Alius: ita. 2) Alius addit: maritum. 3) Alius: plures. 4) Numeri XII. 5) Alii: ut. 6) 5 Mosis 10, 16. 7) Proverb. 25, 6. 8) Alius: regis appellatione. 9) Proverb. 21, 1. 10) Alius: volucris .... efferet. 11) Eccles. 10, 20. 12) Psalm. 9 (8), 24 (25), 103 (102), 143 (142). Jobi 38, 46. 13) Alius addit: interdum. 14) Jesaiae 46, 11. 15) In cap. 10, 20 Ecclesiastis. 16) Unus addit: sacerdote magno.

SENAMUS: Si tantum potuissent aves illae ac volucres sive daemonicae sive angelicae, quid est quam ob rem Neroni, sacrilegorum [1]) ac tyrannorum maximo, conjurationem Pisonis patefacere noluere? cum Simoni mago ac daemonibus conjunctissimus esset, ut Plinius et Irenaeus tradunt.

FRIDERICUS: Nihil daemones injussi faciunt nec ullius occulta scelera nudant, nisi Dei jussu et angelorum superiorum [2]) potestate.

CORONAEUS: Cum solius Dei proprium sit, intimos omnium sensus et animorum occultos recessus pervestigare, ut quidem rex Salomo dedicatoria oratione declarat aperte, quid angelis et daemonibus illis opus ad secretiores mentis latebras pervulgandas? [3])

CURTIUS: Extat profecto Thaletis elegans in hanc sententiam oratio: cum enim rogaretur, an qui scelerate quid agat, Deum latere potest? At ne cogitans quidem, inquit; Graeci melius: εἰ λήθοι θεοὺς ἄνθρωπος ἀδικῶν, ἀλλ' οὔτε διανοούμενος, ἔφη.

SALOMO: Diximus ante ac dicendum saepius est, Dei majestatem angelorum ac daemonum officiis quodammodo augustiorem videri, quam si per se ipsum solo nutu, sicut [4]) potest, omnia procuraret [5]). Ac tametsi solus omnium occultissimos sensus retegit, singuli tamen angeli singulis hominibus custodes additi, sensus intimos aperiunt, non item aliorum cogitationes. Item daemones, quibuscum sortilegi in nefarium societatis foedus coiverunt [6]), eorum sensa plane intelligunt. Argumento sit, quod qui sortilegi ad rectam cogitationem aut Dei metum paulo momento convertuntur, repente a daemone sese conturbari [7]) confitentur. Sin vir bonus ad pravam cogitationem deflexerit, subinde sentit [8]) in ipsis animi sensibus magistrum ac paedagogum, qui a turpi cogitatione illum avertat aut etiam auris dextrae tinnientis levissima vellicatione aut [9]) punctura, quam innuit poëta his verbis: C y n t h i u s a u r e m v e l l i t e t a d m o n u i t. Quod Socrates [10]) a daemonio familiari vel potius ab angelo sibi fieri praedicabat, dextra quidem suadendo, sinistra dissuadendo, aut orbiculo lucido interdiu aut ignea specie noctu, aut etiam levissimo strepitu admoneri. Quae facillime percipiuntur ab iis, qui spiritu Dei patiuntur se duci. Si non pareat admonitus, terretur somniis matutinis, quae ab Ebraeis matutinae castigationes appellantur. Si ne hac quidem cogitatione [11]) ab impiis cogitationibus deducitur, angelus ultionem reposcit, accusatione proposita, ut nemo innocens damnari aut ullum [12]) scelus inultum, nisi facti pigeat, relinqui videatur, judicia constituuntur, daemonibus etiam quasi lictoribus destinatam sibi praedam deposcentibus, quam [13]) Deus illis permittit. Huc enim pertinet illud [14]): A s c e n d i t l e o d e c u b i l i s u o, p r a e d o g e n t i u m s u r r e x i t. Item [15]): P e r c u s s i t e o s l e o d e s i l v a,

---

1) Alibi: sortilegorum. 2) Alibi: superiore. 3) Alius: evulgandas. 4) Alibi: quomodo. 5) Alius: percurreret. 6) Alibi: inierunt. 7) Alius: confitentur. 8) Alibi: sentiet. 9) Alius: et. 10) Plutarchus in libro de daemonio Socratis. 11) Ratione legunt alii. 12) Alii: illud. 13) Alius: quae. 14) Jerem. IV, 7. 15) Jerem. V, 6.

lupus vespertinus vastavit eos, pardus vigilans supra civitates eorum. Item: *Quis dat escam pullis corvorum vociferantibus ad illum* [1]? i. e. divinae majestatis carnificibus ac tortoribus sceleratorum vindictam petentibus. Quod alibi [2] apertius scribitur: *Spiritus ad ultionem creati sunt, qui furoris sui flagella vibrant.* Item [3]: *Misit Deus spiritum malum inter Abimelech et cives Sichem.*

SENAMUS: Antiquissimi quoque theologi pullos corvorum, a parentibus desertos, divina bonitate et procuratione nutriri summa consensione tradunt, eoque pertinere dictum illud: *Qui dat escam pullis corvorum?*

SALOMO: Error inde manavit, quod phrasin ebraicam, quae Graecis quoque communis est, latini theologi non perceperunt [4]. Nam filios corvorum pro corvis, ut filios prophetarum pro prophetis, filios sanguinum, filios injustorum pro impiis ac sicariis acceperunt. Sic enim Ebraei בְּנֵי אָדָם filii hominum i. e. homines, et Graeci παῖδες ἰατρῶν pro medicis. Sic etiam illud: Quem dicunt homines esse filium hominis, i. e. quem dicunt esse hominem [5]?

TORALBA: Eo quidem errore me Salomo liberavit, ut ingenue illum acceptum feram; at mirum mihi ante videbatur, quam ob rem corvi pullos famelicos deserere putarentur ob id tantum, quod recentes exclusi non plane nigri essent, cum pleraque animantium nascentium genera colorem a parentibus alienissimum habere videantur, quae tamen incredibili studio a parentibus nutriuntur. Nam cygni senio candidissimi pullos excludunt fuscos, et tantum abest, ut corvi [6] pullos ab alimentis desertos patiantur, ut etiam cornicem incubantem a masculo et pullos jam volantes a foemina pasci Aristoteles [7] ipse ac Plinius [8] fateantur [9]. Itaque Apollonius apud Philostratum Euripidis versum modice castigans: ἅπασι τοῖς ζωοῖσιν ἡ ψυχὴ τέκνα, cum ille tantum hominibns tribuerit, i. e. τοῖς ἀνθρώποις.

SALOMO: Eodem sensu scribit Psaltes lyricus [10], Deum escam leoni petenti largiri. Cur leoni potius, animantium ferocissimo, qui parcissimus est in cibo, neque nisi quarto quoque aut ad summum alternis diebus pascitur, quam exarmatis ovium et caprarum gregibus, hominum usui maxime necessariis [11]? Alibi de catulis leonum [12], nam si re vera de catulis ageretur, aeque matris ut aliorum animantium ubera sufficiunt, quanquam alius quoque [13] est locus de corvis, quo facile vulgatus error refelli possit: Quis parat venatum corvo, cum ejus pulli ad Deum clamant et cibo carentes huc illuc oberrant [14]? Haec igitur ad daemones pertinent, qui praedam sceleratorum sibi conquirunt [15] nec nisi divino concessu rapiunt. Eo pertinet et illud Salomonis [16]: *Corvi apud torrentes eruant oculum et aquilae*

---

1) Psalm. 147, 9. 2) Psalm 78, 49. (Jes., 19.) 3) Jud. 9, 23. 4) Alibi: *perceperint.* 5) Matth. 16, 13. 6) Alibi: *corvos.* 7) Historia animalium VI, 5. 8) Histor. natural. X, 12 et 60. 9) Alius: *fatentur.* 10) Psalm 103 (104), 21. 11) Oppianus de venatione, libro III. Plinius H. Nat. lib. 8. 12) Jobi 38, 39. 13) Alius: *etiam.* 14) Job. 38, 41. seq. 39, 1. 15) Alii: *congruunt.* 16) Proverb. 30, 17.

vorent eum qui patrem deridet et despicit obsequium matris. Quae allegoria praeter sensum vulgarem significat daemones elementares hujus mundi, qui revera torrens est materiae fluentis, caecitate animi ac furore torquere, luce mentis extincta eorum, qui Deo parenti rerum omnium contumeliam et piae matri, legibus naturae, vim inferant [1]). Nam patris appellatione Deus, matris vero natura significatur apud Salomonem. Illud etiam adversione dignum, quod oculum dixit, non oculos; nam singulari voce oculus mentem significat. Sic etiam Bileamus vates uno oculo acutissime videre dicebatur, quoniam rerum publicarum mirabiles conversiones tribus circiter annorum millibus praevidit [2]) ac praedixit. Sic enim [3]) Chaldaeus interpres.

SENAMUS: Si corvorum appellatione μελανοδαίμονας licet [4]), etiam cygnorum verbo λευκοδαίμονας licebit interpretari, quales in Africa Leo Afer [5]) versari scribit, ut Aethiopes a daemonibus, colore opinor, distinguantur.

OCTAVIUS: Tametsi [6]) daemones saepius atrati apparent, ut non modo nostri, sed etiam antiquissimi [7]) scriptores ab ultima memoria prodidere, quales fuere [8]) daemones, qui Dioni [9]), qui Cassio Parmensi, qui sortilegis saepissime visi sunt, non tamen opinor, propterea daemones corvorum appellatione significari, sed quia daemones corvorum in modum cadavera consectantur, ut de cadaveribus Aegyptiorum superius dictum est, ac de spectris, quae circa sepulcra ac patibula vagantur.

FRIDERICUS: Imo etiam quia daemones cadaveribus ipsis ad hominum perniciem et nefarios concubitus cum sortilegis abutuntur; quod enim Augustinus [10]) omni asseveratione confirmat ac summae imprudentiae esse scribit, daemonum cum hominibus concubitus negare, tot ac tantis exemplis et indiciis testatum habemus, ut Sprengerus [11]) scripserit, stryges innumerabiles, priusquam extremo supplicio dederentur, summa consensione nefariam illam copulam confiteri. Quin etiam Franciscus Picus scribit, duos sacerdotes sua aetate flammis exustos, quorum alter annos [12]) amplius triginta, alter quadraginta cum daemonibus concubuisse fatebantur, cum prius uterque convictus esset et confessus plurimos se infantes daemonibus mactavisse, ne insuetum videatur, quod Aristoteles scribit, fuisse in Ponto mulierem, quae exenteratis foeminarum gravidarum visceribus embryone vesceretur. Huc etiam pertinet illud Horatii in arte poëtica:

Neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat alvo.

CURTIUS: Mihi venit in mentem, quod Pausanias in Phocicis [13]) scribit, apud Cretenses legibus cautum fuisse, ut maritorum cadavera, quae

---

1) Alius: inferunt. 2) Alibi: providit. 3) Alius: etiam. 4) Alius: licebit. 5) In descriptione Africae. 6) Alibi: Etiamsi. 7) Addit alius: quoque. 8) Alibi: fuisse. 9) Plutarchus in Dione. Valer. Max. lib. V. 10) Lib. 18 de civit. Dei. 11) In malleo maleficorum. 12) Alibi: annis. 13) Alius: Pharsalicis.

cum viduis concubuerant[1]), capitali judicio quasi viventia plecterentur ac ferro candente eorum capita configerentur[2]), deinde cadavera exurerentur nec aliter a concubitu viventium arceri potuisse ac propterea κατεκανὰς[3]) daemones appellatos fuisse.

OCTAVIUS: Oportuit igitur daemones cadaveribus resumtis ad concubitum abuti ac propterea corvos appellari, quod cadavera sectarentur et atrati apparerent.

SALOMO: Quaecunque causa sit, planum est, daemones in scripturis etiam populos Aethiopum appellari, sic enim interpretes LXXII verbum צִיִּים daemones interpretantur: Aethiopes[4]), et alibi: Tu confregisti capita Leviathan, dedisti escam eum populis Aethiopum, ubi etiam עיים propriam daemonum appellationem interpretantur Aethiopes, ut ambigua voce arcanum tegerent. Leviathan vero LXX vertunt δράκοντα, qui princeps eorum esse dicitur, qui non cadavera, sed mentes ipsas impiorum ad supplicium deposcunt, ut Behemoth princeps eorum daemonum, qui de corporibus ultionem accipiunt. Uterque significatur[5]) ab Ezechiele[6]) appellationibus regum Aegypti et Assyriae his verbis: Sic dicit dominus: ecce ego contra te Pharao, rex Aegypti, draco magne, recubantem in medio fluviorum tuorum, qui dixisti: meus est fluvius et feci mihi. At ego ponam hamos in maxillas tuas et efficiam, ut haereant pisces fluviorum tuorum squamis tuis; excutiam Te in desertum et omnes pisces fluviorum tuorum, eris bestiis terrae et volucribus coeli cibus. Jesaias vero apertius[7]): In die illa, inquit, visitabit Deus gladio suo grandi, duro ac robusto Leviathanem serpentem vectem et Leviathanem serpentem flexuosum ac trucidabit draconem marinum. Utriusque Leviathanis et Behemothi potestas explicatur ab Esdra[8]), quae verbis allegoricis ac diffusa narratione Dei verbis ad Jobum[9]) fuerat expressa: Tum[10]), inquit Esdras, animantia duo parasti, quorum uni nomen imposuisti Behemoth, alterum vocasti Leviathanum, et alterum ab altero disjunxisti, unam partem assignasti Behemoth, quae tertia die siccata est, ut habitet in ea. Leviathani vero tribuisti unam[11]) partem humidam, quam belluam parasti, ut esset quae devoraret, quos velles. Nam haec verba Ezechielis: Meus est fluvius, i. e. formarum in materia fluxa et caduca interitus. Is tamen dicitur prima rerum origine a Deo creatus fuisse, item[12]): Ego vastatorem creavi ad perdendum. Consimilis est illa Dei vox ad Pharaonem: Excitavi ego Te,

1) Desunt quinque haec sequentia verba in alio codice. 2) Alibi: foderentur. 3) Fortasse legendum est: κορακίνας, vel: κορακείας. 4) Psalm 72, 9. 74, 15. 5) Alibi: accipitur. 6) Ezech. 29, 3 sqq. 7) Jes. 27, 1. 8) Esdrae lib. IV, cp. 6. 9) Jobi 39 sq. 10) Alibi: Tunc. 11) Alii: secundam, vel: septimam. 12) Item: Jobi 26. 39. 40.

ut ostenderem in Te meam potentiam [1]) atque nominis mei fama toto terrarum orbe dissiparetur. Praeter historicam veritatem Pharaonis appellatione significatur Leviathanus ille, ut Ezechiel interpretatur, qui materiae fluentis formas corrumpit, quas nihilominus assidue sua bonitate reparat ac reficit naturae parens optimus maximus. Item in sternutationibus Leviathani lumen collucet, ex ejus ore ignis lampades egrediuntur et mare commiscet ut mortarium. Non est dominatus in terra, cui morem gerat, item factus est ut nihil metuat et ipse regem agit in superbos. Sternutationis verbo tonitrua, lumine et ignibus fulmina et coruscationes, maris commixtione procellas et tempestates innuit.

CURTIUS: Hunc opinor Leviathanum Orpheus, sortilegorum parens, draconem maximum, Pherecydes Ophyoneum appellavit, unde a veteribus cultus draconis Aesculapii manavit, quem adhuc in supplicationibus plerique populi circumferre consueverunt.

SENAMUS: Haec quidem Salomo perbelle, si [2]) demonstratione ulla niterentur.

OCTAVIUS: Majorem profecto fidem mihi faciunt, quae Salomo ex abditis sacrae philosophiae arcanis et ab oraculis divinis sanctissimorum prophetarum promsit, quam quae ab Euclidis demonstrationibus manant, quae tamen nonnisi multis postulatis et concessis conficiuntur.

TORALBA: In rebus tam arduis et a communi sensu remotis non exquisitam argumentorum subtilitatem exquirere debemus neque exigere, sed ea, quae prodita sunt a sapientibus, qui arcana Dei sapientissime conquisiverunt.

CORONAEUS: Non exigimus angelorum hierarchias ac repositoria daemonum, quae non scio an satis prudenter a Dionysio [3]) ac Wiero [4]) conscripta [5]) fuerint.

SALOMO: Nihil in rebus tam obscuris affirmare velim [6]), nec aliud commemorare quia vobis melius quam mihi cognita sunt, quippe qui ex iisdem fontibus quibus ego haurire potuistis, scilicet uni aeterno Deo non solum [7]) angelorum, sed etiam daemonum creationem deberi, et quemadmodum duo principes angelorum Seraphim [8]) Creatori potentissimo adstare dicuntur, ad largitiones, lucis effusiones, praemia, vitam inferiorum angelorum et siderum officiis tribuendam; sic etiam duo [9]) sunt his oppositi, quasi superiorum magistratuum praecipui lictores ac ministri, Leviathanus ac Behemothes ad poenas infligendas seu supplicia irroganda, sive frugum calamitate, sive pecorum interitu, sive clade bellorum, sive regionum vastatione, sive popu-

1) Alibi: patientiam. 2) Alius addit: modo. 3) De coelorum hierarchia. 4) De praestigiis. 5) Alius: descripta. 6) Alibi: nolim. 7) Alius: tantum. 8) Jesaiae 6, 2 et 6. 9) Jes. 6 et Zach. 4 add. 14 filios duos olei, qui effundunt aurum in candelabrum septuplex, scilicet septem planetarum, a quibus *) elementorum coelestium vis derivatur.

*) Alius: Quibus ad elementaria.

laribus morbis, sive urbium excidio, sive elementaris totius mundi eversione, quae tamen non aliter fiunt quam divinis decretis, ne quis daemones accuset aut metuat: Ne accuses, inquit ille[1]), servum apud dominum suum, ne forte maledicat tibi et offendas. Qua eleganti allegoria significat, non incusandos esse angelos ac daemones, qui nullas nisi jussi calamitates inferunt, nec nisi jussa Dei decreta exsequuntur, sed potius se quemque accusare ac de flagitiis confiteri oportet[2]).

FRIDERICUS: Est in agro Moguntino pagus, quem daemon nescio quis lapidator triennio vexavit, ad extremum[3]) declaravit, populum ob unius, quem nomine denotavit, capitalia scelera conflictari, ut ei necesse fuerit domo excedere, sed in quacunque domo exciperetur, domus igne deflagrabat, ut brevi omnia domicilia pagi variis incendiis consumta fuerint.

SALOMO: Graviter tamen peccatur ab iis, qui daemones metuunt, gravius etiam qui colunt, ne vapulent, quasi daemones arbitri ac judices essent poenarum, quae irrogantur. Quae detestabilis impietas inde manavit, quod Beelzebub mundi hujus principem arbitrantur. Hinc Manichaeorum, qui duos mundi principes statuerunt, profligatissima pestis. Quorsum enim Deus ad Pharaonem: Ut intelligas, inquit, quod terrae dominus sum[4]). Item: Leviathan iste, quem formasti ad illudendum ei, nisi ut persuasum habeamus, dominatum elementaris mundi aeque ac coelestium corporum, angelorum ac daemonum penes Deum aeternum esse. Illudit autem Leviathano, cum ea quae daemonum officiis corrupta sunt ac detrita vel afflicta, continua bonitate ac potestate excitat[5]). Nam quo plures Pharao daemoniacus Israëlitarum masculos trucidabat ac populum sibi inservire cogebat, ne Deum coleret, eo magis ac magis populus mirabili foecunditate abundabat. Ita quoque quo plures formae materiae fluentis a daemonibus corrumpuntur, eo magis se divina foecunditas in iis recreandis ac regenerandis ostendit. Quod autem Leviathano illudit vates his verbis[6]): Quomodo cecidisti de coelo Lucifer, aurorae fili, ad terram afflictus, cum tamen jactares te coelum conscensurum ac sellam in sublimi et excelsa siderum regione collocaturum, ad plagam Aquilonis, ut elatus praepotenti Deo aequalis fieres, ad inferos tamen detractus, in lacum rejectus. Item[7]): An ille est, qui tremefacit terram, qui regna concussit, qui orbem deserto similem reddidit, urbes excidit? Habet haec oratio obscuritatem, cui lux afferri potest, si dicamus, aurorae filium Leviathanum eo modo, quo alibi prima rerum origine conditus dicitur et alibi primogenitus, sive praefectus mortis vel corruptionis i. e. [8]) בְּכוֹר מָוֶת appellatur, quoniam ut privatio habitum,

1) Proverb. 30, 10. 2) Sigebertus Vincentius in Speculo libro 75, c. 38. 3) Alibi: ac postremum. 4) Exodus 9, 29. Psalm. 104 (103) 26. 5) Alii: excedat, vel: recreat. 6) Jesaias 14, 12 sqq. 7) Jesaias 14, 16 sqq. 8) Job. 18, 13.

sic aurora solem, tenebrae lucem antecesserunt. Item tremefacere terram, imperia quatere, urbes funditus exscindere, orbem solitudini reddere, non congruit divinae majestati, sed vastatori, carnifici, lictori; quod dicitur etiam ad inferos dejectus esse, significat angelorum ac coelestium siderum interitum non permitti Leviathano sive Asmodaeo, sed in lacu, ut Jesaias [1]), vel in mare, ut apud Jobum [2]), vel in fluvios, ut Ezechiel [3]), i. e. in hac fluxa elementorum regione grassari et a coelestium aditu prohiberi. Huc enim pertinet [4]), quod Satan in concilio angelorum a Deo rogatus, unde veniret, respondit, se terram circumivisse; dixit non coelum.

CURTIUS: Illud est, ni fallor, quod Graeci veteres, qui fabulis omnia complerunt, Junonem aëris praesidem furias prohibere ajûnt, quominus in coelum evolare queant, i. e. daemones e nubibus ab angelis praecipites deturbari et in fluminibus [5]) deorsum cum tonitru delapsos sublunaria haec corpora perdere ac corrumpere.

CORONAEUS: Quando igitur [6]) elementaris hujus solitudo [7]) futura est?

SALOMO: Illud quidem in arcanis divinae majestatis latet, praeter quod tantum [8]) conjectura consequi possumus (nihil enim in eo genere affirmandum opinor), quemadmodum lege divina [9]) terrae sanctae quies imperatur et vacatio ab agricultura. Ob id enim Alexander Magnus et Julius Caesar septimo quoque anno majoribus nostris dederunt tributorum immunitatem [10]). Ita post annorum sex millia mundi elementaris solitudo significatur futura. Neque enim aquarumi lluvionibus [11]) interibit mundus elementaris, ut aetate [12]) Noae, qua tellus aquarum voragine contecta est, mense secundo, qui a Chaldaeis Bul, i. e. diluvium appellatur, propterea quod eo mense omnia fere diluvia contigerunt et imbres sparsis seminibus salutares, nisi decidant eo mense, ut fere solent, sterilitatem frugum augurantur. Et ut septimo quoque millesimo mundi elementaris quies est, sic etiam cum septies septem anni fluxerunt [13]), magnus servis omnibus Jubilaeus [14]), item pecudibus [15]) ac praediis omni nexu ac mancipio solutis, libertas indulgetur et cuique ad avitas possessiones reditus patet. Ita post annos [16]) septies septem millia, quo quidem circuitu siderum coelestium certissimus ad principia motuum reditus est, maximo anno completo rerum omnium conversio sequitur. Ex quo intelligitur, perpetua mundorum creatione et recreatione sempiternam Dei potestatem ac bonitatem in continua hominum et angelorum successione praedicatum iri. Quod apertius Esaias [17]) innuere videtur: Erit, inquit, coelum novum et terra nova. Item, cum David [18]) dixisset, coelos interituros cum inveteraverint, ad mundorum opificem conversus: Tu autem,

1) Jesaias 14, 15. 2) Job. 41, 22 sq. 3) Ezech. 29, 3. 4) Job. 1, 7 sqq. 5) Alii: inflammatos. 6) Alibi: ergo. 7) Alibi: solutio. 8) Alii: si quid tamen. 9) Leviticus 25, 23. 10) Josephus Ant. jud. 14, 17. 11) Alibi: cataclysmo, vel: eluviis. 12) Alibi: tempore. 13) Alibi: fluxerint. 14) Alius addit: anno quinquagesimo. 15) Alibi: domibus. 16) Alii: anno. 17) Jesaias 43. 45. 46. 65, 17. 66, 22. 18) Psalm. 102, 27 sq.

inquit, idem ipse es, Tui semper similis et anni tui Te nullis aetatibus et saeculis deserent. Huc etiam pertinet illud Salomonis [1]. Nihil sub sole novum nec quidquam futurum est, quod prius [2] non fuerit.

OCTAVIUS: Eadem est Originis in libris περὶ ἀρχῶν et Caesarii sententia in eo potissimum loco, quo de coelis agit. Circumfertur etiam liber ab Ismaëlitis, in quo quidem auctor scribit, mundum hunc et quaecunque mundi sinu amplissimo coërcentur, interitura. Cum vero importunissimus ille ac funestissimus rerum omnium vastator omnia corrupit [3], tandem aliquando occasurum et, ut Seneca loquitur, mortem ipsam moriturum. Sed prius maximis clamoribus ac tonitruis et vocibus feralibus [4] ac ingenti clangore occasum suum testaturum.

FRIDERICUS: Mirabilis illa rerum omnium vicissitudo, ex arcanis Ebraeorum a Salomone collecta, coelestium siderum conversionibus [5] omnino congruere videtur. Septem enim annorum millibus motus trepidationis super Arietis et Librae capita circumscribitur ac septies septem millibus inerrantium siderum motus [6] circumaguntur [7] et ad sua quaeque principia redeunt in orbem. Quae demonstratio [8] Patrum memoria demum percepta est, cum antea veteribus omnibus ignota fuisset.

SALOMO: Hoc quidem Chaldaeis, Aegyptiis et astrologis omnibus abditum erat; scilicet decem orbes coelestes nec plures haberi, cum tamen Pythagoraei, Plato, Aristoteles, Ptolemaeus ipse μαθηματικώτατος et Hipparchus octo vel novem ad summum esse affirmarent. At litterae sacrae pereleganti allegoria decem orbes significant hoc versu: Opera digitorum tuorum sunt coeli [9]. Quo digitorum numero coelorum numerum Astrologis et Chaldaeis omnibus ignotum declarant; quod etiam allegoria decem cortinarum tabernaculi significatur. Ex quo intelligitur, rerum omnium maximarum arcana secretioribus litterarum divinarum allegoriis contineri.

SENAMUS: Si Leviathanum corruptionis et obitus principem statuamus a Deo creatum, et quidem prima omnium rerum origine et ante lucem ipsam, nobis prospiciendum, ne Deum auctorem mali esse concedamus. Nam quicquid est causa causae, id etiam [10] est causa causati, consequentis effectus. At [11] nullum efficacius argumentum habuerunt Academici, ut mundum sempiternum statuerent, quam ne Deum optimum, rerum omnium conditorem, faterentur corruptionis et ἀταξίας auctorem.

SALOMO: Inveteratus est error, ac theologorum [12] etiam opinione pervulgatus, mali originem a diabolo inventam; duobus tamen, opinor, alteri quidem inter Latinos, alteri vero inter Graecos, haec opinio displicuit.

---

1) Eccles. 1, 9 sq. 2) Alibi: antea. 3) Alibi: corruperit. 4) Alibi: ferocibus. 5) Alibi: connexionibus. 6) Alius: sedes. 7) Alibi: circumagantur. 8) Johannes Regiomontanus demonstravit. 9) Abraham Aben Esra in Psalm. 8, 4. 10) Alius addit: ipsum. 11) Proclus, Philo, ita quoque Syrianus, quos conscribit Philoponus libro duodecimo. 12) Thomas lib. 20 qu. 79 art. 1 et 3, quem reliqui sequuntur.

FRIDERICUS: Sic a majoribus accepimus, omnes angelos principio suae originis integerrimos ac sanctissimos extitisse, sed quosdam a via deflexisse et ab integritate et puritate lucis coelestis delapsos et deturbatos in terras, tum ab his ad hominem pravas suasiones et quae consequuntur, calamitates inquam omnes ac pestes, dimanasse. Id autem significari putant verbis Jesaiae [1]) et Johannis theologi [2]) apocalypseos scriptoris auctoritate, quorum alter Luciferum de coelo detractum, alter ingentem draconem cum tertia parte stellarum i. e. angelorum praecipitem deturbatum scripsit. Item Christus [3]) quasi fulgur e coelo exturbatum in terras se vidisse declaravit. Haec theologorum christianorum sententia est.

OCTAVIUS: Varietas theologorum inter ipsos de casu daemonum facit, ut nihil affirmare audeam. Cum etiam Augustinus tam incertus sit, ut cum diabolum deflexisse scripsisset, subjiciat [4]) haec verba: Hoc certius asseri non potest, et mirum, si potest. Itaque cum ratio plerosque deficeret, Orphei, Pherecydis et Empedoclis auctoritatem adhibuerunt [5]). Illi etiam daemonum omnium maximum Ophionaeum draconem et qui cum eo delapsi sunt, δαίμονας οὐρανοπετεῖς dictos arbitrantur. Sed cum quaeritur, cur eodem paene [6]) momento, quo creati sunt in summa puritate, in ipsum creatorem tanta arrogantia intumuerint, ut seipsos suo creatori exaequarent, aut quis illos ad tantum crimen [7]) impulerit [8]), obmutescunt. Quae causa extat, ut Manes Persa, duo aequa potestate principia faciens, alterum quidem bonorum ac coelestium, alterum malorum ac sublunarium, ne ab optimo fonte bonorum mala derivare videretur, totius pietatis ac religionis fundamenta labefactaret. Plato vero [9]), cum ab uno principio caetera omnia duci, pro demonstrata ac plane explorata re haberet, ac mali originem ab ipso Deo arcessere nefas arbitraretur, a materia omne malum derivari [10]) scripsit [11]), quod in ea κακοποιόν τι inesse existimaret.

SALOMO: Quod malum a materia prodeat, sacrae litterae constanter negant [12]): nec vanitas nec malitia, inquit ille, prodiit a terra, ac propterea rerum omnium opifex maximus, post [13]) consummatam universitatis molem, dicitur omnia quae fecerat vidisse valde bona [14]).

TORALBA: Nullam peccati labem in materia esse, ex eo perspicue demonstratur, tum quod in materia vis agendi nulla sit, sed in forma, tum etiam quod [15]) materia nullam omnino hypostasin per se habeat in natura.

SALOMO: Errorum omnium origo inde manavit, quod malum aliquid esse arbitrarentur, cum tamen nihil sit omnino. Ego, inquit Deus [16]),

---

1) Jesaias 14, 12. 2) Apocal. 12, 4 et 9. 3) Matthaeus 25. Lucas 10, 18. 4) Alibi: subjecerit. 5) Alibi: secuti, vel: attribuerunt. 6) Alibi: fere. 7) Alius: in tantum scelus. 8) Alibi: impulit. 9) In Parmenide et Timaeo. 10) Alius addit: posse, alius legit simpliciter: derivavit. 11) Alius: dixit. 12) Job. 5, 6. 13) Desunt haec sequentia Salomonis verba in alio codice. 14) Geneseos 1, 31. 15) Alibi: quia. 16) Jesaias 45, 7.

faciens bonum et creans malum, faciens lucem et creans tenebras. Ut enim tenebrae nihil aliud sunt quam lucis privatio, sic malum nihil aliud est quam boni privatio. Itaque dixit facere bonum, quia bonum est hoc aliquid, malum vero creare scilicet privatione boni. Nam ut columnarum ademtione ruit aedificium, ita boni subductione sequitur malum [1]). Cum enim populo iratus [2]) dixisset Deus: Momento, delebo te [3]), Chaldaeus interpres vertit: Momento, majestatem meam auferam abs te. Nam si quid malum esset in tota rerum natura, profecto daemones, qui prava suadere semper dicuntur, mali essent, quod absurdum est, cum sint substantiae et quidem intelligentiae et vitae participes, et utrumque illis Dei munere et concessu tributum. Quicquid autem est ejusmodi, bonum esse oportet ac proinde si malum existeret, aut si daemones mali essent, ajentia et negantia vera simul, et quidem univoce absurdissimam implicarent contradictionem, quia boni essent et non boni.

OCTAVIUS: Hanc mali non quidem definitionem, sed descriptionem ex boni privatione amplexus est Augustinus [4]), ne [5]) in placitis Manichaeorum, in quibus diutissime [6]) acquieverat, consenuisse [7]) videretur.

SENAMUS: Si malum nihil est, qui malum agit, nihil agit; at [8]) qui nihil agit, nullam poenam meretur; quare qui malum agit, nulla poena dignus est.

CURTIUS: Praestat, inquit Lucilius, otiosum [9]) esse, quam nihil agere. Quare argumentum illud contrario argumento refellitur: Qui malum [10]) agit, poena dignus est; qui nihil agit, malum agit; igitur qui nihil agit, poena dignus sit oportet.

SENAMUS: Si sola privatione bona malis opponuntur, quid est quamobrem Aristoteles [11]) et ceteri in uno paene communi [12]) sensu contraria statuunt?

TORALBA: Non tantum in eo peccatur ab Aristotele, quod bona malis contraria posuit, sed in eo etiam, quod bonum finitum, malum vero infinitum esse putat [13]). Nam si ex contrariis alterum esset finitum, infinitum alterum, oportet finitum ab infinito dissipari. Ut si esset ignis infinitus, parvo momento aquam finitam incendio, calore, siccitate consumsisset, aut aqua infinita ignem finitum exstinxisset. Sic malitia infinita bonitatem finitam oppressisset et mundum hunc funditus evertisset. At cum nihil actu infinitum sit, praeter primam causam, ut superius demonstratum est, nihil ei contrarium esse potest. Ex quo sequitur, bono nihil contrarium esse posse, quia solum infinitum est, malum vero non modo infinitum non esse, sed ne esse quidem, nec aliter intelligi, quam privatione.

---

1) Hac similitudine utitur Moses Rambam libro I. 2) Deest alibi. 3) Exod. 33, 5. 4) Contra Faust. Manich. 5) Deest in aliis codicibus. 6) Alibi: densissime. 7) Alius: consensisse. 8) Desunt haec sequentia Senami verba in alio codice. 9) Alibi: occisum. 10) Alibi: male. 11) Libro I et II Ethicorum. 12) Deest in alio codice. 13) Libro I cp. 6 Ethicorum ad Nicomachum.

SALOMO: Illud scite a sapientiae magistro dictum est [1]): Nunquam malitia sapientiam superavit.

SENAMUS: Si virtus omnis in mediocritate consistit inter extrema vitia, consequens est, a vitiis virtutes, a malis bona [2]) longe superari, cum semper uni virtuti duo vitia opponantur.

TORALBA: Nihil ab Aristotele videtur levius dici potuisse, quam virtutes versari in medio vitiorum, et contraria bonis finitis mala infinita statuere, quia si bona sint finita, mala vero infinita, ubinam virtutes tot ac tam multae reperientur, quae media vitiorum infinitorum tueri possint [3])? Quid item alienius [4]) ipsa natura, quam duo vitia inter se et uni virtuti contraria ponere, cum nullum sit in tota natura rectius [5]) decretum, quam unum uni [6]) contrarium esse: quia cum bonis mala contraria fecerit, etiam [7]) virtutes vitiis contrarias esse decrevit. Quae cum absurdissima sint, tum vero nihil absurdius, quam malo quod posuit infinitum, extrema definire. Posuit enim inter duo extrema mala, cum tamen infinitae rei nec media possint nec extrema cogitari. Oportet autem vitiorum sive malorum extremitates determinatas esse, ut medium sive rei sive rationis inveniatur.

SENAMUS: Si auream illam, quae semper omnibus laudatissima visa est, mediocritatem tollamus [8]), omnium virtutum radices ac fibras evellere atque elidere oportet.

TORALBA: Num [9]) Tibi, Sename, sapientissimus, prudentissimus, doctissimus quisque majori laude cumulandus venit, quam si [10]) mediocriter doctus sit?

SENAMUS: Virtutum seu bonorum moralium media queruntur, non item intellectualium, in quibus extrema sunt laudatissima. At sapientia, prudentia, scientia bona sunt intellectualia.

TORALBA: Novam [11]) hanc Peripatetici inveterato morbo medicinam quaesivere, sed non videntur virtutes omnes intellectuales esse, ut rectissime Stoici definierunt [12]), alioquin virtutes morales in mortali ac bruta cupiditate collocare oporteret, nec praemia bonorum immortali debentur intellectui, sed mortali cupiditati. Si tantum [13]) illae [14]) sint [15]) virtutes morales, quid ineptius quam sapientissimos, prudentissimos, doctissimos summa laude dignos haberi, quia virtutes intellectuales, quo plures ac majores, eo sint meliores, eum vero, qui [16]) justissimus, fortissimus, temperatissimus fuerit, ut vitiosum accusari, quia recedit a mediocritate.

FRIDERICUS: Profecto praestat, mediocriter doctum ac prudentem, quam mediocriter justum ac temperantem esse, ut contra novam Peripateticorum disciplinam [17]) statuamus, praestabiliorem esse in virtutibus intellectualibus, quam moralibus, mediocritatem.

---

1) Sapientia 7, 30. 2) Alius: a bonis mala. 3) Libr. 1 cp. 8 Ethicorum. 4) Alibi: alienum. 5) Alius: certius. 6) Alibi: suum sui. 7) Deest in alio codice. 8) Alibi: tollimus. 9) Alii: Nonne. 10) Alibi: qui. 11) Alius: novi. 12) Cicero de fin. 13) Alius: tamen. 14) Alibi: ullae. 15) Alibi: essent. 16) Alii: si vero quis, vel; is vero qui. 17) Alibi: doctrinam.

CORONAEUS: Apposite quidem haec. Sed ne a proposita bonorum ac malorum mediocritate [1]) discedamus, cum ea quaestio permagni sit ponderis ac momenti, ne vel duo mundi principia inter se contraria, vel Deum omnipotentem [2]) maximum mali auctorem statuamus, etiamsi daemones eo ipso, quod sunt, bonos esse demus, i. e. ut summi i. e. essentiae ac intelligentiae participes, quis tamen eos [3]) judicet malos esse, qui corruptionem, interitum, calamitates, bella, perniciem, tempestates, populares morbos, incendia, naufragia, mortes inferunt? Ob id enim in sacris litteris malos appellari videmus spiritus.

SALOMO: Quis improbum putet, qui jussa Dei diligenter exsequatur?

CORONAEUS: Nemo quidem opinor.

SALOMO: Cur [4]) ergo non idem judicemus de angelis ac daemonibus, qui tam diligenter mandatis obsequuntur [5]), qui nihil faciunt injussi? Ergo eo magis, quod quae a Deo jubentur [6]), semper justa sunt, nec juris ac justitiae executio ullam injuriam habet.

FRIDERICUS: Quaedam mala sunt poenae, quae a Deo probantur, ut cum Deus contestatur [7]) acerba voce populum, nullum esse malum in civitate, quod non fecerit. Mala vero culpae i. e. adulteria, furta, parricidia Deus execratur.

SALOMO: Vox ebraica, quae verbo Hiphil significatur, permissionem potius et fieri facere, ut pinguius loquamur, quam actionem ipsam agentis significat. Id autem apertius intelligitur ex eo, quod [8]) scribitur: Consurrexit [9]) autem Satan contra Israëlem et incitavit Davidem, ut populum numeraret. Hic quidem Satanae executio, illic jussa Dei significantur. Malum vero culpae aut nihil est aliud, quam boni privatio, aut ad bonum aliud refertur, cum Deus omnipotens [10]) maximus etiam horum scelera, flagitia, fraudes ad improborum ultionem convertere soleat. Atque in eo potissimum perspicitur Dei bonitas, quod nihil unquam sceleris admitti patitur, nisi melius quoddam ex iis prospiciat futurum, ut Joseph ad fratres, qui se vendiderant: Malum quidem contra me decrevistis, inquit, sed Deus in bonum illud convertit [11]).

TORALBA: Idem fuit Theophrasti sensus de Deo: Illud, inquit, quod primum est ac divinissimum, omnia ea optima vult esse, i. e. τὸ γὰρ δὴ πρῶτον καὶ θειότατον, πάντα τὰ ἄριστα βουλόμενον. Et quia summo bono exciderunt [12]), non quidem mali sunt, sed minus boni, minus honesti eoque minus, quo longius a summo bono [13]) discedunt [14]). Neque enim Deus ab improbis, sed improbi a Deo discedunt, qui bonorum omnium auctor est, nullius

1) Alii: disputatione. 2) Alius: optimum. 3) Alibi: non. 4) Alibi: cum, vel: tum. 5) Alibi: mandata exsequuntur. 6) Psalm. 148. 7) Deuteron. 32. 3 Regum 9 et 21. Jesaiae 54. Jerem. 2 et 31. Amos 3. Jon. 3. Mich. 1 et 2. 8) 2 Regum 14 et 24 et 1 Chronicorum 22. 9) Alibi: Insurrexit. 10) Alius: optimus. 11) Geneseos 50, 20. 12) Alii: excidunt, vel: excedunt. 13) Alii: de summa bonitate. 14) Dionysius Areopagita, libro II. de divinis nom.

mali causa, felicitatis parens pulcherrimus, optimus, simplex, verus, πάντων ἀγαθῶν αἴτιος, κακῶν ἀναίτιος, αἴτιος εὐπραγίας, κάλλιστος, ἄριστος, ἁπλοῦς, ἀληθής, ut[1]) divinissime Plato scribit, et ut Porphyrius[2]): θεὸς ἀγαθὰ μὲν πάντα, μηδὲν δὲ φαῦλον βούλεται. Et quidem Plutarchus nullo suo merito reprehendit Chrysippum. Cum enim Chrysippus scripsisset, Deum cacodaemones calamitatibus et cladibus inferendis[3]) praefecisse: Nonne, inquit Plutarchus, crimen Deo ingeritur, quasi rex optimus improbis[4]) ministris gubernacula det eosque patiatur in optimum quemque saevire? Acerbe quidem Plutarchus, vir alioquin gravissimus. Neque enim Chrysippus scripserat, cacodaemonibus gubernaculum concedi, sed potius ministros, lictores, carnifices ad justa supplicia irroganda designari. Quin etiam Deus apud Malachiam[5]): Coërcebo, inquit, vastatorem, ne fructus regionis vestrae corrumpat.

SENAMUS: Cur igitur daemones, cur Satanae i. e. adversarii, cur insidiatores, cur diaboli i. e. calumniatores dicuntur, si mali non sunt?

FRIDERICUS: Id quod suae naturae ac officio suo consentaneum est, optant[6]) et exquirunt, scilicet perdere, grassari, corrumpere; nihil tamen injussu principis[7]) aut magistratuum, i. e. Dei, vel angelorum.

SENAMUS: At Augustinus[8]) scribit, Deum ipsum inclinare hominum voluntates ad malum.

FRIDERICUS: Bona fide scripta theologorum interpretari debemus, cum innumerabilibus locis Augustinus malorum origines longissime a Deo propellat. Haec igitur ad permissionem trahenda sunt.

SALOMO: Cancer est incurabilis, inquit Philo[9]) Ebraeus, Deum mali auctorem arcessere. Quid enim impuri ab ipso latice puritatis, quid malia ab ipso fonte bonitatis manare potest? Vae vobis, inquit Jesaias[10]), quod dicitis bonum malum et malum bonum! Saepissime viros illustres ac fortes subducit[11]) et ipso aetatis flore decerpit, ne deteriora in hac vita patiantur; ut Josiam regem optimum ac religiosissimum, et quominus dubitaretur a vate Hulda[12]) denuntiari jussit, ne impii Deum incusarent, quod tantae virtutis principem ab hoste Pharaone pateretur occidi.

CURTIUS: Profecto Plutarchus eadem divinitus mihi scripsisse videtur: προεξάγει τινὰς ἐκ τοῦ ζῆν τὰ μέλλοντα προορώμενος.

CORONAEUS: Procul ergo sint, qui Deum malorum auctorem faciunt, non modo quia non prohibet, verum etiam quia jubet, quia decrevit, et haec verba: excoecavit, induravit non ad permissionem, sed ad efficacem Dei actionem referri affirmant, quem alioquin[13]) otiosum fore[14]) metuunt, quin etiam incestum Absolonis Dei opus esse affirmant, quanquam saepe[15]) alius aliud sentiant[16])

---

1) Alibi: et. 2) Περὶ ἀποχῆς. 3) Alii: exequendis, vel: exigendis. 4) Alibi: impiis. 5) Malachiae 3, 11 (2). 6) Alibi: exoptant. 7) Alibi: principum. 8) De libero arbitrio II, 21. 9) In libro de profugis cp. 23. 10) Jesaias 5, 20. 11) Sapient. XIV. 12) 2 (4) Regum XXII. 13) Alius: aliqui. 14) Alibi: fere. 15) Alibi: saepius. 16) Alibi: sentiat.

nec verba ad permissionem trahenda putant, sed ad jussa referri. Ad quid ergo Psaltes lyricus ita exclamat: Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es [1])? Et cum Manassis regis scelera execraretur: Quia fecit illud quod nunquam jussi, nec in cor meum ascendit [2]).

OCTAVIUS: Sed gravior est morbus illorum, qui malorum iliadas enumerant, nihil tamen boni reperiri ajunt, ut Rabbi Maurus [3]) ac Plinius [4]), qui hominem omnium calamitosissimum et naturam novercam contumeliosissime appellant, cum tamen hominem paulo minorem angelis fecerit Deus et in omnes animantes summum imperium ei dederit.

CORONAEUS: Satis igitur de origine bonorum et malorum; nondum tamen Senami propositae quaestioni satis videmur fecisse, unde scilicet tot angelorum ac daemonum myriades, cum suapte natura mortales sint, nisi Dei bonitate sustineantur, aut unde in demortuorum locum et ordinem substituantur?

SALOMO: Si nihil praestabilius est in natura ordine decente, illud minime dubium est, in utrisque angelorum ac daemonum ordinibus principatus ac dominationes existere. Cum enim de Leviathano Deus loquitur: Quanto, inquit, robore pollet, quanto [5]) apparatu copias instruit? id est daemonum exercitus. De angelis autem Daniel scribens [6]): Princeps [7]) regni Persici restitit mihi; en vero Michael, unus de primariis principibus, opem mihi tulit. Unde tamen et quando geniti et quando sint interituri, non est, opinor, humanae mentis affirmare.

CURTIUS: Nihil omnino in sacris litteris de angelorum creatione; qui tamen divinitus interpretantur oracula sacra, coelorum ac siderum creatione angelos intelligi volunt.

FRIDERICUS: Ista quidem oratione coelos ac sidera naturam angelicam et animalem habere oportebit.

TORALBA: Quidni? Certe et Theophrastus et Alexander [8]) Aphrodisiensis, Peripateticorum princeps [9]), corpora coelestia non modo intelligibili, verum etiam sensibili facultate praepollere affirmant, alioqui dignitate ac praestantia naturae animantibus longe inferiora essent. Itaque Plato [10]) Solem vocat ζῶον ἀΐδιον ἔμψυχον.

SENAMUS: Cur igitur animal in hominem et brutum diviserunt, si coelestia sidera animalia sunt?

TORALBA [11]): Quid vetat perspicuis argumentis utentem duplex animal statuere, scilicet intelligens et brutum? Intelligens rursusque duplex, coeleste inquam et sublunare, et coelestium animantium visibilia quaedam, ut stellas, et invisibilia, ut angelos; sublunarium item duo genera, quorum [12])

---

1) Psalm V, 5. 2) Jer. 7, 31. 19, 51. 32, 35. coll. 2 Regum 21, 6 et 9. 2 Chron. 33, 6. 3) Alius: Maimon. 4) Hist. natur. l. 7. 5) Alius: quam decenti. 6) Daniel X, 13. 7) Alius addit: inquit. 8) Metaph. II, 6. De coelo IV, 6. 9) Alius: principes. 10) In Timaeo. 11) Deest in aliis codicibus. 12) Desunt haec undecim sequentia verba in aliis codicibus.

altero, quod visibile sit, homines contineantur, altero, quod sit invisibile, mentes cadaveribus superstites [1]), quae vel angelorum, vel daemonum subeunt naturam?

SENAMUS [2]): Sed quis erit talium animantium sensus, quis cibus, quis potus, quae vita?

SALOMO: Ratiocinari, intelligere, contemplari, agere. Rationem enim [3]) et intelligentiam et actionem non angelis modo, verum etiam sideribus ipsis inesse, testantur illa: Coeli enarrant gloriam Dei [4]). Vocem enim שָׁמַיִם rationali tantum naturae convenire, docent Abraham Aben-Esra et Moses Rambam [5]), eoque referri verba Dei ipsius [6]): Cum simul jubilarent stellae matutinae et exsultarent omnes filii Dei. Item illud: De coelis pugnatum est, stellae ipsae a stationibus suis bella congesserunt contra Sisaram [7]). Apertius etiam Daniel [8]) scribit, eos, qui integritate praestantes alios docuerint, ut coeli splendorem conspicuos fore, qui vero plurimos ad verae justitiae decus perduxerint, ut stellas fulgorem sempiternum ac domicilium in coelo habituros. Itaque sanctuarii cortinae imaginibus angelorum subornari jubentur, ut intelligamus, sidera naturam angelicam in [9]) se ferre; est enim sacrarium mundi exemplum, mundus vero exemplar [10]).

OCTAVIUS: Tomi [11]) Faridus, Ismaelitarum theologus clarissimus [12]), planetas ac sidera Deos esse minores scribit, ut etiam Alexander Aphrodisiensis [13]), Origines [14]), Diodorus, Johannes Picus, non aliter pisces in aquis, feras in silvis, pecora in pascuis, quam animata sidera vivere in coelis et in suiscunque [15]) aedibus [16]) ac locis collocari tradunt. Nec temere Hipparchus mentes humanas coeli particulas esse dicebat [17]), quod utrisque inesset vis intelligendi. Quod vero, Sename, cibum aut potum coelestibus animantibus ad vitam propagandam quaeri putas [18]) oportere, an etiam Deum sine cibo vivere non posse arbitraris?

SENAMUS: Non ita stupidus sum, ut Deum, quem incorporeum esse Toralba demonstravit, cibo pasci putem, sed [19]) corpora coelestia, sidera, stellas, ignes egere pabulo Posidonius, Stoicorum sua aetate facile princeps, ita confirmabat, ut mundum tunc deflagraturum diceret, cum totus humor elementaris siderum continuis alimentis [20]) consumtus esset.

---

1) Alibi: separatas. 2) Deest in aliis codicibus. 3) Deest in aliis codicibus. 4) Psalm 19, 2. 5) Lib 1 cp. 71. 6) Job. 38, 7. 7) Judicum V, 20. 8) Daniel XII, 3. 9) Alii: prae. 10) Philo in sacrarii description. l. 1 c. 10. 11) Alius: Ebn. 12) Alibi: doctissimus. 13) Lib. 1 c. 10 Dist. 14) Περὶ ἀρχῶν. Hexapl. l. V. 15) Alii: suis quaeque. 16) Alius: sedibus. 17) Plin. hist. nat. 2, 27. 18) Alius: putes. 19) Cicero de nat. Deor., eoque referunt Jovis ac Deorum natura *) in Aethiopia ad extremas oras Oceani. 20) Duo haec verba desunt in aliis.

---

*) Alius: convivia vel: nomina.

OCTAVIUS: Cur non ita [1]) tot ac tam multis saeculis, quae ab aetate Posidonii fluxerunt, humores aquarum minui aut siderum ardoribus consumi videmus?

SALOMO: Est in sacris litteris arcanum mirabile, astrologis ac physicis omnibus occultum, scilicet coelum aqueum, quod a vertice [2]) convexo [3]) supremi coeli tam distat, quam oceanus a concavo ejusdem coeli. Distat autem, ut Ebraeorum aeque ac Arabum astrologi confirmant, septemdecim millibus terrestrium diametrorum, eoque pertinere dicitur illud: Divisit aquas ab aquis et inter utrasque [4]) coelos collocavit [5]). Inde aquarum colluviones [6]) apertis coeli cataractis effusae, terrarum orbem cumularunt, alioqui nulla unquam diluvia fuissent, contra quam omnes omnium gentium theologi ac physici confirmant [7]), quia si totus oceanus ac omnia flumina [8]) in vapores ac nubes abeant [9]), vix millesimam aquarum diluvio [10]) effusarum partem efficere potuissent, cum aquarum vis non ex oceani alveo super terram erumperet, sed totas 40 dies tanta copia deplueret coelitus, ut supra montium altissimorum juga 15 cubitos [11]) exsurgerent.

SENAMUS: Num sidera illa animata [12]) supra coelestibus aquis pascantur, nescio; non video tamen, quamobrem aquis sidera vescantur, aut cur globosa illa lumina animantium appellatione contineantur.

CURTIUS: Loquendi magister optimus est usus. At non modo Academici et Peripatetici [13]) coelos ac sidera complectuntur animalium rationalium appellatione, verum etiam Augustinus [14]), Hieronymus, Thomas Aquinas, Scotus mundum hunc animal vocant.

SENAMUS: Si sol, si coelum est animal, oportet corporis et animae, quasi materiae et formae, partes in unam et eandem hypostasin uniri. At Peripateticorum et Arabum philosophorum familia intelligentias coelestibus corporibus avulsas et separatas confitentur. Quo igitur modo ad animalium [15]) coagmentationem copulabuntur [16])?

TORALBA: Profecto Thomas Aquinas, Aristotelis sententiam secutus, confitetur, intelligentias coelestes, seu angelos seu mentes separatas appellare libet, corporibus coelestibus adjungi. De duobus igitur alterutrum necessarium est, aut plane uniri ad unius animati corporis hypostasin constituendam, aut penitus a coelestibus corporibus esse avulsas. Quodsi uniuntur ad animal constituendum, illud est rationale aut irrationale, non hoc, igitur illud. Si vero coelum non est eadem unius [17]) animati corporis hypostasis, neque idem corpus naturale ex intelligentia et coelesti corpore constans [18]), profecto ne-

---

1) Alii: igitur vel ergo. 2) Alibi: vortice. 3) Alibi: connexo. 4) Alibi: utrosque inde. 5) Genesis 1, 7. 6) Alii: Collusiones. 7) Alibi: affirmant. 8) Alibi: omnes fluvii. 9) Alibi: habeant. 10) Alibi: diluviis, vel: diluvii. 11) Alius: cubitis. 12) Alibi: animantia. 13) Plato in Timaeo et Proclus ad Platon. Alexander l. 1. c. 20. Enchir. c. 43. In Ps. 24. p. 1. qu. 70 art. 3. L. 2. dist. 14. qu. 2. 14) In Exod. 43. 15) Alibi: animantium. 16) Alibi: computabantur. 17) Alibi: hujus. 18) Alibi: constat.

cesse est, orbium coelestium cursus esse violentos, non naturales, ac moveri ab extrinseco motore, erga mobile ut angeli erga sidus, opifices [1]) erga machinam, i. e. incorpoream substantiam abstractam nec coelo concretam corpus coeleste naturale et exanime circumagere, quoniam nulla corporis naturalis unio sine concretione existit. Cum autem nihil admirabili coelestium orbium conversione constantius sit, relinquitur, motus coelestes non esse violentos i. e. ab extrinseco motore, sed naturales, i. e. ab intrinseca et sibi coëssentiali forma fieri [2]). Quid enim violentum in rerum natura diuturnum esse possit? Quanquam mirum est, Aristotelem [3]) coelestes naturas exanimes fecisse, nec aliter a mentibus segregatis circumagi, quam rotas ab opifice, cum tamen non dubitarit, appellare Deum ζῶον ἀΐδιον ἄριστον, ubique vero animal ex anima et corpore constare affirmet [4]).

SALOMO: Corpora coelestia ipsaque sidera esse animantia, non modo Toralbae perspicua facilique [5]) demonstratione, verum etiam auctoritate divina constat. Cum Ezechiel in visione divinae [6]) majestatis rotas, quas interpretes tum Ebraei tum Chaldaei שָׁמַיִם coelos interpretantur, per sese moveri diceret, subjecit haec verba: Quia spiritus vitae [7]) erat in illis [8]). Ubi aperte refellitur Aristoteles, qui putat coelos extrinsecus et a motore extrinseco moveri, ac praeter coelos, quibus spiritum inesse dixit, etiam animalia circa coelos denotavit, i. e. angelos, deinde supra coelos speciem lapidis Saphirici [9]), qui ab eodem chrystallus appellatur, ingens coelum scilicet aqueum, quasi chrystallus, concreta, sedes Dei praepotentis. Et quemadmodum fontes et flumina de mari derivantur et in maria refluunt [10]), praeter id quod a terris et animantibus ebibitur vel ardoribus exspirat: ita quoque eorum animi, quorum coelestis est origo, in illum intelligentem ac coelestem oceanum, ubi stellae fulgent, revolare confitendum est, praeter eos qui, terrestri labe conspurcati, affigunt humo [11]) divinae [12]) particulam aurae, ut lyricus ille Epicureus scribit. Inter eos tamen, qui coelitus [13]) delapsi coelestia repetunt, hoc interesse videtur, quod qui multos ad verum decus erudiunt, non aliter quam coeli [14]) splendor, qui autem ad veram pietatem ac sapientiam divinam, non aliter quam sidera ipsa conspicui futuri sunt. Sic enim Daniel, Prophetarum princeps, non obscure, sed aperte scribit. Id enim confirmat Philo Ebraeus [15]), ubi haec verba interpretatur: Intuere stellas, sic erit semen tuum, non tantum [16]) multitudinem, sed etiam felicitatem futuram, significat ad coelestem animorum naturam.

OCTAVIUS: Hanc profecto disciplinam, ab ultima antiquitate receptam,

1) Alibi: opifex. 2) Alibi: moveri, vel: cieri. 3) De prima philosophia, de praedicamentis, de anima. 4) Alibi: confirmat. 5) Alii: facilius. 6) Alibi: divina. 7) Alibi: quia vita. 8) Alius: quia per sese moveri diceret, vita erat in illis. 9) Alii: Saphirini. 10) Alii: defluunt, vel: diffluunt. 11) Alius: affligunt hanc. 12) Alii: divinarum. 13) Alii: coelestibus. 14) Haec duodecim sequentia verba desunt in aliis codicibus. 15) In libro: Quis rerum divinarum haeres. Opp. ejus Graeco-lat. p. 385. 16) Addit alius: inquit.

constat a Chaldais et Ebraeis ad Graecos manasse [1]): Hipparchus enim mentes hominum coeli partes esse et in coelestem naturam redire scripsit, et novam stellam sua aetate genitam et quo die fulsit, denotavit. Dubitavit etiam, an saepius id fieret. Aristoteles autem antiquissimam illam disciplinam posteritati traditam fuisse confirmat, eos scilicet, qui virtutum eximiarum laude claruissent, tandem ex hominibus angelos fieri, sed pauci quos aequus amavit Jupiter atque ardens evexit ad aethera virtus.

SENAMUS: At virorum illustrium non tanta raritas est, ut si mentes eorum in stellas abirent [2]), numerus stellarum incrementum accepturus fuerit. At non plures in toto coelo quam 1025, aut si Ebraeis quibusdam astrologis [3]) credimus, 1095 apparent.

FRIDERICUS: Infinitam vim stellarum esse, non modo haec verba Dei: „enumera stellas" significant, sed etiam lacteus circulus innumerabilium stellarum multitudinem suo candore demonstrat. Nam si minima stella orbis octavi modo aspectabilis, duodecies terra major est, ut quidem [4]) astrologi tradunt, quis dubitat infinitas esse terra minores, quae invisibiles sunt?

SALOMO: Sed quando piorum ac illustri virtute nobilium mentes in coelum evolaturae, quibus ante [5]) officiis defuncturae, quid prius in terris relictis corporibus acturae, quibus in locis aut regionibus aut populis aut muneribus praeficiendae sint [6]), inter arcana [7]) divinae majestatis positum [8]) est. Quod etiam [9]) in cantico Mosis dicitur: Cum divideret altissimus gentes pro numero Israëlitarum, plerique interpretes Ebraei et Chaldaei legunt pro numero angelorum Dei, quod beatis mentibus, i. e. angelis, imperia in regiones et populos tribuantur. Eoque pertinere videtur, quod Ezechiel [10]) scribit: Suscitabo, inquit, ovibus meis pastorem, qui pascat eas, servum meum Davidem. Ego vero illis etiam Deus [11]) et servus meus David in medio eorum [12]). Bis servum dixit, ne quis putet ad filium Dei verba Jeremiae aut Ezechielis pertinere; David autem mortuus erat annos 420 antequam Ezechiel scriberet.

CURTIUS: Illud quidem [13]) Plato confirmare videtur: Deus, inquit, dedit reges et principes urbibus nostris, non homines, sed altioris generis diviniores [14]) daemones constituit. Quod plane congruit verbis Danielis, quibus angelum principem [15]) regni Persiae angelo Danielis restitisse scribit.

SENAMUS: Mihi sane aeque ac Plinio valde absurdum visum est, ut qui homo esse desierit, Deum se esse [16]) confidat.

FRIDERICUS: Ex humana mente Deum fieri valde absurdum est, sed angeli induere naturam perspicuum fit non modo ex iis, quae [17]) superius

1) Plinius hist. nat. 2, 27. 2) Addendum fortasse: quin. 3) Alius: theologis. 4) Alius: quidam. 5) Alius: autem. 6) Alibi: sunt. 7) Alii: arcanis. 8) Alibi: repositum. 9) Alii: enim. 10) Ezechiel 34, 24. 37, 24. Jeremia 30, 21. Psalm 88, 71 sq. 11) Alius: in Deum. 12) Alibi: illorum. 13) Alibi: Istud quidem, vel: quin idem, vel: hoc quidem. 14) Alibi: divinioris. 15) Alius: angelus princeps. 16) Alius: fore. 17) Alibi: quaecunque.

allata sunt, verum etiam ex ipsis evangelistarum scriptis [1]), qui neminem dubitare patiuntur. At Plinius cogitare debuit, in ipsa naturae contemplatione saepius ex eruca chrysalim, ex chrysali papilionem alatum, et quidem essentia multo puriore volantem nec amplius frondibus et foliis, sed florum odoribus et mellito rore vescentem. Illud etiam mirabilius, quod quemadmodum eruca mutata in papilionem eosdem colores in alis pictos refert, ita quoque mentes illae, quae cadaveribus superstites esse possunt [2]), pristinos mores vel habitum [3]) referunt, ut candidissimi viri purissimum habent ac tenuissimum corpus, omnino diversum ab iis, qui versuti ac versipelles extiterunt.

TORALBA: Ego semper hac opinione tractus sum, intellectum actuosum, quem Aristoteles advenire dixit θύραθεν extrinsecus, i. e. ut ego arbitror [4]), θεόθεν, ὑψόθεν, οὐρανόθεν divinitus, superne, coelitus, nihil aliud esse quam angelum cuique [5]) ducem homini divinitus tributum; satis enim [6]) superioribus demonstrationibus de animorum natura rejecta est Aristotelis opinio [7]), qui hominis intellectum, actuosum et patibilem eundem esse putavit.

SALOMO: Si quis capere velit vim patibilis intellectus ad intellectum actuosum, quem Rabbi Moses [8]) angelum vocat, cuique [9]) ducem solis et lunae contemplari oportet naturam. Nam ut ἄνθρωπος a veteribus μικρόκοσμος appellatur, ita quoque μακρόκοσμος non inepte μεγάνθρωπος appellari potest. Et ut luna solis conjunctione illustratur ac splendescit, eadem a solis amplexu et aspectu avulsa obscuratur; sic [10]) mens humana angeli contubernio ac societate quasi solis conspectu illustratur, et ab eodem si deseritur [11]), languescit ac tenebris involvitur. Perinde ut cum luna terrestribus umbris a sole deserta, illam quam prius acceperat a sole lucem amittit, ac tantisper sol et luna lucent, hostes Jehosuae, i. e. daemones, humanae salutis hostes, in fugam aguntur. Ob id enim Jehosua [12]), i. e. salutis auctor, solem et lunam consistere jussit, ut Moabitas ad internecionem deleret [13]). Hujus enim loci sententia haec est allegorica, ne semper litteris ac sensibus haereamus, tametsi divina potestate sol et luna aut utrique similia [14]) luminaria noctem illam illustraverint [15]), quo facilius hostes exscinderentur, allegoria tamen mihi gratior est. Huc enim pertinent illa, quae plerosque theologos varie distraxerunt, cum arcana diviniora pinguius interpretantur. Nox, inquit Michaeas [16]), nobis [17]) irruit [18]) pro visione et tenebrae pro divinatione, et occumbit sol super prophetas illos diesque obtenebrabitur. Quae loca infinitis erroribus ac teterrima interpretatione plerique ad solem visibilem et judicii diem extremum referri putant oportere, quod non minus absurdum est, quam judicium mortuorum post annum bis millesimum differre, cum haec pertineant

---

1) Matth. 22, 30. Marc. 12, 25. Lucae 10, 36. 2) Alibi: possint. 3) Alibi: habitus. 4) Alius: interpretor. 5) Alii: cujus. 6) Alii: etiam. 7) Libro III de anima. 8) Lib. II, c. 6. 9) Alii: cujusque. 10) Leo Ebraeus l. 3. 11) Alibi: desideretur. 12) Josuae 10, 12. 13) Alibi: aboleret. 14) Addunt alii: quaedam. 15) Alibi: illustraverunt. 16) Michae 3, 6. 17) Alibi: vobis. 18) Alibi: irruet.

ad solem angelicum, sive intellectum actuosum, quem sapientiae magister [1]) appellat solem intelligentiae. Item illud: Sol in ortu suo obtenebrascet et luna non lucebit. Item [2]): Pudefiet sol et luna erubescet, quae in ultionem improborum dicta sunt, sequentia vero ad bonorum decus: sol non erit tibi ulterius in lucem diuturnam, et lunae splendor non lucebit, sed dominus erit tibi lux perpetua [3]), i. e. tanta [4]) lux ab immortali Deo menti tuae affulgebit, ut etiam lux intellectus agentis disparitura sit, non aliter quam ortu solis splendor lunae ac siderum obscuratur aut certe non apparet. Quod apertius Philo Ebraeus [5]): Exoriente, inquit, divino lumine humanum occidit, occidente divina luce humanum exoritur, quod vatibus contingit, ut immigrante spiritu divino mens eorum emigrare videatur. Itaque Esaias [6]) subjicit: Non occidet ulterius sol tuus, nec abscondetur luna tua, quoniam Deus est lux sempiterna tua. Rectissime enim psaltes lyricus [7]) Deum appellat solem. Hunc enim locum: misericordiam et veritatem diligit Deus hebraica lectio sic habet: שֶׁמֶשׁ וּמָגֵן יְהֹוָה i. e sol et scutum Deus est. Ita planum [8]) fit, lumen intellectus patibilis ab intellectu agente, agentis vero lumen a luce superiore et diviniore [9]) manare, ne quis intellectum actuosum putet Deum esse aut pro Deo colat. Item illud: Post tertiam vigiliam lumen subito sol noctu recipiet et luna ter interdiu. Haec si quis interpretari velit de sole visibili, nae peritis aeque ac imperitis se deridendum propinat. Hoc igitur voluit, intellectum actuosum post tertiam vigiliam, i. e. post horam noctis tertiam, intellectu patibili copulari. Propterea Bileamus vates et Hulda legatos [10]) regum se de futuris consulentes consistere jusserant, ut in somniis nocte sequente caperent oracula divina.

CURTIUS: Quod Salomo ex arcanis Ebraeorum explicat, plurimum lucis ad quaestiones arduas de intellectu adepto afferre mihi videtur. Somnia autem post auroram i. e. post tertiam vigiliam certiora ac veriora esse, Graeci ipsi quoque tradunt et Morphea, quem somniorum Deum esse putabant, sub auroram dormientibus apparere.

SALOMO: Interdum [11]) patibilis intellectus accepta luce divina vigilante interdiu propheta vaticinatur, quod non nisi divinissimis vatibus video contigisse, quales fuere Helias, Helisaeus, Samuel, Ascalonites [12]). Themistius procul ab allegoria solem coelestem ac visibilem appellat intellectum agentem, hujusmodi ut Picus Mirandulanus [13]) animam mundi apud Platonem interpretatur lunam, quam jecoris ac sanguinis in homine et aquarum in elemen-

---

1) Cap. 5. 2) Jesaiae 13, 10. 24, 23. 3) Jesaiae 6, 1. 9. 4) Alius: ista. 5) In libro: Quis rerum divinarum haeres. 6) Jesaiae 60, 20. 7) Psalm 64, 12. 8) Alibi: plenum. 9) Alibi: divina. 10) Alii: legatis. 11) Alibi: Interdiu. 12) Alii: Aralisonites. 13) In positionibus ad Platonem.

tari mundo moderatricem, solem vero cordis et spiritus in homine et aëris temperatorem Ebraei posuerunt.

CURTIUS: Forsitan haec, ab antiquis male percepta, Chaldaeos et Graecos aeque ac Palaestinos impulerunt, ut solem, quem hi Apollinem, illi Bahalem appellant, Persae Mithram, quasi naturae dominatorem, divinationis principem [1]) esse arbitrarentur.

SALOMO: Inde fomes impietatis. Cum enim rex Ochosias de tecto delapsus graviter conflictaretur, ac legatum ad oraculum Apollinis [2]) misisset, ut de futuro exitu responderet [3]), Helias legatis occurrens [4]): Quoniam, inquit, rex Ochosias Bahalem pro Deo consuluit, denunciate ei [5]), prope diem occasus sui futurum. Alii non minus impie angelos humanae vitae duces pro Diis habuerunt, inde lares ac familiares Dii, cum omnia uni ac praepotenti Deo accepta ferre debuissent, quippe illius nutu ac potestate angeli boni hominibus tribuuntur. Sic Deus ad Mosen [6]): Mittam, inquit, ante te angelum meum. Item distribuit Deus de spiritu, qui erat super Mosen, et dedit super septuaginta viros seniores et prophetarunt. Nec tantum boni, sed etiam mali genii divinitus mittuntur ad ultionem impiorum. Misit Deus spiritum pessimum inter habitatores Sichem [7]); item invasit Saulem spiritus Dei malus [8]). Quin etiam actiones angelorum aeque ac daemonum Deo tribuuntur, ut omnes intelligant, uni aeterno Deo confitendum, hunc unum colendum esse ac metuendum et ab omni daemonum metu cavendum, quasi per sese calamitates, incendia, bella, strages hominum ac pecudum inferrent, cum tamen nihil audeant injussi, nec si velint, possint. Non patiar, inquit Deus [9]), in Aegyptiorum clade, vastatorem daemonem tecta vestra subire, ut ubique dicitur Aegyptios occidisse. Item illud: Increpabo devoratorem, ne fruges vestras absumat [10]). Quae omnia eo pertinent, ne quis putet, daemones metuendos esse, aut angelos colendos, quia tametsi daemones [11]) in phantasiam et intellectum potestatem habent [12]), solus tamen Deus in phantasiam, intellectum et voluntatem summum jus [13]) sibi vindicat, nec illi sine Deo potestatem ullam habent.

CORONAEUS: Apulejus libellum de Deo Socratis inscripsit, ut homines homo nequissimus ad cultum daemonum pertraheret, cum tamen ejusdem argumenti librum [14]) scripserit Plutarchus περὶ δαιμονίου τοῦ Σοκράτους i. e. de angelo Socratis, qui semper illum a turpibus ad honestum revocabat, nunquam tamen pro Deo coluisse, sed illi ut fidissimo [15]) ac sapientissimo praeceptori morem gessisse dicitur.

---

1) Alii: divinationes principales. 2) Alius: Baalis. 3) Alibi: respondet. 4) 2 Regum 1, 2. 5) Alibi: consulit, denunciatus illi. 6) Exodi 23, 20. Numerorum 1, 25. 7) Judicum 9, 23. 8) 1 Sam. 18, 10. 9) Exodi 12, 23. Numerorum 3. 10) Psalm. 78. 105. 135. Malach. 3, 11. 11) Alii: daemones in phantasiam, intellectum et voluntatem summum jus sibi vindicant, nec etc. 12) Alibi: habeant. 13) Alibi: summam vim. 14) Alibi: libri argumentum. 15) Alius: fidelissimo.

SALOMO: Interpretes Bibliorum [1]) LXXII, qui jubente Philadelpho Aegypti rege sacras litteras ex Ebraicis Graecas fecerunt, ubique [2]) daemonium pro [3]) Cacodaemone usurparunt, ut cum Raphael angelus daemonium in superiori Aegypto constrinxisse dicitur. Item illud: Dii gentium daemonia.

SENAMUS: Illud verbi gratia libenter condiscam, quibusnam vinculis daemones constringantur, quibus carceribus coërceantur, quibus virgis vapulent, quae supplicia patiantur.

TORALBA: Si daemones corporea constant coagmentatione, ut superius demonstratum est, quis dubitet, quin strictionem [4]), coërcitionem et eadem quae animata corpora patiantur.

CURTIUS: Memini, cum Tholosae agerem, daemonem fulminis casu delapsum dies septem in sutrina [5]) taberna constitisse et indefessa lapidum jactatione domesticos valde conturbasse, sine sanguine tamen aut caede cujusdam, nec aliter quam gladiis aut ensibus per cubiculi vacua vibratis fugari potuisse.

SALOMO: Ego vero daemones nullis gladiis, nulla vi, nullo telo fugari posse statuo, nihil denique in elementis esse, quo terreantur. Ferrum, inquit Dei vox ad Jobum [6]), habet quasi pateas et chalybem, ut putre lignum. Quare qui [7]) jecore et corde piscis aut fumo fugatus dicitur, divina tantum potestate fugatum interpretari debemus, idque voce divina testificante: qui condidit illum, admovet ei gladium [8]). Nam cum Saul perdere decrevissit Davidem et a malo daemone vexatus ad Samuelem pervenisset, Cacodaemon deseruit Saulem [9]), qui eodem momento divinis laudibus intentus vaticinari coepit, et cum a Samuele discessisset, rursus a malo genio torquebatur.

FRIDERICUS: Non solum mali genii [10]) a bonis fugantur, sed etiam a malis. Et quidem saepe videmus, sceleratissimum quemque sortilegum obsessos a daemonibus nullo negotio liberare, alios quidem murmure in aures insusurrato, alios etiam [11]) in circulis et characteribus in fronte media obsignatis, ut in Africa sortilegis hominibus, quos ipsi mahazinos [12]) appellant, consuetum est, aliorum denique simulatis devotionibus ac precibus, quibus tacite principem daemonem placare consueverunt, ut pietatis et sanctitatis laudem ab imperita plebe [13]) adipiscantur. Itaque Polycrates [14]): Mali daemones, inquit, ea faciunt sponte, contra [15]) inviti facere videntur et simulant se coactos vi exorcismorum [16]), quos fingunt [17]) in nomine trinitatis,

1) Alius: Biblici. 2) Tob. 8, 3 et 20. Deuter. 32. 2 Paral. 21. Psalm. 9 et 21. Jesaiae 35. 3) Desunt haec octo sequentia verba in aliis codicibus. 4) Alii: sectionem. 5) False alii: subrina. 6) Job. 41, 18. 7) Alii: quo, vel: quod. 8) Jobi 40, 14. 9) 1 Sam. 19. 10) Alibi: maligni. 11) Deest in aliiis codicibus. 12) Alibi: mahuonos, vel: mohnimos. 13) Alius: apud imperitam plebem. 14) Lib. VII, c. 14. 15) Alii: quae. 16) Alibi; exorcismis. 17) Alibi: pronunciant.

eosque tradunt hominibus, quoad sacrilegiis ac poena damnationis [1]) illos involvant, quae cum in admirationem me raperent [2]), carmine Sapphico lusimus hunc in modum:

Daemonum vires, numeros, honores,
Jus, potestatem, officium, figuram,
Ordinem, sensum, facili quis ore
dicere possit?
Nam bonorum essentia quam [3]) malorum
Purior multo leviore motu
Fertur, hi vero graviore pressi
corpore constant.
At bonos inter medius malosque
Solus intercedit homo, Deorum
Ultimus totoque animantium su [4])-
premus in orbe.
Angelus custos, geniusque pravus
Huc et illuc nos rapiunt, quousque
Alter inviso referat graves ab
hoste triumphos.
Urbium tutela genîs suprema
Creditur custodibus ac domorum
Uniuscujusque, Deo favente,
cura jubetur.
Sunt quibus natura datur regenda,
Ut [5]) caducis temporibus [6]) figuram
Et fluenti materiae decus cum
viribus addant.
Qui Deo mentes, animos [7]), precesque
Angeli mactant propiore vultu,
Numinis vultu [8]) nitidaque pleni
luce fruuntur.
Sed nihil praeclarius institutum,
Quam bonis pravos obedire, justis
Imperandi jus [9]) tribui sacratum
lege perenni.

TORALBA [10]): Ego quidem agnosco, imperium optimo cuique gubernandi perito traditum, non video tamen, unde tanta daemonum et angelorum multitudo, quanta tot ac tam multis provinciis, imperiis, civitatibus, hominum

---

1) Alibi: poenae damnationes. 2) Alius: rapiunt. 3) Alius: quae. 4) Alius: ut sit .... primus. 5) Alibi: Et, vel: Sunt. 6) Alius: corporibus. 7) Alibi: animas. 8) Alii: metu numinis metu. 9) Alibi: his. 10) Alibi: SENAMUS.

millibus necessaria judicio nostro videtur, nisi demus piorum mentes in angelorum abire naturam, quorum tanta raritas est, ut vix ex multis millibus unum reperiamus, ac ne unum quidem qui a recta via non deflexerit, impiorum vero multitudinem pene infinitam esse. Et cum mentes hominum cadaveribus superstites vivere, superius [1]) demonstratum sit, cum de animorum immortalitate disputaremus, consequens est, angelorum mirabilem raritatem [2]), daemonum vero innumerabiles fore legiones, si modo verum est, impiorum mentes in daemonum naturam mutari, ut [3]) piorum ac illustrium virorum animas in angelos converti; alterum enim alterius consequens est ex oppositorum natura.

OCTAVIUS: Plato quidem in Cratylo Hesiodi ac priscorum auctoritate viros bonos, ex hac corporea labe ereptos, daemones fieri scribit.

FRIDERICUS: Eadem fuit Tertulliani sententia, hoc tantum [4]) a Platone differt, quod cacodaemonum vocem pro daemone Platonis observavit [5]).

CORONAEUS: Hanc quoque Senami quaestionem arduam et difficilem Salomo nobis dissolvet, quippe qui ex adytis [6]) Ebraeorum difficillima quaeque nobis aperire facile potest [7]).

SALOMO: Morem tibi, Coronaee, gessi, quam sapienter nescio, sed tamen bona fide quae sciebam quaeque nesciebam omnia aperui [8]), ac vereor, ne nimis multa videar effudisse [9]), et ut sensus intimos aperiam, non tamen satis Senamo fieri potuerit, qui etiam rerum ab omnibus sensibus mortalium abditarum demonstrationes poscit, tametsi nihil salutis [10]) ad summam afferant momenti, sed ut cuique libuerit, ita sentire cuique liceat.

CORONAEUS: Tametsi haec ad salutis summam non spectent, attamen spectant ad eruditionem meliorem, ad scientiam rerum divinarum, ad animi oblectationem, qui veri cognitione contentus acquiescit [11]). Argumentis enim probabilibus, ut rerum illarum natura ferre potest, spondeo ac promitto satis Senamo factum iri.

SALOMO: Audivi quondam ab homine doctissimo, mentes eorum qui se corporis voluptatibus omnino dedissent et quasi coeno conspurcati nullam virtutum aut honestarum disciplinarum curam [12]) habuissent, una cum cadaveribus interire, idque litteris sacris haud ambigue confirmari. A u d i t e [13]), inquit psaltes lyricus, a u d i t e p o p u l i o m n e s, a t t e n d i t e a d r e s o m n i u m m a x i m a s e t g r a v i s s i m a s, q u a s p o t e n t i b u s a e q u e [14]) a c t e n u i b u s a p e r i r e d e c r e v i, idque saepius repetitum, eos qui in opibus [15]) et praemiis humanis spes suas collocarint, aut in superbarum aedium substructionibus [16]) sui nominis ac potestatis [17]) fundamenta jecerint, non

1) Alius codex: saepius. 2) Alius: varietatem. 3) Alibi: et. 4) Alius: tamen. 5) Alibi: usurpavit. 6) Alibi: abditis. 7) Alius: possit. 8) Alius: effutivi. 9) Alibi: Effutisse. 10) Deest in alio codice. 11) Alius ita: quae vera cognitione contenta acquiescit. 12) Alibi: honestatum curam. 13) Psalm 49, 2. Lactantius VII, 20 idem sentit. 14) Deest in alio codice. 15) Alibi: operibus. 16) Alibi: exstructionibus. 17) Alius: posteritatis.

aliter quam animantia bruta interituros. Item [1]) cum Jesaias [2]) dixisset, tyrannos nunquam resurrecturos, subjecit: sed mortui Tui, domine, resurgent ac vivent. Neque verum est tamen, impiorum animos [3]) omnes penitus perituros cadaveris occasu, ut nonnulli putarunt [4]) ex eo loco Davidis אל יקומו non stabunt, sed ut pulvis flatu levissimo venti, sic etiam scelerati a conspectu Dei dissipabuntur. Id autem Danielis [5]) testimonio comprobari potest: Multi, inquit, dormientium in terra pulverulenta resurgent, hi quidem ad vitam aeternam, illi vero ad contumeliam et opprobria sempiterna. Alioquin impiis mors fructuosa foret, ut Tryphon Ebraeus disserit apud Justinum [6]). Neque tamen Daniel omnes resurrecturos spondet, sed multos. Nam ii quorum animas Deus occidit (solus autem animas et corpora occidere [7]) potest), eorum nulla est spes ac proprie mortui dicuntur, ad quos illud pertinet [8]): Reviviscetne homo, cum mortuus fuerit? Ceteri proprie dormientes vocantur, ad quos illud pertinet: Num quod [9]) qui dormit, non resurget? [10]) Item illud: Vivat Ruben et non moriatur [11]) morte secunda [12]). Quo pertinet etiam Ezechielis [13]). Et violabunt [14]) me ad populum meum, ut necarent animas, quae [15]) non moriuntur, et vitam promitterent animabus quae non vivunt [16]). At illi [17]), qui ultro Deum ejuraverunt, scient se esse morituros, postquam sceleratae vitae poenas dederint. Sic etiam [18]) Jesaias [19]): Videbunt, inquit, cadavera eorum, qui perfide a me desciverunt, quoniam vermis eorum non morietur et [20]) ignis eorum non exstinguetur. Ex quo intelligitur, bonorum et malorum exitus valde sui dissimiles esse futuros [21]). Plurimum enim distant ii, qui seipsos flagitiis omnibus contaminaverunt nec poenituerunt unquam ab his, qui nihil differunt a judicio ferarum, sed gulae tantum et ventri addicti fuerunt, quos cum ipsis cadaveribus obituros ajunt; alios autem immanium scelerum, priusquam moriantur [22]), justa supplicia luituros [23]). Namque Chaldaeus interpres [24]), qui obscura clarius interpretatur, impios resurrecturos scribit, non aliam ob rem, quam ut acerbissima tormenta patiantur. Est etiam aliud foedissimum genus hominum illorum, qui scelerata consensionis fide cum daemonibus societatem inierunt [25]), quorum ministerio daemones ad supplicia exequenda uti consueverunt; hos plerique putant mortuos semper consequi suos duces daemones et eorum naturam ac officia

1) Alibi: Nam. 2) Jesaias 26, 14. 19. 3) Alibi: animas .... morituras. 4) R. David Kimchi in Psalm. 1, 5 et 17, 14. 5) Danielis 12, 2. 6) In dialogo cum Tryphone. 7) Matth. X, 28. 8) Jobi 14, 10. coll. 10, 19. 9) Alius: quid. 10) Psalm. 40, 9. 11) Addit alius codex: Hic Chaldaeus interpres subjecit: non moriatur ctt. 12) Genes. 41, 8. 13) Ezech. 13, 19. 14) Alibi: violaverunt. 15) Alibi: animos, qui. 16) Alibi: vivent. 17) Cf. Eccles. 9, 4. Esdrae IV, 9. 18) Alibi: enim. 19) Jesaias 66, 24. 20) Desunt haec ultima Jesaiae verba in alio codice. 21) Alibi: futurum. 22) Alibi: moriuntur. 23) Alibi: inituros. 24) In Jos. 26. Etiam Jesaiae 26, 14, ubi plenius in hanc sententiam commentatur Chaldaeus paraphrastes. 25) Alibi: coiere.

foedissima cum maximis doloribus ac molestia subire. Caeteris, qui nec ad extremum improbi fuerunt, nec poenituerunt tamen, poenas esse decretas, leniores tamen, quoad [1]) purgatis mentibus tandem aliquando in angelorum coetus ac societates admittantur. Paulo aliter interpres quidam Ebraeus: Scire te velim, inquit, Deum creavisse homines inferiores [2]) ad imaginem superiorum et in homine quidem duos esse appetitus, bonum et malum, totidemque angelos: si bene vixerit, in angelum bonum, si male, in angelum malum convertitur. Atque eo pertinet interpretatio Pauli Riccii [3]) elegans et peracuta, qui haec verba: de limo terrae formavit hominem [4]) non solum traduxit [5]) ad conformationem corporis humani de [6]) argilla limosa vel [7]) terra, verum etiam ad intellectum patibilem, quem actuosum effici i. e. ex humana mente angelum fieri scribit.

TORALBA: Angelorum ac daemonum quam diuturna vita sit futura, qua ratione intelligi possit, non video, cum ne hominum [8]) quidem spirantium ulla [9]) vitae definitio [10]) percipi queat.

SALOMO: Certi sunt uniuscujusque vitae termini a Deo positi ac decreti [11]), quos prorogare quisque potest virtutum eximiarum [12]) praestantia. Improbi vero [13]) vitae suae terminos circumcidunt et contrahunt, quae temporis ac vitae contractio ac propagatio frequens in sacris litteris non modo ad hanc, quam misere ducimus, sed et ad futuram vitam pertinet, quia saepe Deus sanctissimos et integerrimos quosque ad se rapit in ipso aetatis flore, ut Abelem sibi carissimum, Josiam, decus principum. Et huic quidem Deus denunciavit brevi occasurum, ne miserandis ultionum cladibus [14]) obrueretur. Justus, inquit Jesaias [15]), perit, nec tamen quisquam est, qui ad animum revocet, quod ab imminentibus calamitatibus ereptus sit. Sed paene omnes, inquit angelus ad Esdram [16]), pereunt [17]) et profligatissima est eorum multitudo: Quisquis autem evaserit pericula, superabit ac salutem meam videbit, et tunc mirabuntur seipsos, qui jussa mea spreverunt, nec virtutibus ullum nec poenitentiae locum reliquerunt, quos oportet post cruciatum torqueri. Tu vero ne quaesiveris curiose, quomodo cruciandi sint impii, sed quomodo justi sint servandi.

CORONAEUS: Caetera quidem Salomoni consentior [18]), praeterquam quod mentes eorum, qui pecudum vixerint vitam, una cum ipso corpore dicit obituras simul nec sempiternos cruciatus sceleratis decretos, sed post diuturnum cruciatum penitus interituros arbitratur, tametsi nihil adseverare voluit.

1) Alibi: quae ad. 2) In Psalm. 139. 3) De agricultura coelesti. 4) Genes. II, 7. 5) Alibi: traducit. 6) Deest in aliis codicibus. 7) Alii: limosave. 8) Alius: omnium. 9) Alibi: illa. 10) Alibi: definitione. 11) Job. 10, 14. et 1 Samuel. 26. Deuteron. 31. 12) Alibi: eximia. 13) Psalm. 54 et 108. Deuter. 6. Exod. 20. 3 Regum 3 et 38. Job. 20. Sapient. 15. 4 Regum 22. 14) Alibi: casibus. 15) Jesaiae 57, 1 sq. 16) Esdrae Libr. IV, cp. 9, 7 sqq. 17) Alibi: peremit. 18) Alius: assentior.

Sacris enim scriptionibus [1]) confidimus, omnes omnium animos, cadaveribus relictis, immortales futuros ac tandem resurrecturos.

CURTIUS: Etiam Ebraeorum ea spes est et fiducia, extremo capite symboli, quod mortui resurgent [2]).

SENAMUS: Multa quidem, quae vulgus tanquam oracula divina miratur, omitto, caetera tamen omnia facilius mihi quam resurrectio cadaverum persuaderi possunt [3]). Nec mirum mihi videtur, si Athenienses Paulum [4]) de resurrectione cadaverum disserentem in fine risu acceperunt.

FRIDERICUS: At philosophus fuit Athenagoras, qui eleganti oratione scripsit ad M. Aurelium Augustum περὶ ἀναστάσεως. Claruit etiam Justinus martyr philosophiae disciplinis [5]) sub eodem principe, qui tamen Sophistarum argutias de resurrectione acutissime refellit. Fuit praeter [6]) hos Democritus, philosophorum sui temporis facile princeps, qui cadaverum resurrectionem comprobavit.

TORALBA: Hunc tamen Plinius [7]) deridendum proponens, similis, inquit, de asseverandis et de reviviscendis vanitas a Democrito promissa [8]), qui et ipse non revixit. Quae, malum, ista dementia est iterari vitam mortemque?

SENAMUS: Audirem libenter arguta illa, quae Fridericus spopondit, Justini [9]) argumenta.

FRIDERICUS: Piget quidem omnia, unum tamen aut [10]) alterum, ne videar ineptus, referre [11]) non pigebit. Si quae sunt ex elementis, ait, fiunt rursus elementa; cum absurdum sit, rursus eadem existere, quae ex elementis exstiterunt. Item: Si penes Deum est, ut facti sint [12]) homines et corrupti, nonne [13]) etiam penes eum est, ut nos rursus fiamus et corrumpamur? Superius Toralba demonstravit, ab unius Dei voluntate statum et rerum omnium conditionem pendere; cur non igitur Deus, qui materiam ex nihilo, hominem e pulvere creavit, eundem rursus e pulvere recreare [14]) poterit?

OCTAVIUS: Deum id posse ambigit nemo, sed quaeritur, velit id [15]) necne?

CURTIUS: Si de potestate dubitare scelus, certe de voluntate ambigere nefas est, cum infinitis sacrae scripturae locis perspicuam divinae voluntatis testificationem habeamus [16]).

OCTAVIUS: Ismaelitae resurrectionem fore credunt, ut ex Alchorani [17]) libris testatum videmus. Azora 48, 10 inquit Mahummedes: Buccinae sonitu mortui succumbunt omnia, nisi dextra Dei servaverit: secundo clangore tubae

---

1) Alii: Nostris enim legibus. 2) Alius: resurgunt. 3) Alii: potest. 4) Actorum 17, 32. 5) Alius: philosophiae discipulus. 6) Alii: inter. 7) Hist. nat. 7, 55. 8) Alibi: proposita. 9) Alibi: instrui. 10) Alibi: et. 11) Alibi: afferre. 12) Alibi: sunt. 13) Alii: num. 14) Addunt alii: non. 15) Deest in aliis codicibus; alibi: an voluerit. 16) Matth. 12, 22 et cap. 22. Luc. 20. Marc. 12. Joh. 20. 1 Cor. 15. Dan. 12. Jerem. 26. Psalm. 16. 17) Alii: Alcorani.

omnia resurgent [1]). Eos autem, qui resurrecturi sunt, staturam Adami, doctrinam Mahummedis et Christi formam habituros asseverat. Deum autem eadem facilitate mortuos excitaturum, qua creavit. Qui tamen inter Ismaelitas theologos ac philosophos allegorias sacras venerantur [2]), nullam cadaverum, sed animorum tantum resurrectionem sperant [3]). Et certe duo sunt fidei christiani capita, scilicet ἀνάστασις et ἀποθέωσις τῶν ἀνθρώπων, quae innumerabiles a christiana religione prohibuerunt atque inprimis Originem Adamantium, Synezium Episcopum, Phereonitas [4]), Borbonianos, Zachaeos [5]).

CORONAEUS: Illud quidem laetandum nobis est, quod Ebraeis, Ismaelitis et Christianis inter ipsos convenit de resurrectione mortuorum.

SALOMO: Rabbi Jochanan, ex sententia Simeonis Jozadach [6]) explicans verba Dei: Delebo hominem quem creavi, tradit, ossiculum vertebrae, quod לוץ appellatur, unde resurrecturi fuissent, qui in diluvio perierunt, tunc evanuisse. Scribit autem, os illud nec molae subjectum conteri, nec ignibus injectum [7]) exuri [8]), nec incudibus aut malleis suppositum, ulla ex parte diminui potuisse, sed malleos atque incudes confractos exstitisse [9]). Nulla enim sunt ossa dentibus duriora, quae flammis obsistere Plinius [10]) scribit, cedunt tamen diuturnis ignibus. Sed haec [11]) ab Ebraeis allegorice scripta sunt, ut animorum resurrectionem significarent. Quod enim Rabbi Juda et Moses Rambam et Cynaeus tradunt, nullum sacrae scripturae caput resurrectionis testimonio vacare; qui de coelo delapsi fuerunt, inquit Cynaeus, in coelum redibunt, qui de terra, penitus morientur. Itaque Ebraei vocant impium בְּלִי יַעַל i. e. qui non ascendit, imperiti Belial pronunciant. Nam cum sapientiae magister [12]) hominis et belluae [13]) eundem interitum fore scripsisset, Chaldaeus interpres sic transtulit: Impiorum, qui non poenituerunt, ac jumentorum [14]) idem interitus ac exitus futurus est. Est autem acceptio jumentorum in sacra scriptura frequens pro iis, qui pecudum in morem vivunt. Quod enim [15]) psaltes lyricus: Oves, boves et pecora campi, Hieronymus: pecora, bruta seu brutos homines, nihil a belluis differentes, interpretatur. Et cum edicto regio [16]) indictum [17]) esset jejunium hominibus ac jumentis, ut Deum invocarent, jumentorum appellatione homines, bestiarum in morem viventes, interpretantur, quorum animos cum cadaveribus mori arbitrantur, justorum vero mentes cadaveribus superstites fore, i. e. resurrecturos, tradunt [18]).

---

1) Alius: resurgunt. 2) Alii: venantur. 3) Alibi: faciunt. 4) Alius: Phitronitas. 5) Alius: Bachaeos vel: Tachaeos. 6) In libro Bereschit rabba l. I. 28 Est hic liber, qui et Magnus in Genesin commentarius dicitur, prima pars comm. rabbinici in Pentat., cui est titulus ־בוית. Est autem commentarius allegoricus, historicus et varius, qui magni a Judaeis aestimatur. [S.] 7) Alibi: subjectum. 8) Addit alius: nec in aquam injectum dissolvi. 9) Alibi: exsiliise. 10) Hist. nat. 7, 16. 11) Deest in alio codice. 11) Alibi: hominis ac bestiae. 12) Eccles. III, 19. 13) Alii: jumentum. 14) Alibi: idem. 15) Sapientiae V. 16) Jonae 3, 7. 17) Alibi: interdictum. 18) Jesaiae 26, 19.

CURTIUS: At Jesaias [1]) corporum resurrectionem fore confirmat his verbis: Mortui tui vivent et sicut corpus meum resurgent.

SALOMO: Hic locus est, qui plerosque interpretes fefellit, qui pro voce נְבֵלָתִי legunt aliam ex similitudine litterarum ב et כ. Et surget [2]) quidem mens corpore vestita, sed tenui scilicet aërio vel subtiliore, ut superius Toralba demonstravit omnes omnium mentes substantiam corpoream habere. Non enim si aer non est aspectabilis, propterea corpus non est. Ita nec mens, sive aëria sive ignea fuerit, non incorporea dicetur, quia videri non potest. Hanc vero interpretationem Jesaiae [3]) verbis congruere docent praecedentia ejusdem capitis: Mortui, inquit, non vivent et violenti tyranni non resurgent. At multo verius et aequius est, animam angelorum in modum coelesti quadam ac tenui essentia, quam gravi ac impuro cadavere convestiri. Id autem confirmat Hierosolymitana interpretatio: Cum enim Esau jura primogeniturae vendidisset, hic interpres subjicit [4]): quia cum resurrectionem negaret, vitam futuram sprevit, at sine cadaveribus mentes humanae [5]) vivent. Est igitur vera resurrectio non corporis, sed animae exsilientis ex hoc sepulcro, quod propterea dicatur σῶμα i. e., ut Plato [6]) interpretatur, σῆμα.

TORALBA: Ita quidem interpretatione innumerabiles absurditates, quas abhorret Senamus, et inanes illorum opiniones, qui angelos et animas segregatas vacare corpore putant, diluuntur. Nam si putant, mentes ossium et carnium [7]) indumento beatiores futuras, et in coelum una cum ipsis [8]) cadaveribus evolaturas, profecto angelorum conditionem humana multo deteriorem arbitrantur, cum tamen haec longe inferior sit, quanquam haec Salomonis sententia Pauli scriptis consentanea videtur: Seminatur, inquit Paulus [9]), animale corpus, resurget spirituale. Item: gestavimus imaginem terreni corporis [10]), gestabimus imaginem coelestis. Item apertius his verbis: Cum mortale hoc induerit [11]) immortalitatem, jam non erit caro, sanguis, sed coeleste corpus. Quibus verbis satis significat, corpora, quae resurgent, carnibus et ossibus caritura, spiritus tamen ac coelestia corpora futura. Jam vero quis ascensus cadaverum ad coelum cogitari possit? [12]) Nam cum hinc ad coelum siderum distantia minimum complectatur 74697600 milliaria, ut Arabes tradunt, et a coelo sidereo usque ad chrystallinum, ubi sedem Dei et beatorum esse praedicant, eadem sit distantia, ut Ebraei theologi et philosophi tradunt, consequens est, etiamsi recta linea cadavera sursum ferantur volatu celerrimo, i. e. ut 50 milliaria in singulos dies obeant, non tamen ad illas beatas sedes pervenire posse annis millibus octoginta; neque enim corporea moles ac ne levissimae quidem hirundines tam celeri motu abripiuntur. Praeterea cum

---

1) Jesaiae 26, 19. 2) Alius: resurget. 3) Jesaiae 26, 16. 4) Alius: subjecit. 5) Alius: brutae. 6) In Cratylo. 7) Alibi: corporum. 8) Deest alibi. 9) 1 Corinthiorum 15, 44. 49. 54. 10) Alius: Adami. 11) Alibi: induxerit. 12) Alius: potest.

impios [1]) ac bonos resurrecturos confidant iisdem, quibus ante, membris, infinita quadam multitudine improbi vincant oportet numerum bonorum, quos tamen in infernis [2]) terrae visceribus diritatem supplicii [3]) sempiternam perpessuros asseverant: quae non modo incredibilia, sed et absurda videri necesse est, quoniam si omnia omnium, qui hactenus mortui sunt, cadavera resurgent, non modo angustissimis terrae visceribus et carceribus, sed ne amplissimo [4]) quidem coeli sinu capientur. Neque enim corpora possunt a seipsis penetrari. Sin ficta quaedam erunt phantasmata, non vera corpora resurgent, sed inania simulacra et Manium [5]) imagines fugaces.

CURTIUS: Nobis traditum est, corpora quae resurgent, ideo penetrabilia fore, quia gloriosa, ac propterea Christum januis clausis in coetu discipulorum constitisse [6]).

TORALBA: Confitendum igitur, cadavera putrida resurrectione fieri gloriosa, quod ineptum sit, ineptius tamen, corpora, qualiacunque tandem futura sint, penetrabilia confiteri, cum ignis et aër subtilissima corpora rarefieri quidem possint, sed cum ad extremum rarefacta fuerint, erumpere oportet, nec simul eodem subsistere loco.

FRIDERICUS: Istud quidem est fidei nostrae vim afferre, cum sanctissimis evangelistarum testimoniis exploratum habeamus, Christum pellibus, carnibus, ossibus convestitum eodem quo antea corpore resurrexisse, comedisse pisces assos et eo statu ascendisse coelum, ut jam nullus dubitationi locus relinquatur. Itaque Augustinus [7]) scripsit, sectas omnes, quae [8]) religionem aliquam praetendunt [9]), animorum in fine [10]) resurrectionem confiteri. Quodsi Salomo pro sua religione nostris litteris minus credendum putat [11]), Jesaiam et Ezechielem opinor non repudiabit, quorum alter non ambigua sed perspicua voce cadaver resurrecturum affirmat [12]), alter visionem de ossibus sese in campo moventibus et mutuo contactu ad sua quaeque loca coaptantibus, deinde ligamentis, nervis, fibris, carne, pulpa, pelle contectis, post etiam aurae spirabili animatis cadaveribus, ad verissimam illam resurrectionem pertinere putavit [13]). Quae persuasio tam late dissipata est, ut etiam [14]) Indis Peruanis, cum Hispani in provinciam irruentes aurum e templis omnibus ac thesauris diriperent, nihil acerbius videretur, quam ossa de sepulcris ad aurum conquirendum distrahi, cum ista ratione cadaverum resurrectionem futuram [15]) prohiberi arbitrarentur. At etiam Augustinus [16]) non solum perfectae aetatis homines, verum etiam abortivos et imperfectos partus, vitam adeptos [17]) et ante mortuos quam in lucem prodirent, in corpora perfecta resurrecturos affirmat, ne quis ultra dubitaret.

---

1) Addunt alii: aeque. 2) Alibi: infimis. 3) Alius: suppliciorum. 4) Alius: amplissimi. 5) Alibi: inanium. 6) Joh. 20, 19. 26. 7) In Joannem. 8) Alibi: cum. 9) Alibi: promittunt, vel: permittunt. 10) Alius: in fide. 11) Alibi: putet. 12) Jesaiae 26, 19 sq. 13) Ezech. 37, 1 sqq. 14) Alii: etiamnum. 15) Deest alibi. 16) De civitate Dei II, 13. 17) Alii: vita ademtos.

SALOMO: Jesaiae locum perperam interpretatum prius aperuisse nobis videmur, Ezechielis autem visio non[1]) esset, si nihil aliud, quam quod videtur, significaret. Ut si quis scalam Jacobi, quae a terra ad coeli verticem pertingebat, scalam fuisse putet, a vero sensu aberrabit. Itaque visionem acceptam vates explicans[2]): Ossa haec, inquit, sunt Israëlitae, qui queruntur[3]), ossa sua exaruisse, spem etiam periisse, cum scilicet exules ab hostibus abducti sint.

CORONAEUS: Si nullus est animorum mortuo corpore interitus, qui fieri potest, ut resurrectio de mentibus intelligatur? Id enim resurgere dicimus, quod caduca sui natura collapsum rursus erigitur. Ac mens humana nec[4]) moritur, cum sit cadaveri superstes, nec cadit, igitur ne resurget quidem. Sin occultis quibusdam Dei judiciis quaedam impiorum mentes intereunt penitus nec ullam resurgendi spem habent, resurrectio tamen utroque modo de cadaveribus interpretanda nobis videtur.

OCTAVIUS: Probabilior esset eorum sententia, qui resurrectionem impiorum ab impietate ad pietatem, a vitiis ad virtutem interpretantur, ex his Christi verbis[5]): Qui crediderit[6]) in me, transiit de morte in vitam. Sic etiam Pythagorei sepulcra sceleratis quasi[7]) mortuis erigebant.

FRIDERICUS: Hanc haeresin refellit Tertullianus[8]) his verbis: Quidam resurrectionem jam esse factam asseverant et futuram mortuorum resurrectionem imaginariam fictamque distorquent, nullam aliam esse rati, quam quae jam facta est fitque quotidie, cum quis, mortis, scilicet damnationis, sepulcro relicto, in quo mortuus jacebat, Dei accepta cognitione, quae animas[9]) reducit in vitam, Deo resurgit. Cujus haeresis principes fuere Hymenaeus et Philaetus, quos Paulus ad Timotheum[10]) refellit et Augustinus his verbis: Nec eos audiamus, qui carnis resurrectionem negant, non intelligentes id, quod ait apostolus[11]), oportere corruptibile hoc induere incorruptibile et mortale hoc induere immortalitatem. Quod cum fiet, non erit caro et sanguis, sed coeleste corpus.

OCTAVIUS: Si coeleste corpus erit, non caro, non sanguis erit, invisibile corpus perinde ut coelum[12]) erit intellectuale quoddam sine cute, sine carnibus, sine ossibus, sine pulpa, sine visceribus, sine dentibus. Nam si resurgerent ipsa cadavera, frustra scriptum esset[13]), beatorum animas angelis similes futuras, cum angeli humana figura, coelesti quadam essentia convestiantur. Cum enim Sadducaei quidam Epicuraei Christum rogarent, cujus esset uxor, quae septem maritis nupsisset vicissim, Christus corporeas

---

1) Alius: longe aliud quam quod videtur. 2) Alii: explicat, vel: explicavit. 3) Alius: confitentur. 4) Alibi: non. 5) Joh. V, 24. 6) Alibi: credit. 7) Alibi: tanquam. 8) Lib. de carnis resurrectione. 9) Alibi: animos. 10) 2 Timoth. II, 17 sq. 11) 1 Corinth. 15, 53. 12) Desunt haec tria verba in aliis; alibi pro coelum legitur: corpus. 13) Matth. 22, 30. Marc. 12, 18. Luc. 20, 27.

connubiorum voluptates exsecratus, beatos [1]) angelis similes fore affirmabat, idque argumento efficaci affirmans, haec verba subjicit [2]): Quod vero mortui, inquit, resurgent, Moses ostendit, cum diceret: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, non est autem Deus mortuorum, sed viventium. Quo ex loco plane constat, resurrectionem non esse cadaverum, sed animorum, cum dicat Abrahamum ejusque filium et nepotem resurrexisse et vivere.

FRIDERICUS: Haec verba de Abrahamo et Isaaco Marcionis exemplari defuisse scribit Epiphanius [3]).

OCTAVIUS: Ea tamen a tribus evangeliorum scriptoribus repetita videmus iisdem verbis.

SALOMO: Si Marcionis exemplar accipitis, innumerabilia pene [4]) loca in omnibus Novi Testamenti libris truncata reperietis, cujusmodi est illud: Quaeritis viventem, resurrexit a mortuis, exemplari Marcionis deest.

CURTIUS: Marcionem evangeliorum corruptorem omittamus ac nostris [5]) libris aeque ac priscis [6]) i. e. veteris instrumenti tabulis utamur. Neque enim negari potest, quin Helias [7]) viduae Sareptanae filium matri redivivum exhibuerit. Item [8]) cadaver in sepulcrum Helisaei conjectum eodem momento revixit.

SALOMO: Horum adhuc recentia et inviolata cadavera prophetarum precibus ac virtute revixisse [9]) non dubito; sed [10]) nusquam legimus, cineres cadaverum ambustorum vel ossa putrida, aut quae feris aut piscibus pabula pridem fuissent, revixisse. Et quidem ex loco Davidis [11]), quo negat, divinas laudes a mortuis celebrari, Chaldaeus interpres ita convertit: An corpora pulvere resumta resurgent?

SENAMUS: Saepe contingit, recentia cadavera, quae plane inanimata putabantur, ardentibus rogis imposita aut igni admota, calore cadaveris excitato revixisse, ut Plinius scribit [12]), et sine ignibus Julius II. Pontifex M., cum biduum exanimis jacuisset, sumto spiritu ad se rediit, quin etiam Johannes Duns, qui Scotus usurpatur, in foveam demissus ac terra contectus [13]) revixit. Sed cum obruto spiritu fervato [14]) caput collisisset [15]), cruentus adhuc exspirans extractus est. Illud vero ex antiquissimis scriptoribus legimus, animas sua cadavera aliquamdiu consequi [16]).

FRIDERICUS: At non modo Lazarum quatriduana sepultura tumulatum ad Christi vocem, sed etiam multa sanctorum cadavera, aliquot ante saecula [17]) in pulverem coacta, revixisse legimus ac Christo moriente resurrexisse [18]).

---

1) Deest in alio codice. 2) Matth. 22, 31. Marc. 12, 26. Lucae 20, 37 sq. 3) Contra haereses. 4) Alibi: fere. 5) Alii: vestris. 6) Alii: nostris. 7) 1 (3) Regum 17, 22. 8) 2 Regum 13, 21. 9) Alibi: resurrexisse. 10) Sequentia haec usque ad finem interlocutionis Salomonis desiderantur in alio codice. 11) Psalm. 88, 12. 12) Usque ad hoc verbum desunt antecedentia omnia in alio codice. 13) Alibi: conjectus. 14) Alius: fercato. 15) Alibi: collisus. 16) Plato in Phaedone. 17) Alius: saeculis. 18) Matth. 27, 52 sq.

OCTAVIUS: Memini theologum [1]) acutum [2]) revocare solitum sententias [3]) ejus, qui cadavera illa sanctorum, quae revixisse dicebant, triduum vixisse, deinde latuisse: Cur, inquit, sancti illi potius quam ceteri resurrexerunt? Tum negat mortuos esse qui revixerant, cum Paulus aperte scribat [4]), resurrectionem fore vitam aeternam. Idem quoque de Lazaro sentit; quem tamen solus Johannes ex omnibus revixisse testatur. Nec certe beneficium, sed supplicium Lazaro irrogatum videretur [5]), si de coelesti angelorum coetu in foetidum et semiputre cadaver redire cogeretur. Cum Thessalus [6]) Erichton rogantibus in Pharsalia Pompejanis de futura victoria manes ex [7]) umbris et atra caligine inferorum eliciens, pro ingenti mercede jurato promisit [8]), animam quam evocarat nunquam ullis carminibus aut sacrificiis in cadaver redituram:

nec verba nec herbae
Audebunt longum somnum tibi solvere Lethes [9]).

Et quemadmodum Platonici [10]) existimabant, propter ingens aliquod scelus animas in haec cadavera demissas, ita quoque sanctissimorum virorum mentes illae, quae in cadavera moriente Christo redierunt [11]), flagitium quoddam inexpiabile commisisse credibile foret, ut rursus foedissimis carceribus [12]) manciparentur, cum mors a theologis poena peccati definiatur. Aut si postea beatos illos, qui revixerant, mori non potuisse demus, ubinam terrarum hactenus delituerunt? Neque enim coelum [13]) ante Christum ascendere fas erat, pristino cadavere resumto, ut cum [14]) latroni Christus jam moriturus spopondisset, eo ipso die secum fore in paradiso, quo tamen non nisi quadragesimo die post legitur pervenisse [15]), satis constat, non de cadavere, sed de mente esse locutum.

TORALBA: Certe vulgaris cadaverum resurrectio probari nemini potest, quin aperte fateatur Pythagoricam παλλιγγενεσίαν regenerationem, ut M. Varro appellat, vel μετεμψύχωσιν transmutationem, ut Plotinus, vel μετενσωμάτωσιν transcorporationem, ut Justinus, vel μετεγγισμοὺς τῶν ψυχῶν translationem animarum, ut Epiphanius, vel ut Ebraei, animarum revolutionem. Qui animorum in corpora reditus Pythagoreis quidem [16]) placuit, caeteris [17]) semper displicuit. Jam vero qui resurrectionem cadaverum sperant, neque mutos, neque surdos, neque distortos, neque leprosos, vel membris captos ullos fore affirmant [18]), sed alacres, robustos, formosos, cum explorata vel exquisita [19]) sempiternaque corporum valetudine ac firmitate. Quin etiam Scotus theologus scribit [20]): foeminas virili sexu resurrecturas: in qua sen-

---

1) Calvinus in Matth. 26. 2) Alibi: aliquem. 3) Alius: sententiam. 4) 1 Cor. 15. 5) Alibi: videtur. 6) Alius: Thessalis. 7) Alibi: in. 8) Alius: juramenta promitteret. 9) Lucanus lib. 6. 10) Plotinus de anima et daemonibus; Plato in Phaedone. 11) Alii: redirent. 12) Alii: cadaveribus, vel: corporibus. 13) Alii: coelos. 14) Alii: et quorsum. 15) Alibi: devenisse. 16) Alibi: semper. 17) Alius: exteris. 18) Alius: existimant. 19) Duo haec verba desunt in aliis codicibus. 20) Lib. III. Sententiarum.

tentia fuit Augustinus[1]) ex ipsius Pauli opinione, qui scribit, nos ut viros perfectos Christo tandem obviaturos[2]), et satis intelligebat[3]), nullam istius sexus utilitatem futuram. Esset[4]) hujusmodi resurrectio sceleratis, qui leprosi, surdi, membris capti fuissent, olim valde optanda; quanto melius academicis, qui flagitiosorum hominum mentes non in humana, sed in luporum ac rapacium[5]) ferarum corpora redituros opinantur?

CURTIUS: At Theopompus[6]), Aeneas Gazaeus, et Seneca[7]) popularem ac fidei christianae ac Israëliticae consentaneam resurrectionem suis scriptis comprobarunt.

TORALBA: Cum illustrium ac fortium virorum animas in angelicas naturas obire prius dictum sit, profecto animarum a coelestibus illis sedibus in cadaverum gurgustia[8]) lapsus miseram modis omnibus efficeret vitam, quae prius beatissima fuisset. Est autem infelicissimum infortunii genus, felicem fuisse. In summa, si resurrectione cadaverum mentes humanae beatiores fierent, deterior esset angelorum quam hominum status, cum tamen status et conditio angelorum pro summa[9]) felicitate bonis promittatur a Christo[10]). Illud etiam ex eo sequeretur, Deum aeternum incorporeum corporea creatura longe inferiorem esse, quo nihil capitalius cogitari potest, cum Romanae sapientiae decus, Cato, dicere soleret, nolle se repuerascere, etiam si quis illum ut Peliam recoxerit senem. Postremo si resurrectio beneficio tribuitur, impii pro suppliciis praemia consequerentur.

FRIDERICUS: Justinus resurrectionis finem non alium esse scribit, quam ut boni praemiis, flagitiosi suppliciis afficiantur.

OCTAVIUS: Quasi vero sine cadaveribus nec beati praemia nec scelerati supplicia ferant. Cur[11]) latroni, qui nondum resurrexit, promissa fuisset coelestis paradisi felicitas, si ad beatitatem illa necessaria sint cadavera, aut malus dives apud inferos torqueri diceretur, si ad irrogandas poenas cadaverum instrumentis opus esset?

CORONAEUS: Obtestor ego vos per Deum immortalem et pro jure pietatis ac necessitudinis nostrae[12]), ne ullis argutiarum illecebris a proposita susceptaque sententia fidei nos avelli patiamur. Et quoniam a physicis quaestionibus ad metaphysica delapsi sumus, ne sacra profanis misceantur, die crastino decernendum nobis, an viro bono de religione disserere liceat.

Quibus dictis cum solita gratulatione singuli discesserunt.

---

1) De civitate Dei II, 17. 2) Alius: obviam ituros. 3) Alius: intelligebant. 4) Addit alius: autem. 5) Alibi: voracium. 6) Ep. 75. 7) Quaest. nat. 3, 26 sq. 8) Alius: angustias. 9) Alibi: humana. 10) Matth. 22. 11) Addunt alii: enim. 12) Alius: naturae.

LIBER QUARTUS.

Die consequenti OCTAVIUS tragoediam a se compositam obtulit Coronaeo de parricidio [1]) trium Solimanni principis liberorum, quam Coronaeus propter autoris eruditionem, tum propter argumenti dignitatem me legere jussit. Et [2]) cum ad extremum usque prandium persecutus essem, omnes Octavio gratulati sunt ac potissimum Coronaeus, qui Octavium vehementer laudavit, cum diceret, tragoediam illam et verborum luminibus et gravitate sententiarum et rerum gestarum ordine et carminum varietate eleganter scriptam.

Cum autem de [3]) more Deo gratias egissent, laudatoriis canticis animum oblectati: Saepe, inquit CORONAEUS, admiratus sum, cur tanta sit suavitas in voce diapason [4]), diapente, diatessaron simul confusis, ut nunc audistis concentum [5]) pleno systemate jucundissimum vocis acutissimae cum gravissima confusae [6]), interjectis quarta et quinta, cum tamen acutissima gravissimae contraria sit, cur item unisoni concentus, in quibus nihil contrarium insit, non sine molestia ab auribus eruditis ferantur.

FRIDERICUS: Plerique arbitrantur, consonantiam tunc effici gratiorem, cum rationes numerorum inter se congruant.

CURTIUS: Illud quidem a doctissimis miror probari, cum nullae rationes aptius sibi convenire videantur, quam geometricae continuae, quoniam extrema primis, media utrisque, omnia omnibus consentiant, etiam locis et ordinibus communicatis, ut 2, 4, 8, 16, quibus tamen deficit concentus ille gratissimus, quem auribus consectamur, numeris hoc modo collocatis, 2, 3, 4, 6, in quibus tamen rationes a se invicem [7]) avulsas cernimus. Quid enim causae est, cur sesqui altera 2. 3. gratissima sit, sesqui octava 8. 9. graviter offendat [8]) aures?

OCTAVIUS: Concentum effici puto, cum plures soni misceri possent, cum vero [9]) misceri nequeunt, pugna, uter utrum vincat ac subeat aures, sensus teneros hominum argutiorum offendit.

SENAMUS: Nec ratio numerorum, nec mixtio vocum hanc suavitatem creare mihi videntur, cum varietas colorum oculis objecta [10]) gratior sit, quam si omnes simul misceantur. Item olei recentis et aceti, quae nulla vi misceri possunt, gratissimus est sapor, avium etiam dissimillimi cantus nulla ratione confusi jucundissimam auribus afferunt oblectationem, ut Platoni mirum videatur, cur nihil absonum ac dissentaneum in avium cantu percipiatur, quantumvis hominum vocibus ac fidibus conjungantur.

---

1) Alius: parricidis. 2) Alii: At. 3) Alibi: pro. 4) Alius: diabasion. 5) Alius: commentum. 6) Alius: confuse. 7) Deest in alio codice. 8) Alibi: offendit. 9) Alii: vi. 10) Alius: subjecta.

TORALBA: Ego vero gratam illam colorum, saporum, odorum, concentuum oblectationem a congruentia naturae cujusque pendere opinor, congruentiam a contrariorum mixtione et colligatione[1]) confusa. Nam calidissima et frigidissima tactum offendunt, item candidissima et obscurissima visum, dulcissima et amarissima gustum, ea tamen si naturâ vel arte confusa sunt, jucundissima sentiuntur. Quod enim Seneca scribit, ex opinione Stoicorum nihil bono viro mali contingere posse, quoniam contraria miscentur, vix mihi probari potest. Nam si aqua ferventissima[2]) pulveri frigidissimo ac siccissimo misceatur, contrariorum confusio maxima existit, arte contemperata et tactu jucunda. Elementaria quoque corpora, quae in natura ipsa coagmentata sunt, ex contrariis qualitatibus et elementis confusa videmus, quae arte nulla Galenus confundi posse judicavit. Atque ita Senecam tueri possumus et a reprehensione vindicare, si dicimus[3]), illum de substantiis, non de qualitatibus et accidentibus intellexisse. Nihil enim tam facile confundi potest, quam aqua vino, non tamen inter se miscentur, ut quae naturâ mista sunt, quia vinum ab aqua separatur spongia oleo perfusa! Item[4]) aurum cum argento quidem arte confunditur, et conflatur aes cum argento, aqua tamen chrysulia divelluntur, quae tamen si natura ipsa confudisset, nunquam a se ipso distraherentur, ut in electro, quod natura ipsa ex auro et argento aequis portionibus contemperavit.

SENAMUS: Si nulla est in substantiis contrarietas, quî fieri potest, ut contrariae substantiae misceantur?

TORALBA: Ita quidem putavit Aristoteles, substantiae nihil contrarium esse, sed cum formae forma contrarium sit, forma ignis formae aquae, et accidentium contrarietas, puta extremae siccitatis et humiditatis, summi caloris et frigoris, nonnisi a formarum ignis et aquae inter se tota natura dissidentium contrarietate prodeat, quis dubitet, formas utrasque res substantia inter se contrarias esse? Illud enim a natura decretum certissimum divulgatur[5]), non tam latine[6]) quam ad id quod quaeritur accommodate: propter quod unumquodque tale[7]) est, illud magis est tale, et illius magis, si accidentia ignis et aquae propter vim formarum[8]) inter se contraria esse[9]) oportet; quae igitur inter se contraria sunt ipsa natura, non possunt arte misceri, sed tantum confundi aut conjungi, aut copulari, ut unum esse videantur, puta oxymel gustui jucundissimum, ex aceto et melle et ex amaro omnium dulcium levi[10]) adustione fit γλυκύπικρον, palato gratissimus sapor.

FRIDERICUS: In musicis modulationibus contrarietas illa non videtur perire, sed extrema contraria mediis interjectis colligantur[11]). Nam vox

---

1) Alius: alligatione. 2) Alii: fervidissima. 3) Alius: demus. 4) Sequentia haec verba Toralbae omnia desiderantur in alio codice. 5) Alibi: divagatur. 6) Alii: latius. 7) Alii: late. 8) Alibi: formalem. 9) Desunt haec septem sequentia verba in aliis codicibus. 10) Alius: leni. 11) Alii: colliguntur.

assa [1]) τῶν ὑπάτων cum extrema acutissima τῶν ὑπερβολαίων vel [2]) octava διαπασῶν [3]) suavem efficit consonantiam, quoniam ex contrariis tota diametro coalescit. Quibus si mediam vocem adjunxeris, cum altero quidem extremo efficiet diapason, cum altero diapente, unde gratissimus [4]) omnium modulationum concentus exsistit, ex [5]) apta [6]) scilicet contrariorum colligatione.

TORALBA: Id quidem in tota natura latissime patet, ut contraria mediis quibusdam interjectis colligata universitatis mirabilem concordiam [7]) tueantur, quae alioquin penitus interiret [8]), si vel totus hic mundus ignis esset aut humor, sic etiam duo [9]) ὁμόφωνα omnem auferrent harmoniae suavitatem.

FRIDERICUS: Profecto [10]) coelestes conversiones inter se contrariae ac trepidante motu retinentur, et contraria Martis et Saturni vis moderata Jovis luce intermedia temperatur.

SENAMUS: Qui fit igitur, ut temperamentum illud salutare aliquo [11]) semper impedimento conturbari videamus, valetudinem inquam morbis, voluptatem dolore, quietem animorum perturbatione?

CURTIUS: Illud impedimentum non minus utile est, quam in civitate lacuna qua sordes excipiantur. Nec minus rubeta est [12]) necessaria in hortis aut aranea in aedibus ad venena ubique [13]) colligenda, quam carnifex in republica. Quin etiam summa illa suavitas concentus, quam modo avidissime [14]) hausimus, non tamen jucunda exstitisset, nisi dissonum aliquid ac durum auribus delicatis musicus artificiosissime prius adhibuisset, quoniam voluptatis ea vis est, ut non modo sine antecedente dolore non percipiatur, verum etiam fastidium pariat, diutius continuata. Hanc rerum [15]) omnium contrarietatem, ab immortali Deo mirabili sapientia temperatam, his versibus studimus imitari:

Creator orbis omnium ter maxime,
Ter optime coeli parens,
Qui mundi temperas vicissitudines,
Dans justa rebus pondera,
Et qui metiris singula suis modis
Numero, ratione, tempore,
Qui vinculo non dissolubili duas
Ubicunque res contrarias
Connectis admirabili prudentia,
Salutes singulis parans,

---

1) In uno codice ad marginem: vox gratissima. 2) Alius: et. 3) Desunt haec septem antecedentia verba in alio codice. 4) Alius: gravissimus. 5) Desunt haec sequentia quinque verba in alio codice. 6) Alibi: ipsa. 7) Alibi: concordantiam. 8) Alius: periret. 9) Deest in alio codice. 10) Alius codex habet: Profecto in coelestibus etiam conversionibus Martis et Saturni vis moderata etc. 11) Alius: alieno. 12) Alibi: sunt. 13) Alius: undique. 14) Alius: suavissime. 15) Alius: vero.

Qui discrepantibus sonis ac vocibus
  Melodiam contemperans,
Sed eruditis [1]) auribus gratissimam,
  Mederis aegritudini,
Qui fervidis admicuisti frigida,
  Et aridis humentia [2]),
Acerba lenioribus, doloribus
  Suavitatem proximam,
Tenebras lumini, quietem motui,
  Adversa rebus prosperis,
Qui siderum coelestium cursus ratos
  Ab ortu versus occidens,
Ab occidente versus ortum dirigis,
  Contrariis moventibus,
Qui jungis antipathiam consensui,
  Amica [3]) tetris hostibus:
Haec hujus[4]) orbis maxima[5]) concordia
  Discors salutem continet.

TORALBA: At ne in republica quidem virorum illustrium justitia, integritas aut virtus ulla perciperetur, ni flagitiosi aliquot bonis confusi, sani furiosis, fortes ignavis, divites egentibus, nobilibus infames, iisdem moenibus ac tectis continerentur, modo mala, si tamen usquam sunt, bonis imbecilliora sint. Quin etiam hae disputationes, quas instituit Coronaeus, nullam utilitatem aut voluptatem allaturae essent, nisi contrariis argumentis ac rationibus splendescerent.

SENAMUS: Non intelligo, quam ob rem civitas non sit beatior futura, quae omnes improbos exegerit, quam quae sceleratos aliquot [6]) restare velit [7])? aut cur [8]) isto modo discordia concors esse possit, cum nullum ad civium et amicorum concordiam sempiternam vinculum arctius esse queat, quam in caritate mutua rerum divinarum ac humanarum summa consensio et voluntas.

CURTIUS; Ista quidem est ficta verbis M. Tullii [9]) sententia, quam suis ipsis factis oppugnavit, ut minus quaerendum sit, quid sentiat, cum appareat, quid fecerit. Quis [10]) enim Epicuraeos magis coluit, quam Atticus? Cui tamen mortalium Cicero magis amicus, quam Attico, extitit unquam? At nihilominus Cicero sectam Academicorum secutus est, quamdiu vixit, Epicuraeos scriptis omnibus [11]) lacerans, quia nihil difficilius est, quam de sceleratis loquentem abstinere maledicto, ut Theophrastus dicere solebat.

---

1) Alius: crudis. 2) Alius: humectantia. 3) Alius: Animam. 4) Deest in aliis codicibus. 5) Alibi: maximi. 6) Alibi: aliquos. 7) Alius: voluit. 8) Alibi: an. 9) In libro de amicitia. 10) Alius: Quis enim Epicurum calluit, quam etc. 11) Alibi: omnes scriptis.

TORALBA: Pugnabant[1]) quidem Academicorum, Stoicorum, Peripateticorum, Epicuraeorum ac Cynicorum sectae, concordiam tamen in eadem civitate facile tuebantur, quia contrariae sectae Epicureorum et Stoicorum mediis ordinibus interjectis Academicorum et Peripateticorum quasi vinculis quibusdam conjungebantur, alioqui si unum uni contrarium nullo interjecto medio copuletur, pugna quaedam perpetua futura[2]) sit oportet.

FRIDERICUS: Res omnium mihi difficillima visa est semper[3]), in tanta opinionum inter se de rebus humanis ac divinis dissidentium varietate amicitiam colere aut concordiam tueri.

CURTIUS: Aliud est amicitiam colere, aliud concordiam tueri. Nam ut singularum rerum discrepantiae ad unius universitatis concentum conspirant, ita quoque singulorum civium inimicitiae universorum concordiam alunt. Nec Romana civitas tam floruit, quam cum patricii plebejis, furor tribunitius obsisteret libidini consulari[4]). Ob id enim M. Cato Censorius jurgia inter servos et dissidia inter magistratus serere solebat, ne improba conspirationis fide vel consensu alteri rem privatam, alteri rem publicam depecularentur. Nec aliter Lycurgus[5]) faciendum decrevit, cum magistratus ac legatos ad eadem munera[6]) accerseret, quos intestinis odiis dissidere intelligebat.

CORONAEUS: Id quidem in hac republica non gravate admittimus, si[7]) plures sunt ejusdem curationis et muneris collegae. Nam tertius duos discrepantes inter se ad concordiam cogit, cum alteri sese conjunxerit. Alioqui periculosum mihi videtur, duobus adversariis eandem committere curationem. Quamdiu enim M. Crassus vixit, nulla fuit Pompejum inter et Caesarem discrepantia voluntatum, quoniam Crassus Caesarem Pompejo quasi media vox facile conciliabat; sed[8]), Crasso in Chaldaea caeso, ad arma civilia concursum est a duobus, non secus[9]) ac, M. Lepido de culmine triumvirali dejecto, secutum est civile bellum inter Antonium et Augustum.

SALOMO: Istud quidem assentior in optimatum et populari civitate, sed in regio dominatu nihil vetat duos adversarios in eodem magistratu conjungere[10]), quoniam regia potestate facile coguntur, ut Alexander M. Hephaestionem Cratero nutu solo conciliavit. Id autem in ipsa natura magis perspicuum fit, quae ipsa antiquissimum est reipublicae bene constitutae exemplar, non modo elementa contraria, sed etiam sidera ipsa, atque adeo angelorum dominationes unius divinae majestatis potestate cohiberi. Itaque Deus solus dicitur pacem in sedibus excelsis conciliare.

SENAMUS: Etiamne inter angelos bella civilia geruntur?

SALOMO: Ego mundum intelligibilem seu angelicum solo Dei nutu, coelestem ab angelico, elementarem a coelesti gubernari et superiora infe-

1) Alibi: pugnant. 2) Deest alibi. 3) Deest in aliis. 4) Plutarchus in Catone. 5) Plutarchus in Lycurgo. 6) Alibi: munia. 7) Alibi: sed. 8) Desunt haec quindecim verba in alio codice. 9) Alibi: aliter. 10) Alibi: conjugare.

riorum exemplaria esse statuo. Quod si virtutis certamen[1]) saepe inter optimos duces ac magistratus existit, si elementa inter se pugnant, si coelestium siderum contrarios motus videmus, quis dubitet inter angelos etiam intercedere contentiones? Huc etiam pertinet illa vox angeli ad Danielem[2]): Princeps regni Persici restitit mihi dies viginti, sed Michael inter principes mihi praesto fuit. Ita illa Dei vox ad Pharaonem, quam secretiori sensu daemonum[3]) principem significare[4]) diximus[5]): Excitavi ego te, ut exercerem potestatem meam, ut nominis mei fama toto terrarum orbe disseminaretur[6]). Igitur inter angelos non nisi virtutum et illustrium animorum certamen existit: inter homines rarius[7]) virtutes[8]) cum virtutibus, saepe[9]) vitia cum virtutibus, etiam vitia cum vitiis, opinio cum opinione, pietas cum impietate, religio cum superstitione et religione, saepissime tamen cum superstitione superstitio ipsa[10]) certat.

FRIDERICUS: Profecto[11]) mirum saepe mihi visum est, in tanta sectarum varietate et multitudine, quantam Epiphanius et Tertullianus commemorant, i. e. amplius 120 (quanquam Themistius amplius[12]) 250 exstitisse tradit) civitatum concordiam ullam[13]) existere potuisse, cum hac aetate pro duarum religionum inter Christianos discrepantia tot tantaque bella, tot civitatum eversiones sequantur.

CURTIUS: Nihil in republica perniciosius est, quam cives in duas factiones scindi[14]), sive de legibus sive de honoribus sive de religione disputetur, at si plures sint[15]) factiones, nihil est a bello civili metuendum, cum alii aliis, quasi mediis vocibus intercedentibus, stabilem civitatis[16]) concentum et harmoniam tueantur.

TORALBA: Haec quidem ratio est a musicis modulationibus aptissime quaesita. Naturalis vero subtilior[17]) est, quia scilicet unum uni tantum, plura eidem contraria per naturam esse non possunt.

OCTAVIUS: Ob id, opinor, Turcarum et Persarum reges omne genus religionum in civitatem admittunt ac mirabili concordia cives omnes ac peregrinos, inter se religionibus discrepantes[18]) et cum republica, conciliant.

FRIDERICUS: Ego nihil optabilius maximis imperiis ac civitatibus contingere posse puto, quam ut eisdem sacris et eodem numinis cultu cives omnes conjungantur. Nec ulla re laudabilior fuit Aratus[19]), quam quod Achaeorum societatem[20]), quae trecentas amplius urbes complexa continebat, iisdem legibus, iisdem religionibus, iisdem institutis, eodem cultu, eadem juris-

---

1) Alius: examen. 2) Danielis 10, 13. 3) Alibi: daemoniorum. 4) Alius: qua ..... significari. 5) Exod. 9, 15. Rom. 9, 17. 6) Alius: dissiparetur. 7) Alius: varias. 8) Alius addit: vero. 9) Alibi: saepius etiam. 10) Alius: haec ipsa. 11) Deest alibi. 12) Alius: plures. 13) Alibi: unquam. 14) Desunt haec sedecim sequentia verba in aliis codicibus. 15) Alibi: sunt. 16) Alibi: civitatum. 17) Alius: sublimior. 18) Alius: discrepantibus. 19) Alii: Nec ulla res laudabilior fuit Arato. 20) Polybius l. IV. Plutarchus in Arato.

dictione, iisdem ponderibus, iisdem mensuris sic assueverat [1]), ut nihil aliud restaret, quam tot urbes iisdem moenibus [2]) cingi. Atque illud est, opinor, stabile fundamentum amicitiae, quam Tullius in summa rerum divinarum et humanarum consensione collocavit.

OCTAVIUS: An tibi videtur, Friderice, in una et eadem religione Achaeos conspirare potuisse, qui triginta sex millia [3]) Deorum colebant [4])? num etiam, sacra Bacchanalia cum Eleusiniorum sacris convenire potuisse?

CORONAEUS: Illud quidem optare potius et ab immortali Deo precari quam sperare debemus, ut una sit et eadem civium unio, una etiam mortalium omnium de rebus divinis consensio [5]), una religio modo vera.

SALOMO: Ne [6]) religio quidem sit, nisi veram esse dabimus. Quoniam religionum duces ac pontifices, quos veteres Graeci μυσταγωγοὺς appellant, tantis inter se dissidiis pugnant, ut nemo constituere possit, quae ex omnibus vera sit, num praestabilius est, omnes omnium religiones in civitatem publice admitti, ut in imperiis maximis Turcarum et Persarum videmus, quam ullam excludere? Nam si quaerimus, quid sit, quam ob rem Graeci, Latini, Barbari nullam de religionibus controversiam olim habuerint, non aliam comperiemus rationem, opinor, quam omnium in omnibus religionibus conspirationem et consensum.

SALOMO: Excipiendi sunt Ebraei, qui ab omnibus populis quodammodo segregati Deum aeternum soli adorabant, caetera numina exsecrabantur. Item Chaldaei omnia templa Deorum funditus evertebant, quod impium judicarent, Deos templorum angustiis concludere velle.

SENAMUS: At Ebraei paene soli ex omnibus populis civitatum et imperiorum concordiam mihi conturbasse videntur. Nam cum Antiochus Nobilis, Hierosolyma expugnata, Diis sacra faceret, Judaei principem exsecrabantur. At ille ira accensus, quod se impium judicarent, ad sacra Deorum gentilium [7]), acerbissimis propositis suppliciis, Judaeos adegit. Inde finitimarum [8]) gentium tanta odia in seipsos excitarunt, ut ad unius gentis internecionem omnes conjurasse viderentur. Scribit enim Celsus [9]), Christianos ac Judaeos, de suis Diis nimis arroganter statuentes, omnia populorum numina contemsisse.

FRIDERICUS: Qui religionum discrepantium varietatem admittit, verae religionis eversionem moliri videtur. Et quidem apposite Proclus scribit: ἀπειρίαν ἀναιρεῖν τὸν ϑεόν, καὶ πολυϑεότητα nihil ἀπὸ τῆς ἀϑεότητος differre. Quis enim simul Deum ac daemonem colere possit, cum alter alteri tam contrarius sit?

---

1) Alibi: assuefecerat vel: assuefaceret. 2) Alii: tot vites iisdem moventibus. 3) Alii: tres mille sexcentos. 4) Alius: celebrabant. 5) Alius: assensio. 6) Alibi: Nec. 7) Alibi: gentium. 8) Alibi: finiti more. 9) Origenes lib. III. contra Celsum.

SENAMUS: Superius Toralba demonstravit, Deo nihil contrarium esse posse, quia etiam daemones sunt ministri obsequentissimi divinae majestatis. Quid enim [1]) vetat, servum non quidem ut dominum, sed ut domini legatum aut nuncium revereri? Quid item vetat [2]), duo [3]) numina alterum quidem ne noceat, alterum ut prosit, obsecrari [4])? Ob id enim Opuntii duos pontifices habuere, quorum alter Diis, alter daemonibus sacrificabat [5]). Nec Romani beneficos tantum Deos, Jovem inquam, Martem, Dianam, sed etiam eos qui nocere dicebantur, puta Robigum [6]), Febrim, Paventiam, Occasionem, Invidiam ceterosque Deos averruncatores sive ἀλεξικακοὺς summa veneratione prosequebantur.

SALOMO: Hic certe Graecorum et Latinorum prudentiam desidero; quos enim Deos mares Graeci φθόνον, καίρον, φόβον statuere, Latini sexu et habitu foemineo Deas fecerunt, scilicet Invidiam, Occasionem, Paventiam. At lege divina nihil sanctius cautum videmus, quam ne Deos peregrinos metuamus, cum nec obesse cuiquam nec prodesse queant, ac propterea saepissime legimus [7]), nullam mortalibus nisi ab uno immortali Deo calamitatem impendere.

SENAMUS: In tanta religionum quas videmus multitudine alterum fieri potest, ut earum nulla, alterum non potest, ut earum plus quam una vera sit; ac usquequaque pontificibus omnium religionum capitali odio inter se discrepantibus, tutius est omnes admittere, quam de multis unam, quae forsitan falsa sit, optare aut eam, quae omnium verissima sit, excludere velle.

OCTAVIUS: At nec [8]) principibus nec magistratibus tutum est, religiones diuturno consensu receptas et quae radices altius egerunt, evellere [9]) conari. Nam cum Thomas [10]) et Constantinus VI., uterque Graecorum imperator, statuas de templis omnibus praecipiter deturbarent, crudelissime caesi sunt, alter a matre, alter a populo in ipso Sophiae templo. Itaque Valens, Theodosius M., Valentinianus, Jovianus, Theodoricus Arianorum sectam longe lateque fusam prohibere non modo noluerunt, verum etiam edictis publicis permiserunt.

FRIDERICUS: Si [11]) sanctis Romanorum aedilibus datum negotium est, ne quae religio peregrina in urbem admitteretur, neu qui Dii alio quam patrio modo colerentur, quanto diligentius id a Christianis principibus curari oportet?

SENAMUS: At ne Romani quidem suorum edictorum constantiam tueri potuerunt, cum sacra Isidis, Osiridis, Annubis, Apis, Aesculapii, Cybeles matris Deorum in urbem reciperent. Ac postremo M. Agrippa templum a se

1) Alius: autem. 2) Alibi: vetet. 3) Alibi: Deo, vel: dico. 4) Alibi: obsecrare, vel: observare. 5) Plutarchus in apophthegm. — Alii legunt: sacrificaret. 6) Alibi: Rubiginem. 7) Genes. 35. Proverb. 29. Exod. 20. Judic. 10. Deuter. 10 et 32. 3 Regum 9 et 21. Jesaiae 48. Jerem. 11. Amos 8. Jon. 3. Mich. 1. Baruch. 1. 8) Ac ne. 9) Alibi: convellere. 10) Alii: Themas. 11) Additur alibi: veteri, vel: veterum.

constructum, quod omnium Deorum numinibus consecrarat, πάνθεον appellavit. Quod quidem unum ex omnibus antiquorum fanis Romae reliquum esse videmus, a Bonifacio III. Pontifice Maximo Divis omnibus consecratum. Ita quoque Athenienses aras frequentes ἀγνώστων θεῶν habuere, ut Pausanias in Atticis et Paulus [1]) ipse in concione ad populum Atheniensem comprobavit, ut vero Deo, quem ignorabant, quoquo modo sacra fierent. Sic enim veteres illi statuebant, mundum hunc Deorum plenissimum esse, cum locis omnibus admiranda numina divinitatis contuerentur, ut non dubitarent exclamare: Jovis omnia plena! et quidem pleni sunt coeli, plena est terra majestatis gloriae divinae. Quum enim Seneca [2]) quaereret: quid est Deus? Totum quod vides et quod non vides. Plinius [3]) vero mundum ipsum universum appellat numen aeternum; ob id enim existimo priscos illos homines, cum virtutibus templa dicarent, justitiae [4]) inquam, fortitudini [5]), paci [6]), spei [7]), fidei [8]), pudicitiae [9]), concordiae [10]), saluti [11]), pietati [12]), honori [13]), veritati [14]), providentiae [15]), menti [16]), clementiae [17]), misericordiae [18]), felicitati [19]), liberalitati [20]), famae [21]), aeternitati [22]), virtutes immortalis Dei mortalibus ubique ad intuendum ac imitandum proposuisse, ut a vitiis declinarent.

CURTIUS: Argute quidem Senamus, sed cur vitia superiora [23]) pro Diis habuerunt? Cur pecuniae templum, cur edusae vel eduliae, cur potanae, volupiae [24]), libertinae [25]), Veneri, Priapo, nisi ut eduliis, potibus, voluptate, libidine, stupris, majore licentia, quasi Diis concedentibus, abuterentur? Omitto febrim, furinam, lavernam, risum, luxuriam, impudentiam ac teterrimi foetoris Deam Memphitim. Praetermitto Deos omnium aedium partibus ac locis constitutos [26]). Praeterea Joves trecentos, qui nomina pro cujuscunque voluntate sortiebantur, et innumerabilium Deorum populos ad serpentes usque, quos omnes Deos Deasque M. Agrippa una conclusit et eadem aede.

SALOMO: Praestabilius fuisset, Deum aeternum ab illa Deorum inanium societate longissime segregare, quam illis [27]) aggregare. Quid enim aliud est, quam sacratissima quaeque profanis conspurcare? Ob id enim populus Dei, in terram sanctiorem [28]) quasi in bonorum possessionem secundum divinas tabulas missus, omnium inanium ac fictilium [29]) Deorum fana, statuas,

---

1) Actorum XVII. 2) Lib. 1. quaest. natur. 3) Hist. natur. l. 2, c. 1. 4) Pollux voce δίκη. Chrysippus in libro περὶ κάλλους. 5) Plutarchus in quaest. 6) Plinius, Seneca, Plutarchus in Timone. 7) Livius lib. 1 et 4. dec. 3. 8) Plinius lib. 35. Cicero de officiis. 9) Festus in verbo Pudicitia. 10) Augustinus l. 5. de civ. Dei. 11) Livius l. X. 12) Plinius 7, 36. 13) Plutarchus in quaest. 14) Idem ib. 12. 15) Cicero de natura Deorum l. 2. 16) Ovidius in Fastis. 17) Plutarchus in Caesare. 18) Pausanias in Atticis. 19) Plinius l. 35. 20) Diogen. l. 3. 21) Pausanias in Atticis. 22) Augustinus l. 6 de civ. Dei. 23) Alii: superi omnia. 24) Alius: voluptati. 25) Alius: libertati. 26) Alii: consecratos. 27) Alibi: illi. 28) Alibi: sanctorum. 29) Alii: fictitiorum vel: futilium.

altaria, lucos, solo aequare jussus est. At [1]) ne arcam quidem foederis Deus ipse passus est Dagonis statuae contagione contaminari, sed bis dejectam [2]) et confractam statuam sacerdotes Palaestinae viderunt, cum proxime arcam collocassent.

CURTIUS: Profecto et hi et M. Agrippa jura sacrorum violabant, neque enim fas erat, duobus Diis idem fanum consecrare. Nam cum M. Marcellus templum Honori simul et Virtuti dedicasset, Romanorum pontifices intercesserunt, ne sacra utriusquo Dei confunderentur. Itaque templum illud medio pariete dividi jusserunt, sic tamen, ut non ante pateret ad templum Honoris aditus, nisi patefacta Virtutis porta [3]); quanto minus id ferendum est in aeterni Dei cultu!

OCTAVIUS: Sacrorum quidem confusionem abhorrere debemus, sed Turcarum et Persarum atque adeo superioris Asiae et Africae reges ab Homaro II., Homari I. pontificis maximi inter Ismaëlitas legato, tum etiam ab Helthero [4]) clarissimo theologo sic instituti ac imbuti sunt, ut homines omnes immortali Deo gratos fore arbitrarentur, si pura mente suum quisque numen revereatur [5]), tametsi qualem Deum habere oporteat, penitus ignoret: quoniam rerum omnium agendarum fontem judicant in voluntatis impetu ac mente ipsa collocari oportere, cujus integritatem ac puritatem Deus aequissimus semper intueatur. In qua sententia video fuisse non modo [6]) Ismaëlitarum, sed etiam Christianorum theologos. Sic enim Thomas Aquinas [7]): Quando, inquit, ratio errans statuit aliquid ut praeceptum Dei, tunc perinde est contemnere dictamen rationis ac Dei jussa; quod ante D. Augustinus [8]) confirmarat.

CURTIUS: Assentior illud quidem, tantam esse vim in ipsa voluntate ad hominum actiones dijudicandas, ut qui, quem nollet, occidit, sit illius [9]) caedis innocens et qui, quem conatus est, occidere non potuit, ut sicarius teneatur. Num tamen propterea judicabimus, omnes actiones, quae a recta sinceraque voluntate proficiscantur, rectas esse? Profecto verae pietatis ac impietatis perturbatio summa sequeretur.

SENAMUS: Num vobis videtur Scaevola, qui Porsennam regem interficere conatus legatum ejus interemit, proinde teneri ac si regem interfecisset?

CURTIUS [10]): Id quidem nemini dubium est.

SENAMUS: Quis igitur dubitet, Scaevolam si regios honores bona fide legato quasi regi et quidem eo spectante exhibuisset, eadem praemia meruisse, ac si in regem ipsum contulisset? Idem si quis faciat erga Dei legatos ac nuncios, ut quos creatori debuit.

---

1) Alibi: Ac. 2) Alius: disjectam. 3) Alius: nisi per patefactas Virtutis portas. 4) Alius: Helhari. 5) Alibi: revereretur. 6) Alibi: modo. 7) Lib. II. quaest. 19 ad art. 5. 8) In libro retractationum. 9) Alius: ille. 10) Deest haec Curtii et Senami utraque interlocutio in aliis codicibus.

CURTIUS: Ita quidem si justam erroris causam habuisset.

SENAMUS: Idem si faciat erga Dei legatos ac nuncios, quosque creatori debuit honores, ad servum ipsius (errore non simulato) detulerit, cur non in eadem causa sit et idem [1]) praemium mereatur, ac si Deo immortali detulisset [2])? Legimus, Aegyptias obstetrices amplissima praemia tulisse, cum crudelia [3]) Pharaonis jussa mendacio salutari elusissent, quia Deum metuerant [4]). At non alium Deum metuebant aut colebant, quam Apim bovem, cujus ne Israëlitae quidem lata lege oblivisci potuerant. Nam cum Pharao juberet, Israëlitas Deum suum in Aegypto colere, illud reposuit Moses: Non posse illic sacra fieri Deo, quem Aegyptii exsecrabantur, ac periculum impendere Israëlitis, ne ab Aegyptiis lapidibus obruerentur. Deus igitur misertus est obstetricum, quae bovem adorabant.

SALOMO: Aliud est, recte factis praemia tribuere, aliud, errore admissa peccata excusare. Nam qui Deum colit, huic praemia tribuuntur, tametsi officio nulla merces debeatur. Qui vero solem adorat, justo ducitur errore (si justus error esse potest [5])) in ea causa esse [6]), ut non modo veniat excusandus, sed etiam praemia mereatur, quoniam erga Deum voluisse sat est, ut praemia consequaris [7]), tametsi quod velles praestare non potueris. Rectam igitur voluntatem ac numinis metum Deus optimus remuneratur, non propterea [8]) tamen recte fecisse dicitur [9]), qui statuam colit, quoniam pietas gentium non [10]) impietas erga Deum, ut sapienter Salomo scribit. Neque vero Ismaëlitae, qui omnes omnium religiones in civitatem distinctis [11]) templis admittunt, propterea suam deserunt nec sine impietate quisquam pluribus religionibus inter se discrepantibus uti potest.

SENAMUS: Alexander Severus fortissimus imperator ac religiosissimus fuisse dicitur. Is tamen Abrahamum, Orpheum, Herculem, Christum in Lario pro Diis Penatibus colebat et quidem bona fide, cum [12]) summam integritatis laudem omnium scriptorum judicio tulerit. Cum igitur Judaeos, paganos et Christianos de summa religionis dissidere perciperet, maluit omnes omnium religiones amplecti, quam repudians ad numinis contemptum quemquam excitare atque ista ratione non modo singulos, sed universos inter se cum republica summa pietatis ac caritatis consensione conjunxit.

CURTIUS: Ista quidem integritatis ac prudentiae laus est, non pietatis, sine qua tamen nullus virtutibus locus esse potest.

OCTAVIUS: Si nullus virtuti sine vera religione locus esset, cur Jonas legatus a Deo missus ad Ninivitas veram religionem non promulgare nisus est [13])? Neque enim siderum ac statuarum cultum deserere jussit, aut leges divinas rejectis idolis amplecti, sed excidium tantae civitatis brevi futurum.

---

1) Alius: quidem. 2) Alibi: decrevisset. 3) Alibi: crudelis. 4) Alius: metuerunt. 5) Alius: possit. 6) Alibi: est. 7) Alius: consequatur. 8) Deest in alio codice. 9) Alibi: dicetur. 10) Alii: est. 11) Alibi: discretis. 12) Alibi: nec. 13) Alius: pervulgare visus est.

Qua voce principes [1]) ac magistratus perterriti jejunia, supplicationes, poenitentiam indixerunt. Et vidit Deus, inquit propheta [2]), quod a flagitiis abstinerent et misertus est illorum, ne calamitatem, quam decreverat, inferret. Illud etiam animadversione dignum, quod princeps edicto rationem subjiciens: Quis, inquit, affirmare audeat, num [3]) Deus nostri miserturus sit? At pro Deo Mithram sive Bahalem colebant, Deum tamen aeternum flexerunt [4]).

FRIDERICUS: Poenitentia quidem scelerum praeteritorum ac jejuniis propitium habuere [5]) creatorem, non cultu Solis.

SENAMUS: Nisi gentium sacra aeterno Deo grata fuissent, cur neglectis sacris frugum calamitate, morbis popularibus, bellorum offensionibus populi conflictarentur? Cur item eos, qui summa sollicitudine [6]) sacra Deorum procurarent [7]), qui [8]) mortuos homines ac statuas colerent, videmus imperiis, honoribus, victoriis, summa rerum omnium affluentia fuisse cumulatos? Et quidem Polybius [9]) scribit, Romanorum imperium nulla re magis quam religione crevisse. Quod M. Tullius diserte affirmans: Majores, inquit, nostri nec robore Gallos, nec multitudine Hispanos, nec artibus Graecos, nec calliditate Poenos, nec sensu naturali [10]) Italos, sed religionis ac Deorum metu freti ac sacrorum cultu superarunt. Quid Papinianus, Deus Jurisconsultorum: Summa ratio est, inquit, quae pro religione facit, quae Deorum sacra, cum fieri desiissent, exoriente religione Christiana, civitates ac respublicas toto terrarum orbe ingentibus calamitatibus conflictari coeperunt, ut Graecos et Latinos acerbissimas querelas numini [11]) Christiano objecisse scribat [12]) Justinus. Quam quidem criminationem ut dilueret Augustinus, libros de civitate Dei scripsisse fertur, non aliam ob causam, quam ut a gravi illa [13]) contumelia sive vera sive falsa Christianos vindicaret, quibus Deorum omnium contemtus objiciebatur.

SALOMO: Eadem haec fuit Israëlitarum, qui duce Jeroboamo aeterni Dei cultum deseruerant, querela: Ex quo sideribus ac coelestibus illis luminibus sacra facere destitimus, ab omni felicitate deserti, calamitates ac miserias ingentes pertulimus. Gravius etiam argumentum est, quod qui sacra Deorum diripuerant, calamitosos exitus semper habuerunt. Neque enim solus Luc. Flaccus, Antiochus Nobilis, Menelaus, M. Crassus, Herodes, Gabinius, qui sacratum aeterno Deo Hierosolymis aurum expilaverat, sed etiam Q. Caepio [14]) consul, Brennus, sacrilegi Phocenses, Achas caeterique, qui templa daemonum diripuere, funestissimis casibus perierunt. Inde aurum Tholosanum veterum [15]) proverbio usurpatum.

---

1) Alibi: princeps. 2) Jonas 3, 10. 3) Alibi: quin. 4) Alibi: flexerint. 5) Alius: habuerant. 6) Alii: solitudine. 7) Alibi: provocarent. 8) Desunt haec sex sequentia verba in alio codice. 9) Libro 6 de milit. ac domest. Rom. disciplina. 10) Alius: nativo. 11) Alius: nomini. 12) Alius: scribit. 13) Alius: ista. 14) Alibi: Scipio. 15) Alius: veteribus.

SENAMUS: Lege divina [1]) sanctissime cavetur, ne quicquam idolis dicatum detrahatur [2]), capitali poena subjecta, vel quia idolo quasi vero Deo sacratum sit, vel quia daemones ultores res suas a furibus ubique [3]) vindicant et condicunt, vel quia idolorum furtum faciunt interdum ut pro Diis laribus colantur [4]).

OCTAVIUS: Ego quidem sic statuo, eum qui et [5]) veram religionem et falsa numina, quae pro veris habentur [6]), contemnit, summa impietate obligari, qualem fuisse accepimus Caligulam Augustum [7]), qui Jovi statori contumelias [8]) in aurem insusurrabat. Idem tamen, cum tonaret, antra metu perterritus subire solebat, et cum Vestae simulacrum deosculandum posceret [9]), ad terram [10]) allidebat.

FRIDERICUS: Id quidem usitatum est sortilegis omnibus, qui [11]) hostias exadoratas [12]) verbis ritualibus proculcant aut rubetas eo cibo pascunt aut imagines Christi sagittis feriunt, quasi Deum, quem etiam Deum esse arbitrantur, violaturi, idque se facere ac fecisse confitentur, a daemonibus persuasi. Nec daemones id suaderent, nisi plane intelligerent, sortilegos arbitrari, hostias illas Deos esse [13]).

SENAMUS: Quis igitur dubitet, etiam Deo gratam esse religionem paganorum, cujus contemtum daemones ipsi suadere et omnium religionum eversionem moliri conantur [14])?

CORONAEUS: Illud omnibus persuasum esse opinor [15]), multo praestabilius esse falsam, quam nullam habere religionem, ut in omnibus rerum publicarum gentibus nullum perniciosius est ἀναρχία, in qua nemo imperat, nemo paret, nulla praemia bonis, nulla supplicia peccatis [16]) irrogantur. Sic nulla est tanta superstitio, quae metu divini numinis improbos in officio continere et naturae lege quodammodo tueri [17]) non possit, cum praemia bonis, supplicia peccatis irrogari divino judicio persuasum habeant. Et in eo quidem capite [18]) Epicurus inexpiabile scelus admisit, quod omnem divini numinis metum radicitus evellere conatus, ad peccandi licentiam aditus omnes aperire videatur. Itaque Narsingarum [19]) Indiae pontifices Deorum ac daemonum statuas aspectu terribiles ac monstrosissimas in templis collocare solent, ut modis omnibus improbi ab injuriosa facinorosaque vita numinis terrore prohibeantur.

FRIDERICUS: Si demus, eos qui falsam religionem colunt, justo errore excusari, quisnam [20]) erroris justam causam impietati obtendere [21]) jure

---

1) Deuteron. 7. Levitic. 27. Josuae 7. 2) Alibi: distrahatur. 3) Deest in alio codice; alii legunt: sibi. 4) Genes. 31. Judic. 19. 5) Alii: nec. 6) Alius: habet. 7) Suetonius in Caligula. 8) Alibi: contumeliam. 9) Alibi: peteret. 10) Alius: solum. 11) Alibi: quod. 12) Alii: exadorta, vel: consecratas, vel: exadorea. 13) Ita omnes. 14) Alius: conentur. 15) Alius: est, opinor. 16) Alibi: sceleratis. 17) Alius: continere. 18) Alii: Et quidem in eo capitalis. 19) Alii: Marsingarum. 20) Alibi: quis non. 21) Alibi: obtrudere.

queat, cum servus ignavus perinde ut conscius voluntatis, qui jussa domini non impleverit, vapulaturus sit.

SENAMUS: Ita quidem, si Lucae verbis assentiamur, sed quis adeo iniquus judex erit, tam crudelis tyrannus, qui principis edicta, quae subditis abdita fuere, violantes [1]) capite plectere velit?

CURTIUS: Si promulgatis legibus humanis omnes obligantur, nec juris ignorantia quenquam excusat [2]), quis divina lege [3]) toto terrarum orbe toties ac tam diu promulgata ignorantiam excuset?

SENAMUS: Quodsi leges legibus contrariae sunt et legumlatores legumlatoribus [4]) hostes, religio religioni, pontifices pontificibus pugnantes, quid miseri subditi facient, cum in sectas alii alias distrahantur?

TORALBA: In tanta legum ac religionum inter se dissidentium varietate statuendum [5]) est, quae sit vera religio, qua re comperta etiam illud exploratum et compertum erit, quisnam ignorantiam aut animi morbum excusare poterit [6])?

FRIDERICUS: Quis dubitet veram vel potius solam religionem esse Christianam?

OCTAVIUS: Totus fere terrarum orbis, Asia quanta est, Africa pene tota, magna pars Europae ex infinita sectarum diversitate [7]), quam quisque adamaverit, eandem omnium formosissimam [8]) ac praestantissimam esse arbitratur.

CURTIUS: Non populorum multitudine optimum religionis genus, sed veritatis ponderibus, quae Deus ipse praescripsit, exigere oportet: hominis enim proprium est opinari, Dei vero scire [9]).

CORONAEUS: Quoniam in disputationem de religionibus [10]) sensim delapsi videmur [11]), priusquam longius progrediamur, explicanda quaestio nobis est, hesterno die proposita: an scilicet viro bono de religionibus disputare liceat?

TORALBA: Mihi quidem Plato [12]) sapienter dixisse videtur: parentem universitatis invenire difficile est et cum inveneris pervulgare nefas: τὸν μὲν οὖν πατέρα τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον καὶ εὑρόντα εἰς πάντα ἀδυνατὸν λέγειν: non quia nefarium sit, ut plerique Tullium Platonis interpretem voluisse arbitrantur, sed ne minus latine redderet τὸ ἀδύνατον impossibile, ut eodem sensu Horatius: Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi finem Dî dederint, quia vulgus rerum sublimium splendorem oculis caligantibus ferre non potest, aut si quis acutius videat, nullius tamen est tanta vis eloquentiae, ut divinae majestatis arcana complectatur, sed multa peccari [13]) necesse est. Ac propterea Plato [14]), cum de angelis, quos ubi-

---

1) Alii: violenter. 2) Alius: quisquam excusatur. 3) Alibi: divinae legis ...... promulgatae. 4) Alii: legumlatorum. 5) Alibi: scrutandum. 6) Alius: possit. 7) Alibi: et infinitae sectarum varietates. 8) Alius: fortissimam. 9) Alibi: serviri. 10) Alius: religione. 11) Alibi: sumus. 12) In Timaeo. 13) Alibi: precari. 14) In Cratylo.

que Deos appellat, quaestio incidisset: Per Deos, inquit, quaestionem de Diis cohibeamus, de iis enim loqui metuo. Itaque praestabilius [1]) est, omnino tacere, quam temere de re omnium sacratissima [2]) aut non satis pro dignitate disputare.

SALOMO: Mihi quoque de religione [3]) sermonem serere, periculosum semper visum est, tum quia de Deo aliter quam pro dignitate loqui, grave scelus est, tum quia nefas est, cuiquam pietatis opinionem, qualiscunque etiam sit, eripere, aut religionem cujusquam argumentis in dubium vocare, nisi melius quiddam te [4]) persuasurum [5]) confidas. Omitto illud, quod multis exitio fuit, cum alios de suscepta religione deturbare conarentur, neque id praestare potuissent. Cujus rei cum multa sint exempla, tum vero nullum gravius, quam Flori, Judaeae praesidis, quem nostrae gentis pontifex maximus jure amicitiae cum ad unius aeterni Dei cultum pertrahere et ab inanibus idolis revocare conaretur neque id persuadere potuisset, capitales inimicitias cum potente adversario contraxit, unde gens nostra tot ac tantis bellis postea conflictari coepit, ut amissa libertate ac sedibus avorum, durissima servitute a Romanis opprimeretur.

SENAMUS: Ut religio nova melior ac verior sit vetere, non tamen evulganda mihi videtur, quia non tantum utilitatis allatura videtur nova religio, quantum ex ipsius novitatis contemtu detrahitur de pietate veteri, aut certe de mortalibus necessario numinis metu. Ut si quis aedificii sua vetustate caduci lapides angulares mutare velit, temere fecerit. Illud [6]) etiam periculosius, quod mutationem religionis sequatur [7]), fere conversio ac miserandi rerum publicarum exitus, gravissima bella, graviores etiam calamitates a popularibus morbis, a daemonum vexatione.

CORONAEUS: Haec certe mutationem religionis incommoda publica fere sequuntur, cujus rei causas non satis perspectas habeo.

OCTAVIUS: An quia vetere religione de mentibus hominum detracta et novae religionis nondum insitae [8]) contemtu homines verum inter et falsum ambigere ac pietatem omnem ex animis eruere consueverunt? Tunc enim a daemonibus exerceri ac obsideri solent.

SALOMO: In ea dubitatione nullum est efficacius amuletum, quam precibus assiduis ab immortali Deo [9]) petere, ut in rectum iter deducamur.

FRIDERICUS: Vulgo quidem colloquia de religione suscepta ac probata disputationis in modum serere, non minus periculosum, quam perniciosum, nisi quis divina potestate, ut Moses, aut armis, ut Muhammedes, plebem renitentem cogere vi possit. Sed inter eruditos privatim res divinas ingerere et explicare, fructuosissimum semper judicavi, quomodo Salomonem nostrum in eam disputationem saepe ante pertrahere sum conatus, nec potui

1) Alibi: probabilius. 2) Alius: sanctissima. 3) Alius: religionibus. 4) Alius: nisi me quiddam a te. 5) Alibi: persuasum. 6) Alibi: Id. 7) Alius: sequitur. 8) Alius: invitae. 9) Deest in alio codice.

tamen, nisi forsitan metuit, ut de suscepta religione discedere [1]) cogatur. Sic enim aspides ajunt utramque aurem obturare, quo minus magorum illecebris capiantur.

Cum ad haec Salomo vultu demisso [2]) nihil respondisset, quamquam sperabatur, TORALBA rupto silentio: Verius est, inquit, Salomonem a disputationibus de religione abhorrere, cum propter eas causas, quas aperuit, tum etiam ne vel avorum religionem ejurare videatur, si defensionem deserat, vel in offensionem cujusquam incurrat, si pertinacius illam tueri vellet [3]).

CORONAEUS: Quis in tanta voluntatum ac animorum conjunctione, quantam inter nos videmus, offensionem deserendo dare aut accipere possit? Illud quidem pro Salomone spondeo ac promitto, summam omnibus tum eruditionem, tum oblectationem sua oratione semper allaturum, nec quicquam gratius mihi futurum, quam ut inter nos summa quisque libertate de religionibus disserendo fruatur. Age igitur, Salomo, ut quae mente concepisti ac parturis, libere parias.

SALOMO: Ista quidem vis est. Nam quid refert, qua me ratione cogatis [4]), cum aut ingratus sim, si de vestra erga me benevolentia dubitem, aut iniquus, si metuam argumentorum vi de sententia cadere [5]). Sed profecto nostris legibus ac moribus de religione disputare prohibemur. Majores quidem nostri synagogas publicas ac scholas religionis instituerunt, in quibus leges divinas diserte legere atque omni aetati ac sexui interpretari solent. Etenim in majorum commentariis legimus, Hierosolymam scholas 481 olim habuisse [6]); nusquam tamen de religione disputare cuiquam licebat, ne leges divinae in dubium vocari viderentur. Nam quaecunque disputantur, in opinionem cadunt; opinio autem verum inter et falsum ambigit, dubitatio rursus impietatis opinionem parit. Et quemadmodum nihil ineptius est, quam geometros suadere aut oratorum [7]) dicendi copia [8]) demonstrare velle: ita nihil perniciosius mihi videtur, quam ea, quae omnibus demonstrationibus certiora esse debeant et quibus salutis fundamenta nitantur, dubia disputatione concutere conari. Et quidem memini legisse me in Justini Martyris dialogo cum Tryphone Judaeo, quem adeo imperitum et ineptum fingit, ut me lectionis et ineptiarum scriptoris [9]) valde pigeat (victoriam enim dialogistes, quasi miles gloriosus in theatro stans, decernit). Uno tamen loco Tryphonem seipsum objurgantem inducit, quod contra morem majorum de religione cum illo [10]) disputaret. Tibi vero, Friderice, qui me pietatis officio de sententia dimovere cupis, magnam debeo gratiam; sed cum aetas ingravescat jam mea, vix est ut a majoribus insitam mihi religionem ex animo penitus evellere possim. Ut autem vos a vestra deducam, vetant non modo

---

1) Alibi: decedere. 2) Desunt haec duo verba antecedentia in alio codice. 3) Alii: velit, vel: debeat. 4) Alius: rogatis. 5) Alius: decedere. 6) Ut scribit Optatus Afer Milevitanus lib. 3. 7) Alii: oratores. 8) Alii: cupidine. 9) Deest in alio codice. 10) Alibi: ipso.

nostrorum, sed etiam vestrorum pontificum decreta. Quis ergo disputationis fructus erit? Aut qua mente feretis, si quae sentiam, ut ratio disputandi postulat, libere dicam? Aut quo animo Deum erga me futurum sperem, si ejus oracula dissimulatione veri ejurare velim?

FRIDERICUS: Si rerum divinarum perspicua veritas tam clara tibi est, Salomo, non video, cur metuere debeas, veris ac perspicuis argumentis cedere.

SALOMO: Veritati quidem semper cessi, sed utcunque me cogatis [1]), iniquo Marte certabitur, si vobis omnibus obsistere velim. Nec acerbius quicquam mihi contingere [2]) potest, quam ut vestram in me voluntatem disputationibus patiar extenuari.

CORONAEUS: Hunc obsecro metum, mi Salomo, abjicere te velim: seu viceris seu vincare, nihil tamen de nostro singulari erga te amore detractum, etiam prae ceteris omnibus spondeo, recipio, promitto.

Hic cum haesitasset [3]) Salomo, SENAMUS eum intuens: Profecto Senensibus nostris [4]) jam pridem senatus decreto licuit Academias habere, ea tamen lege posita [5]), ne de rebus divinis ac [6]) pontificum [7]) decretis disputaretur. Quo [8]) edicto unius hominis temeritate violato et capitali poena secuta, seditiones in illa urbe ad hanc usque diem [9]) conquieverunt.

OCTAVIUS [10]): Persarum etiam ac Turcarum edictis cautum est, ne de religionibus ullae disputationes gerantur. Quod etiam reges ipsi Moscovitarum ac Germanorum principes, maximis Augustae comitiis, post exitialia diuturnaque bella edixerunt, ne Catholicos inter et Augustanae confessionis pontifices de religione disputaretur.

FRIDERICUS: Non tamen in publicis Academiarum scholis disputationes prohibentur, quae modo [11]) inter ejusdem religionis theologos haberi consueverunt.

CURTIUS: Summa certe astutia dicam, an impietate, Mahummedes cum prospiceret, suae religionis arces ac fundamenta facillime [12]) subversum iri, si admotis argumentis quasi machinis oppugnaretur, capitali poena interdixit, ne quis de legibus a se latis unquam [13]) disputaret.

OCTAVIUS: Consimile habemus Justiniani Augusti interdictum, qui vetuit de Trinitate ac fide catholica publice contendere.

SALOMO: Periculosius mihi videtur, de suscepta ac probata religione inter eos [14]), qui [15]) semel probarunt, disserere, sive publice sive privatim, quam inter eos, qui varias sectas tueri proposuerunt, quoniam pro sua quis-

---

1) Alius: utcunque cogitatis. 2) Alius: occidere. 3) Alius: haesisset. 4) Alius: Judaeis. 5) Deest in alio codice. 6) Alibi: aut. 7) Alibi: pontificis. 8) Desunt alibi sequentia haec verba usque ad finem interlocutionis. 9) Alius: ad haec usque tempora. 10) Deest tota haec Octavii interlocutio in aliis codicibus. 11) Deest in alio codice. 12) Alius: facile. 13) Alius: usquam. 14) Alibi: nos. 15) Pro his tribus verbis legit alius: inter nos, quam.

que acerrime pugnat, qui [1]) vero contra suam ipsius religionem disserit, eandem expugnare et dubitationibus propositis evertere conatur.

SENAMUS: Veteratorem quendam memini, Lugdunensium praesidem, qui cum sectas Lutheranorum inter se discrepantes per se ipsas convelli cuperet, sectarum alumnos quasi gladiatores [2]) committere solebat, ut suis se gladiis mutuo jugularent, non aliter quam [3]) antiqui Martis sacerdotes post exsecrationes [4]) legitimas, facibus ardentibus inter utrasque acies injectis, proeliandi signum dare consueverunt, iidem [5]) tamen belli periculis [6]) repente seipsos subducebant, quos propterea πυρσοφόρους appellabant. Ita pleraque bellorum incendia maxime ex illis disputationibus excitari solent [7]), ad spectaculi fructum. Id etiam [8]) fecisse videmus Julianum Augustum, cum Arianos ab exilio revocaret, ut Catholicorum vim frangeret, nec modo generi Judaeorum favebat, ut Christianorum, quos capitaliter oderat, potentiam enervaret ac debilitaret, sed etiam Jovis et Apollinis pontifices ac ritus paganorum [9]) pene antiquatos ad usum revocabat. Idem statuas Deorum cum Caesaris statua sic copulabat, ut periculum declinari non posset, dum scilicet imperatori debitus honor cum daemonum cultu conjungebatur, aut principis contemtu majestatis crimen impendebat.

TORALBA: Apposite M. Tullius [10]) illud usurpavit, impiam consuetudinem esse, de Diis disputare, sive ex animo id fiat, sive simulate, quia [11]) nunquam de tanta re simulate agendum est, multo minus joco [12]), si seriam disputationem contra quam [13]) sentias susceperis, tuae religionis eversionem moliaris necesse est.

FRIDERICUS: Quid si docendi vel discendi [14]) causa fiat?

TORALBA: Ne id quidem periculo vacat, quia religio versabitur vel in scientia, vel in opinione, vel in fide. Si [15]) in opinione religio est, ambigua illa verum inter et falsum ambigit et disputationibus iniquis ac magnis [16]) labefactatur. Si in scientia, demonstrationem esse oportet, certissimis principiis fundatam ac necessariis conclusionibus munitam. Quae autem stant [17]), ejusmodi disputationem nullam admittunt. At nemo est, opinor, qui religionis cujusque demonstrationes tradiderit, etiamsi nonnulli efficere hoc sint conati, sed frustra, quia tantum abest ut fides cum demonstratione ac scientia stare possit, ut funditus evertatur. Dicitur enim [18]) Graece scientia

---

1) Pro his septem sequentibus verbis alius legit: qui vero suam ipsius religionem deserit. 2) Duo haec verba desunt in alio codice. 3) Alibi: ac. 4) Alius: exercitationes. 5) Alibi: iisdem. 6) Legit alius: iidem in bello periculoso. 7) Alius: excitarunt. 8) Alibi: Idem. 9) Alibi: antiquorum. 10) De natura Deorum. 11) Haec sex sequentia verba omittunt alii et legunt: simulate quid agendum est. 12) Alius: jocose. 13) Alius: quem. 14) Alius: disserendi vel docendi. 15) Alius codex ita legit: Religio fit ambigua verum inter et falsum ac disputationibus magis magisque labefactatur. Si in scientia? demonstrationem subesse oportet. 16) Alius: Magis ac magis. 17) Alii: sunt. 18) Eusebius in demonstratione evangelica. Scotus in proleg. sent. qu. 45.

ἐπιστήμη, ἀπό τοῦ ἐπιστάνειν τὸν νοῦν: quia mentem huc illuc distractam sola sistere possit. Hic fidem appello theologorum more, non dialecticorum, qui argumentis necessariis ac fidem facientibus dubiam [1]) rei veritatem illustrant [2]). At theologi fidem in assensione pura, sine demonstratione, collocarunt, et quarum rerum, quamdiu hîc vivitur, fidem habemus, coelestes animae scientiam adeptae sunt. Fidem autem hujusmodi aut infusam aut labore ac studio partam fecerunt, verbi gratia ejusmodi, quae lectione aut auditione percipiatur, cum ei assentiamur, quem virum bonum et eruditum arbitramur. Quam probitatis et eruditionis opinionem si rejicimus, fides amittitur, si vero assentiri pergamus, disputatio inanis est, quia hoc vel illud credere collibuit, sive verum sive falsum. Nam qui geometrica theoremata docenti assentitur, nec tamen intelligit, fidem quidem habet, non scientiam, si [3]) vero plane intelligit, adipiscitur quidem scientiam, sed eodem momento fidem amittit. Fidem autem infusam theologi appellant virtutem theologalem, quae Deum tantum sui argumentum ac objectum habet. Ea vero [4]), fides divino munere ac concessu tributa, si tamen necessaria est et certa [5]), ut amitti nequeat, vis est, non fides. Si libera quadam assensione nititur, summae impietatis est, argumentis humanis doctrinam, quam Deus summa bonitate afflaverit, cuiquam [6]) eripere conari. Quae cum ita sint, omnino disputationibus de religione abstinere oportet.

OCTAVIUS: Florentinos accepimus in statu populari edixisse, ne de legibus semel susceptis ac probatis disputaretur, quam legem a Lycurgo olim latam meministis [7]). Quod si de legibus humanis controversias movere non licet, ne ullus ad perrumpendas [8]) leges proposita disputatione aditus aperiatur, quanto minus in legibus divinis id fieri debet, aut si privatim periculosum [9]), quanto publice periculosius.

CURTIUS: Laudabile quidem est, ex antiquissimorum prophetarum institutis a disputationibus rerum divinarum abstinere, quod [10]) de sua quemque religione interpretari oportet, nec Christianis liceat, summa suae religionis capita in dubium revocare, nec item Judaeis [11]) inter ipsos, ut nec Ismaëtis [12]) quidem inter sese. Sed Ismaëlitae hoc amplius, quod nec secum ipsi, nec cum Judaeis aut Christianis de sua religione disseri [13]) patiantur, absurde illi quidem et malitiose. Nam si vera est illorum religio sive superstitio, quo verior aut certior, eo ad persuadendum facilior, aut si tantum bonum Christianis et Judaeis communicare nolunt, illud profecto est animi invidi ac ipsa malevolentia jejuni. Sed verius est, Ismaëlitas et Judaeos a disputationibus abhorrere, quod veritatis Christianae perspicuam [14]) lucem lippis oculis intueri nequeant.

---

1) Alii: dubiae. 2) Alibi: illustrarunt. 3) Desiderantur haec septem sequentia verba in aliis codicibus. 4) Alius: porro. 5) Alibi: coacta. 6) Deest in alio codice. 7) Plutarchus in Lycurgo. 8) Alibi: corrumpendas. 9) Alibi: periculose. 10) Desunt haec septem sequentia verba in alio codice. 11) Alibi: Judaei vel: Judaeos. 12) Alibi: Ismaëlitae. 13) Alius: discerni. 14) Alibi: conspicuam.

CORONAEUS: Curtii [1]) sententia mihi probabilior fit, ne scilicet Christianis inter seipsos vel publice vel privatim de summae nostrae religionis, i. e. de fidei capitibus, contendere liceat, ne ambiguis et probabilibus argumentis huc illuc mentes distrahantur, ac variis erroribus implicentur [2]), cum [3]) tamen divinae leges [4]) omni sexui, omnibus ordinibus, omnibus aetatibus, omnibus locis ad legendum et intuendum proponantur, ut lege divina sanctissime cautum est [5]). Semper tamen licuit ac licebit, inter varias sectarum familias de optimo religionum genere disceptare ac Neophytos, Catechumenos, Energumenos, Ismaëlitas, Judaeos, Paganos et Epicureos a recta via oblique oberrantes, argumentis, auctoritate, antiquitate, eruditione, demonstrationibus perspicuis in rectam salutis viam deducere, pro ea [6]) quae homini cum homine intercedit humanitatis et caritatis conjunctione.

SENAMUS: Disputationes istas de religionibus perspicio [7]) ad nihilum recasuras. Quis enim arbiter tantae controversiae futurus est?

FRIDERICUS: Christus Deus [8])! Sic enim spopondit: Si tres in meo nomine fuerint coacti, in medio futurus sum.

SENAMUS: At hoc ipsum caput est religionis totius, quod inter Christianos et Judaeos, item inter Ismaëlitas et Christianos contravertitur: Christus sitne Deus, necne?

CURTIUS: Ad id confirmandum idoneis testibus ac tabulis uti oportet.

SENAMUS: Illud etiam ambigitur, qui testes sint idonei, quae tabulae, qui fidejussores dari [9]) possint, qui non egeant fidejussore, ut certa et minime dubia fides adhibeatur.

CORONAEUS: Ecclesia judex erit. Scitum est ac pervulgatum [10]) illud Augustini: Non crederem evangelium [11]), nisi id ipsum etiam ecclesia confirmaret.

SENAMUS: Gravior etiam controversia est, quaenam sit ecclesia vera? Judaei suam esse affirmant, Ismaëlitae infitiantur, Christianus contra sibi vindicat, pagani tota India sese antiquitate omnibus praedicant anteferri oportere. Itaque Nicolaus Cusanus Cardinalis, vir doctissimus, nihil de ecclesia christianorum sibi probandum scripsit, sed hoc, inquit, posito fundamento, quod ecclesia per unionem ad Christum constituatur, illud assumit, quod in praecipua quaestione positum est.

SALOMO: Illud quidem Christiani ac Ismaëlitae confitentur [12]), et in eo potissimum cum Ebraeis conveniunt, solam et veram Dei ecclesiam in gente Israëlitarum fuisse, quae sola toto terrarum orbe verissimum unius Dei aeterni cultum tuebatur, sola conservatrix foederis aeterni, quod Dei

---

1) Alibi: Certum. 2) Alii: impleantur. 3) Alibi: dum. 4) Alibi: divina lex ..... proponatur. 5) Deuteron. II. et III. Josua I. et XXIV. 6) Alibi: per eam ..... conjunctionem. 7) Alius: prospicio. 8) Alius minus bene: Christianis Deus! 9) Alibi: esse. 10) Alius: provulgatum. 11) Alius: evangelio. 12) Alibi: profitentur.

digito tabulis lapideis incisum est et sanguine sacratum erat, sola legis aeternae litterarumque sacratiorum custos.

FRIDERICUS: Ita vero ad Christum usque.

OCTAVIUS: Judaei aeque ac Ismaëlitae N. T. tabulas repudiant [1]) quasi a Christianis corruptas, tametsi Muhammedes evangelica testimonia citare [2]) non dubitaverit [3]), potissimum in Alcorano Elmeide et in Azora duodecima, non tamen in [4]) ea, quae in Christianorum manibus versatur.

TORALBA: Si sola scriptorum auctoritate religionis verae fundamenta nituntur, expedita res erit Pythagoraeorum, vetere decreto: αὐτὸς ἔφα. Sin ea verborum obscuritas est, ut in varios sensus trahi possit, ad arbitros, i. e. ad sapientes, res deducenda erit.

SENAMUS: Sed etiam illud dubitatur, qui sint sapientes? si enim aliorum, i. e. stultorum, judicio sapientes putantur, stulti sunt et suo judicio furiosi.

TORALBA: De sua quemque arte peritum consulere solemus, neque etiam [5]) opifices sine usu et certissimis rationibus credi sibi volunt; falli tamen possunt, si demonstratione vacant. Rerum autem divinarum fides ac constantia ab unius Dei auctoritate dependet, qui nec falli, nec fallere potest, quae quidem auctoritas omnibus omnium demonstrationibus, argumentis, tabulis ac testibus longe praeponderat.

SENAMUS: Vera profecto sit religio, quae Deum auctorem habet, necesse est, sed num hujus legis [6]) aut illius auctor sit, hoc opus, hic labor est.

SALOMO: Cum sacerdotes Apollinem [7]), quem Chaldaei Bahalem vocant, pro Deo colendo proponerent, Helias propheta coram Achabo rege periculum fieri jussit, ea conditione, ut is pro vero Deo haberetur, in cujus hostia flamma coelitus delapsa sacrificium consumsisset. Cum Apollinei pontifices Camarin [8]) ardentissimo aestatis sole preces ac vota ingemerent [9]) atque ex ipso vultu et venis cruorem elicerent [10]), Helias ironia eleganti cum altius vociferandum esse diceret, inclinante sole ad occasum ipse tribus verbis flammam de coelo detraxit, quae voracissime hostiam, altare, lapides derepente consumsit, aquas etiam in silices effusas celerrime hausit, cujus portenti spectaculo rex ipse cum populo attonitus, Deum aeternum confiteri, Helias vero 450 solis sacerdotes trucidari jussit. Paulo post imbres, quos toto triennio ac mensibus [11]) sex Helias precatione sua cohibuerat, contraria rogatione abundanter effusi sunt.

FRIDERICUS: Optarem ego nunc Heliam quendam periculum coelesti prodigio spectantibus [12]) regibus ac populis facere, quaenam ex tot ac tam multis religionibus optima sit.

---

1) Alius: rejiciunt. 2) Alibi: ciere, vel: adhibere. 3) Alius: dubitat. 4) Deest in aliis, qui loco vocis versatur legunt: versantur. 5) Alibi: enim. 6) Deest in alio codice. 7) Alii: Apollinis. 8) Ab habitu fumoso dicti. 9) Alibi: ingeminarent. 10) 1 (3) Reg. 18. 11) Alibi: et menses. 12) Alius: spectabilibus.

SALOMO: Vetabat lex divina[1]), Deum, quis aut[2]) qualis sit, experiri, nec nisi Deo jubente Helias id facturus fuisset. Nulla portenta perfidos, nulla prodigia movent sceleratos. Videtis hoc tanto ac tali prodigio Heliam nihil profecisse, nam paulo post ad cultum Bahalis relapsus est cum populo rex Achabus, Helias vero ab Isabella ad caedem designatus, nisi fuga sibi consuluisset. Nec vero usquequaque[3]) terrarum tot ac tam stupenda miracula commemorantur, quam quae universo populo Israëlis spectante facta legimus. Quae probatio verae religionis certior fieri potest?

CURTIUS: Vera religio mihi probanda videtur ecclesiae auctoritate, sacrae scripturae veritate, antiquitate ipsa, oraculis divinis, prodigiis coelestibus, rationibus perspicuis.

SALOMO: Rabbi Moses Rambam brevius rem contraxit ac tria[4]) tantum nostris credenda proponit, scilicet demonstrationem, sensum[5]) et oracula prophetarum; caetera, inquit, credi possunt, sed nulla necessitate.

SENAMUS: Si fides oraculis habetur, extat vetus oraculum Apollinis, qui, consultus de infinita religionum varietate, quaenam esset optima, respondit uno verbo: Antiquissima. Cum rursus ambigeretur, quaenam esset antiquissima, respondit: Optima.

TORALBA: Sic mihi persuasum, etiam si nullis oraculis testata res esset, optimam tamen religionem esse antiquissimam. Est enim tanta fides antiquitati[6]), ut sua se auctoritate facile sustentare possit. At novae religiones, nova sacrificia, nova sacramenta, novi ritus, novae leges, nova consilia[7]), novae ecclesiae, nova decreta, novi mores florentissimas quasque civitates funditus everterunt.

CORONAEUS: Hoc quidem grave praejudicium est pro catholica romana ecclesia adversus novae religionis creatores[8]). Quamobrem decernatur, si placet, quae sit antiquissima religio, ut[9]) etiam pateat, quae sit optima, nam altero cognito utrumque cognitum erit.

SALOMO: Ne, obsecro, pergamus eo, quo itur, sed quo eundum est. Nam divina lex[10]), quam Christiani et Israëlitae probant, sanctissime vetat, consulere daemones, aut Manium[11]) Deorum oracula exquirere, aut fidem ullam iis habere. Ob id enim Ochosiae regi aegrotanti[12]) nunciatum est ab Helia, male periturum, quod Bahalem, quem Graeci Apollinem appellant, de valetudine et salute consuluisset. Erat enim in more positum et optimis quibusque principibus consuetum, si qua de re dubitarent, aut aliquid gravius suscepturi essent, Deum consulere, quibus respondebatur in somniis et visionibus nocturnis, si prophetiae donum haberent, sin minus, per aliquem ex prophetis; si vates nullus esset, per pontificem. Propheta quidem oratione

1) Exodi 17. 1 Reg. 18. 2) Alibi: qui et. 3) Deest in alio codice. 4) Alius: duo. 5) Alius: sensuum. 6) Alii: antiquitatis. 7) Alius: concilia. 8) Alibi: creaturas. 9) Alius: vel etiam quae sit etc. 10) Deut. 18. Levit. 20. 11) Alii: inanium. 12) Alibi: agonizanti.

perspicua, quae divinitus acceperat, rogantibus respondebat, sed pontifex sacras vestes indutus ex [1]) aurea tabula, in qua duodecim gemmae [2]), duodecim tribuum insculpta nomina continebantur [3]), quid futurum esset, conjectura quadam consequebatur [4]), ex insueto gemmarum fulgore, si felicem, vel obscuritate, si miserum exitum res esset habitura, vel etiam ex eminentia litterarum, ex quibus dictum infitians vel affirmans eliciebatur. Ac propterea Balaamus [5]) vates populum Israëliticum beatum praedicavit, quod nulla daemonum aut magorum contagione violaretur, sed opportune oracula sua divinitus reddita exaudiret. Quodsi nefas est, daemonem Apollinem audire [6]), quanto sceleratius, religionis arbitrum [7]) accipere, cum omnium religionum eversionem moliatur.

SENAMUS: Imo [8]) vestram, Salomo, religionem ut optimam probavit, sic etiam [9]) de optimo religionum genere consultus respondit [10]):

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, αὔταρ Ἑβραῖοι
Αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς,

i. e. soli Chaldaei sapientiam nacti sunt, Ebraei vero Deum aeternum pie colunt. Item de Judaeorum gente [11]) consultus, ita respondit:

Ἤδε θεὸν βασιλῆα καὶ γεννητῆρα πρὸ πάντων,
Ὃν τρέμεται καὶ γαῖα καὶ οὔρανοι ἠδὲ θάλασσα,
Ταρτάριοι τὲ μυχοὶ καὶ δαίμονες ἐκφρίττουσι,

i. e. Illa Deum regem pure colit omnipotentem,
Quem mare, quem tellus ingens, quem sidera coeli,
Quem genii exhorrent, metuit quem maris [12]) abyssus.

SALOMO: Ista quidem sunt principum Christianorum seu discipulorum Christi, qui etiam genere Judaei et Judaeorum religionem vulgo profiteri putabantur [13]), inventa, ut antiquitatis speciem Christianae religioni conciliarent [14]), nec tamen, quod si [15]) mille Apollines religionem Judaeorum optimam judicarent omnium, fidem ullam haberemus.

FRIDERICUS [16]): Immo verius est, Apollinem [17]) daemonem Hebraeorum et Chaldaeorum religionem ac sapientiam simul contulisse, ut ambiguitate proposita utramque aboleret, ut non ita pridem apud Juliacenses [18]) in vico Laemi [19]) quidam maleferiatus Curio daemonem rogavit [20]), cur puellam, quam possidebat [21]), tam sollicite ad missam urgeret? an sacrificium illud salutare hominum generi arbitraretur? Huic daemon: Amplius, inquit, deliberandum mihi censeo. Nam si respondisset, salutarem esse missam, Lutherani ob id ipsum rejiciendam esse censuissent; sin rejecisset,

1) Alius: pontifex sacra veste indutus et etc. 2) Alibi: gemmis. 3) Josephus in antiqq. jud. 4) Alibi: consequentia. 5) Num. cap. 23 et seqq. 6) Alius: consulere. 7) Alius: arbitrium. 8) Alius: Hinc. 9) Alius: enim. 10) Eusebius in praepar. evang. Lactantius. Justinus Martyr. 11) Alibi: regno. 12) Alius: immanis. 13) Alius: profitebantur. 14) Alius: ostenderent. 15) Alii: nec si. 16) Deest in aliis codicibus. 17) Alibi: Apollineum. 18) Alius: Julianenses. 19) Alibi: Leoni. 20) Wierus de praestigiis. 21) Alius: obsidebat.

Catholici salutarem esse dixissent. Itaque ambiguo responso utrisque illusit. Alias idem sacrificulus daemonem rogavit, qui monachum [1]) obsidebat, quisnam esset? Sum, inquit, Matthias Durensis Abbas, nec prius obsessum dimittam, quam Trevirim profectus [2]) virginem Mariam placaverit, quod pictori statuae virginis non cumulate satisfecerit.

OCTAVIUS: Ne Apollinis oracula cum responsis obsessorum confundamus, semper existimavi, oracula Christianae religionis primordio magna sui parte a Graecis conficta, prout quisque hanc vel illam religionem probaret aut improbaret, ut contraria legimus apud Porphyrium iis, quae ab Eusebio et Lactantio commemorantur; cujusmodi est illud: rogantibus [3]), qualis futurus esset Messias, respondisse fertur Apollo: Mortalis erit secundum carnem i. e. θνητὸς ἔσται κατὰ σάρκα. Simile [4]) est etiam illud oraculum, quod Augusto patri redditum ferunt: Puer, inquit, Hebraeus Deus rex me fugere [5]) cogit [6]); quasi Suetonius, Dio, Tacitus, qui levissima quaeque Augusti somnia scriptis prodiderunt, oraculum tanti ponderis ac momenti omissuri fuissent. At etiam M. Tullius [7]), qui nascente Augusto consulatum gerebat, scribit, Apollinis oracula pridem conticuisse, ut jam nihil contemtius esset. Si tantum erat silentium Apollinis ante Tullium, qui [8]) trecentesimo [9]) post anno [10]) tot ac tam multa oracula, quae petita legimus, effudisset?

CURTIUS: Quam [11]) diuturni silentii causam Plutarchus [12]) ad interitum daemonum referendam putavit. Porphyrius vero Apollinis oraculum editum de silentii causa non ad illum Deum Hebraeum et regem, sed ad Jovem traxit: Οἴχεται, inquit, οἴχεται Ἀπόλλων ἐπὶ φλογὸς καὶ βιάζεται οὐράνιος φῶς Ζεῦς ἐστί. Quis autem, nisi plane demens, foeminam a daemone obsessam ore furente ac rabie spumante, ut Plutarchus, Heraclitus ac Basilius scripsere, ambigua voce balbutientem de futuris rogare velit? saepius enim aures foeminarum pudendis admovere oportebat, ut responsa audirentur; cujusmodi [13]) sagam Coelius Rhodiginus in oppido Rhegio se scripsit vidisse, quae pudendis obloquebatur, de praeteritis quidem perspicue, de futuris obscurissime respondebat. Eo tamen erupit amentiae [14]), ut talium sagarum responsa pro divinis oraculis venditarent [15]) non modo imperiti homines, verum etiam ipsi, qui summam eruditionis ac sapientiae opinionem de se ipsis excitarant, Justinus, inquam, Eusebius, Lactantius, Porphyrius. Credite, inquit Justinus, credite vetustissimae Erythreae Sibyllae, cujus libros toto terrarum orbe servari contigit [16]). Quin etiam Sibyllarum oracula, versibus Graecis excusa, latine facere ac non ita pridem evulgare non dubitavit Castalio, in quibus biblica historia brevissime contracta est.

---

1) Alibi: moechum. 2) Alibi: Trevirini praefectus. 3) Addit alius: Judaeis. 4) Alius: Consimile. 5) Alii: facere, vel: tacere. 6) Suidas verbo Augustus. Nicephorus Callistus l. 1 c. 17. 7) Libr. de divinatione. 8) Alibi: quod. 9) Ita omnes codices. 10) Alibi: trecentos post annos. 11) Alius: Tam. 12) In libro de oraculorum defectu. 13) Alius: cujus. 14) Alibi: amentia, vel: dementia. 15) Alii: putarent. 16) Alius: contingit.

OCTAVIUS: Ego Sibyllas omnes daemonum contubernio infames esse non dubito, nec ullum impiae superstitionis argumentum majus [1]) esse opinor, quam quod Sibyllarum oraculis quasi fatis [2]) sustentatur. Atque in eo quidem Tertullianus [3]) graviter mihi labi videtur, qui religionis Christianae probationem ex eo potissimum exquirit, quod daemones in obsessis occulta quaeque rogantibus Christianis proderent, Christi sapientiam et virtutem laudantes, caeteris vero paganorum sacerdotibus nihil responderent. Iisdem Sibyllarum responsis Dei nomen quadrisyllabum esse denunciatur, ac ne quis sacrum illud Hebraeis tetragrammaton aeterni Dei proprium cogitaret, tres priores syllabas duarum litterarum, postremam trium esse, ac totum quatuor vocalibus et quinque consonantibus constare, idque consistere numerum MDCCXI, quem [4]) Cardanus ἀρσενικὸν esse putavit, sed suo merito irrisus est, quod numeri litterarum minime congruant, tametsi caeteri conveniant; qui vero subtilius discusserunt, non aliud quam dictionem φαοσφόρος syllabas quatuor, totidem vocales, quinque consonantes, tres priores syllabas duarum, quartam trium litterarum praescriptum numerum continere judicarunt. Quo quidem oraculo solem luciferum i. e. φαοσφόρον seu Apollinem miseris hominibus colendum quasi Deum proposuit daemon ipse Apollineus [5]).

SENAMUS: Ego vero nomen φαοσφόρου seu Luciferi, lucis totius creatori optime convenire judico, qui solus ab humanis mentibus tenebras ac caliginem dispellere possit.

CURTIUS: Ea fraus est daemonum, falsa veris confundere, quo facilius imperitos fallere queant et admirationem sui concitare, nihil tamen nisi a furentibus respondebatur. Legistis [6]), in antro [7]) Lepadio Trophonio, Mopsitanos [8]) dormientes somniis perterritos ac furentibus similes oracula fudisse.

SENAMUS: At cum Epicuraei quidam oracula Mopsi coram Asiae Proconsule irriderent [9]), rusticum quendam ad Mopsum miserunt cum obsignata epistola, in qua nihil aliud quam illud, utrum bovem atrum, an album sibi mactari vellet? Rusticus [10]) in fano obdormiverat, somno [11])

---

1) Alibi: magis. 2) Alius: fundamentis. 3) In Apologetico. 4) Alii: quod.

5)

φ	=	500	φαοςφόρος.
α	=	1	
ο	=	70	
ς	=	200	
φ	=	500	
ο	=	70	
ρ	=	100	
ο	=	70	
ς	=	200	
		1711	

6) Pausanias in Achaicis. 7) Deest in alio codice. 8) Alius: Mopsi fano. 9) Plutarchus de oraculorum defectu. 10) Alius addit: qui. 11) Alibi: a sono.

excitatus, ad Epicuraeos cum epistola obsignata rediit, nihil tamen aliud se audisse retulit, quam vocem cujusdam susurrantis illud: Atrum. Quo audito proconsul impietatis Epicuraeos coarguit ac Mopso deinde sacra facere non destitit. Sed audiamus Herodotum [1], cujus aetate loquacissimi fuere omnes Apollines. Is enim scribit: Cnidios, cum Isthmum Halicarnassi perfodere conarentur, nec quidquam proficerent, caementis in oculos obsilientibus, aut latomis se ipsos vulnerantibus, ad Pythiam [2]) profectos responsum hoc tulisse: Isthmum neque aggerate, neque fodite; Jupiter namque ipse, si voluisset, fecisset insulam! Illi accepto responso ab opere destiterunt. Deum quidem ista [3]) decrevisse argumento est, quod Demosthenes, Demetrius Poliorcetes [4]), Caligula, Nero, Domitianus, qui Isthmum Corinthi perfodere sunt conati, vel caesi vel capti, vel ab hostibus prostrati fuere, quod vel oracula divina contemnere, vel naturae statum et ordinem perrumpere conarentur. Quid? cum Athenienses, variis cladibus et morbis popularibus oppressi, Apollinem consulerent, respondit, suam aram duplicari oportere; erat enim cubica. Fabri cubum cubo supposuerunt [5]) imperite [6]). Cum pestis multo magis quam antea grassaretur, iterum Apollo consultus respondit: aram non esse duplicatam. Itaque Geometras tota Graecia arcessiri oportuit, ut ara cubica duplicaretur, quod tandem [7]) Plato cum μεσολάβῳ praestitisset, exhausta civibus urbe, caedes [8]) conquievit. Advertite, obsecro, daemonem γεωμετρικώτατον Atheniensibus rem omnium difficillimam proposuisse, scilicet cubum duplicare, quod mortalium nullus adhuc demonstratione, sed physica tantum ratione consequi potuit. Oportuisset enim duabus lineis, quibuscunque datis, duas medias proportionales invenire, quod nullus adhuc conficere potuit. Nicolaus Cusa [9]) id tentavit, Orontius [10]) id se esse assecutum jactavit [11]), ex eoque τετραγωνισμὸν penitus ignotum demonstrasse. Sed ejus paralogismum [12]) Nonius [13]) Lusitanus ac Buteo Delphinas perspicue [14]) docuerunt. Sic Apollo admirabilitatem sui multo quam antea majorem excitavit, quam [15]) Plato bona fide auxit [16]), cum ab Aegyptiis [17]) eruditus praedicaret: Apollinem hoc responso Athenienses a luxu, libidine, crapula, rapinis ad honesta ingenuarum artium studia revocare voluisse.

TORALBA: Si fabri cubicam argillae massam arae cubicae aequalem fecissent et ad pondus tantundem adjecissent, tum utramque massam simul coagmentatam figura cubica finxissent, nullo negotio expedita res erat physica ratione.

SALOMO: Apollinis aeque ac Bahalis oracula seu vera seu falsa a

---

1) L. 1 cp. 44. 2) Alii false: Phidiam. 3) Alii: ita. 4) In textu: Polycrates. 5) Alibi: imposuerunt. 6) Alibi: imperiti. 7) Alibi: etiam. 8) Deest in aliis. 9) Alius: Chusa. 10) In libro de quadrat. circuli. 11) Alibi: putavit. 12) Alius: parallelismum. 13) Alius: Navius. 14) Alii: perspicere. 15) Desunt haec quatuor verba in aliis codicibus. 16) Plutarchus de daemonio Socratis. 17) Alius: Aegyptio.

daemonibus profecta fuisse, nemini dubium esse potest, in rem eam penitus intuenti. Nunquam [1]) enim Pythia sacerdos respondit, nisi furibunda, ore spumante, turgido gutture, oculis torvum intuentibus, saepe etiam pudendis obloquentibus, aut clausa bucca vel ex intimo pectore verbis erumpentibus. Quo etiam [2]) statu sacerdotes Indicos fuisse legimus ante Hispanorum adventum, qui daemonum cultus, sortilegia et sacrificia humana sustulerunt. Oracula vero divina prophetis tantum concessa ac munere Dei contigisse lex divina [3]) perspicue docet, et a prophetis reddebantur non furenti, sed tranquilla mente et valde quieta ac constanti. Neque vero vigilanti cuiquam mortalium, praeterquam uni Mosi, Deum apparuisse divina lex aperte declarat; caeteris prophetis non nisi dormientibus, seu somniis seu visionibus nocturnis, quae decem omnino generibus complexus est Moses Rambam [4]). Paucissimis tamen lux infusa divinitus toto vitae decursu contigit ut Samueli, Heliae, Helisaeo, Isaiae. Quoties enim in sacris litteris illud occurrit, Deum vel angelum domini locutum, prophetia est in somno vel visione dormienti patefacta, ut visiones Abrahae et colloquia Dei cum illo ac caeteris omnibus praeter Mosen. Quod arcanum qui non percipiunt animo, variis erroribus implicantur. Interdum tamen vigilantibus, quid factu sit opus, suggeritur, sed id fit intimis animi sensibus, angeli procurantis officio [5]). Dormientibus vero saepe voces divinae exaudiuntur aut vellicationes aut etiam terrores sentiuntur [6]), quo pertinet illud Elihu Jobi [7]) instruentis: Semel, inquit, Deus loquitur et iterum, si homo non advertit in somniis, in visu nocturno, quando sopor [8]) dormientes obruit [9]), tunc aurem hominibus vellicat ac divinam vocem [10]) velut expresso [11]) sigillo consignat, ut tenuibus probitatem, potentibus superbiam eripiat. Cui congruit illud Isaiae [12]): Deus, inquit, summo diluculo vellicavit mihi aurem, ut audirem, aperuit mihi aurem, ego vero praebui me obsequentem. Hanc autem [13]) vellicationem auris nemo plane nisi expertus intelligit [14]) Prophetis quidem nostris vaticinia admirabilia et in multa saecula prodita fuere, quibus populorum strages et [15]) excidia civitatum, imperiorum conversiones, caedes principum calamitosae denunciantur [16]), quae re ipsa statis temporibus, ac tantis post aetatibus comperta fuere. Ab iis ergo prophetarum vocibus ac scriptis oracula petenda, ab iis [17]) solis verae religionis testimonia sunt exquirenda.

CURTIUS: Prophetarum quidem principes ab Abrahamo et Israelitis arcessere oportet, nec tamen omnes videmus. Videmus enim Bileamum [18]),

1) Alibi: Neque. 2) Addunt alii: in. 3) Num. 12. 4) In libro More nevochim. 5) 1 (3) Reg. 13. 16. 6) Alibi: sensuum. 7) Hiob 33, 14 sqq. 8) Alibi: super. 9) Alibi: opprimit. 10) Alii: ac doctrinam. 11) Alibi: impresso. 12) Jesaiae 50, 4 sqq. 13) Alius: Sane autem. 14) Alius: intelliget. 15) Deest in aliis codicibus. 16) Alii: denunciarentur. 17) Alii: ex his, vel: et iis. 18) Num. 23.

genere Chaldaeum, etiam oracula divinitus hausisse et conversionem rerum publicarum admirabiles duo millia annos ante percepisse [1]) animo, quam contigissent. Item Jobum, Heliam, Helisam [2]), Arabes ante legis promu gationem divinis oraculis claruisse.

SENAMUS: Si vera somnia rerum praesentium aut futurarum prophetiae [3]) nomine veniunt, innumerabiles prophetae futuri sunt. Ecquis enim est, cui non appareat in somniis ac visionibus nocturnis verum [4]) quiddam, quod aliter scire non potuisset? Quin etiam sceleratis somnia saepe verissima occurrunt. Nam [5]) Philostratus [6]) tyrannus se a Jove praecipitem de coelo deturbari somniavit, paullo antequam interficeretur. Item Caracallae imperatori visum est in somniis pridie quam necaretur, se a Severo patre suo [7]) perculsum ac vocem patris principis [8]) audivisse acerbe illum increpantis: En praemium fraterni parricidii! nam Caracalla jusserat Getam occidi. Plenus est Artemidorus, plenae historiae talium somniorum. Et quidem Synesius ille [9]) Christianus pontifex librum περὶ τῶν ἐνυπνίων scripsit, in quo vaticinia non modo hominibus, verum etiam brutis ipsis animantibus communicari scribit.

SALOMO: Quaedam somnia vera sunt, plurima tamen falsa, ut quae ab animi perturbatione [10]) ac curis ad animos derivantur. Multas curas sequuntur somnia, inquit sapientiae magister [11]), et ubi multa somnia, plurimae sunt vanitates. Saepius etiam a ciborum varietate et copia somnia contrahuntur, sed iis, qui pura mente a sordibus, a libidine, a curis inanibus, a cupiditatibus vacui, sobrii dormiunt, saepius somnia vera et somniis praestantiora visu objiciuntur, quibus turpia declinare, honesta prosequi aut futura scire docentur, quae in universum communi quadam appellatione vaticinia dici possunt. Prophetia vero singulari quadam appellatione dicitur divina vis, Dei munere et concessu [12]) tributa ad futura prospicienda ac denuncianda, quae [13]) non tantum veteribus, sed his quoque temporibus [14]) accidit. Quod enim legitur in Hebraeorum commentariis, prophetiam post reditum ab exilio desiisse, non eo pertinet, ut nulla deinceps somnia Hebraeis divina contigerint, sed ut intelligamus, Dei vocem ad prophetas fieri desiisse, ut ejus mandata legesque [15]) principibus ac populis [16]) annunciarentur. Neque enim desunt quamplurimi, qui pro sua aut aliorum salute jussa in somniis divinitus accipiant, vel ut hostium insidias effugiant, vel ut a vitiis abstineant, vel ut ab impietate et superstitione ad veram religionem deducantur, sive [17]) de rebus dubiis fiant certiores. Et quidem vera somnia et visa nocturna efficaciora sunt ipsis actionibus vigi-

1) Alius: hausisse. 2) Alibi: Helipham. 3) Alius: prophetico. 4) Alius: rerum. 5) (Artemidorus). 6) Alii: Pisistratus. 7) Alius: sica. 8) Deest in aliis. 9) Alius: ipse. 10) Alii: perturbationibus. 11) Ecclesiastes 5, 2 sq. 12) Alibi: consensu. 13) Alibi: quod. 14) Alii addunt: saepe. 15) Alii addunt: ne. 16) Alibi: populo. 17) Alii: ac.

lantium, ut cum Abrahamus dormiens sibi pro salute urbium Sodomae et Gomorrhae precari videretur et [1]) cum Deo familiariter colloqui; non minus efficax illa supplicatio exstitit, atque nescio an non efficacior, quam si vigilans ea petiisset [2]). Item Salomo in somniis sapientiam a Deo precari sibi videbatur [3]), quae precatio in somniis tam efficax exstitit, ut eodem [4]) somnio Deus responderit, se preces illius exaudiisse ac sapientiam illi tantam afflavisse, quantam mortalium antea aut postea [5]) nemini.

FRIDERICUS: Si summam religionis ac salutis nostrae ad inania somnia revocaremus [6]), actum de religionibus est. Jam enim pridem Paulus admonuit [7]), a falsis prophetis studiosissime cavendum, nec si angelus coelo delapsus in terram [8]) aliud doceat, quam quae ab eo tradita sunt, ei assentiendum. Quo satis innuit, non vates novos aut [9]) Apollines aut [10]) oracula cujusquam exquirenda [11]) ad optimum genus religionis dijudicandum, cum aperte [12]) doceat, esse Christianum.

SENAMUS: Quoniam Judaei non modo Paulum, verum etiam Novi Testamenti tabulas omnes, Ismaelitae vero Christiana [13]) scripta [14]) omnia repudiant, aliis testibus nobis utendum est. Nihil autem mihi commodius videtur, quam decernere, quae [15]) sit antiquissima religio, hanc [16]) enim optimam fore, maximum erit argumentum.

TORALBA: Si optimum genus religionis antiquitate ipsa metimur, altius nobis ab ipso totius humani [17]) generis parente origo est petenda. Hunc enim optimis moribus, optima disciplina, optima scientia [18]), optimis denique animi virtutibus a Deo exornatum [19]) oportet, cum ab eodem sanctissimam linguam didicisset. Neque enim [20]) per se eloqui potuisset, aut omnium animantium, quibus ex insita cuique [21]) vi et potestate nomina indidisse dicitur, naturas nisi ab optimo parente ac magistro eruditus hausisset et expressisset [22]). His tam multis ac praeclaris virtutibus filios sibi charissimos imbuisse consentaneum est atque inprimis vera religione, ut scilicet Deum aeternum adorarent eique sacra facerent, tum precibus, tum frugibus, tum pecoribus [23]) oblatis, quae flammarum sacrificiis consumerentur, cum ante aquarum colluviones carnibus non vescerentur [24]).

SALOMO: Caetera quidem tibi, Toralba, facile assentior, pecorum [25]) tamen carnibus homines aeque ac lacte vixisse non dubito. Ad quid enim [26]) tam multi greges? tot armenta ubique terrarum, quae suo foetore mortua

---

1) Desunt haec quinque verba sequentia in alio codice. 2) Alibi: illam praestitisset. 3) 1 (3) Regum 3. 4) Alibi: eidem. 5) Alibi: et postea. 6) Alibi: revocamus. 7) Galat. 1. 8) Alibi: in terras, quae verba in aliis plane desunt. 9) Alibi: non. 10) Alibi: non. 11) Alibi: cuiquam exoptanda. 12) Duorum horum verborum loco legit alius: verum. 13) Alius: Christianorum. 14) Deest in alio codice. 15) Alibi: quaenam. 16) Alius: sane eam. 17) Deest in alio codice. 18) Alibi: sanctitate. 19) Alibi: subornatum. 20) Alius: etiam. 21) Alius: ejus. 22) Philo in alleg. legg. 23) Alibi: pecudibus. 24) Zonaras l. 1 ita scribit. 25) Alius ita: nisi pecorum carnibus vesci semper licuisset. 26) Alius: etiam.

nocuissent [1]), nisi homini suavissimis carnibus vesci licuisset? Nam quod divina lege permissum est, carnibus vesci, modo sanguis in terram effunderetur, eo pertinet, ut, quod antea impune licuerat, cruore saginare [2]) se ipsos, id [3]) amplius ne liceret. Nihil enim [4]) sanguinis esu impurius, nihil nocentius aut ad lepram et elephantiasin accomodatius alimentum excogitari potest.

TORALBA: Nulla mihi tecum, Salomo, de ciborum esu [5]) controversia futura est, illud tantum meae conclusionis argumentum est, Adamum ejusque filium Abelem optima religione imbutos fuisse, deinde Sethum, Henochum, Methusalem ad Noachum usque, qui aeternum illum et verum solumque Deum, rerum omnium opificem ac parentem totiusque mundi architectum maximum, caeteris omnibus exclusis, sanctissime coluerunt. Hanc igitur religionem non modo antiquissimam, sed etiam omnium optimam esse confido, et qui ab illa antiquissima optimaque religione discesserunt, in labyrinthos errorum [6]) inexpiabiles incidisse.

SALOMO: Mihi tecum, Toralba, convenit, illam scilicet optimam religionem esse antiquissimam ab optimo parente generis humani traditam, quae unius aeterni Dei cultu purissimo, semota Deorum ac divorum omnium atque etiam rerum creatarum turba, continetur. Nam quod scribitur, aetate Sethi Deum coli coepisse, plerosque fefellit ambiguitas verbi הוּחַל, quod incipere et profanare significat. Jonathan Chaldaeus interpres ita reddidit [7]) ex hebraeis chaldaica: tunc coeperunt homines orare in nomine domini. Sed Onkelos, quem Latini Aquilam nominant, qui etiam ex Hebraicis Chaldaica fecit, ita reddidit: Tunc coeperunt homines non orare in Dei nomine, cum scilicet ad res creatas et eorum, quae sub sensum cadant, cultum se ipsos convertere coepissent; quae sententia verior est, cum satis appareat, Abelem et Cainum soli Deo cultum exhibuisse, ac ipsum Henochum tanta religione ac pietate claruisse, ut adhuc vivus et spirans divina bonitate fuerit ab hominum [8]) coetu et conspectu abreptus, quod praeter eum nemini, excepto Helia, legimus contigisse. In eadem religione perstitit Noachus [9]), qui solus mortalium omnium ipsius Dei testimonio ac judicio integer est ac justus appellatus. Semus item, Noachi [10]) filius, Dei altissimi sacerdos ac Solymorum [11]) rex justissimus, eadem pietate paternam religionem amplexus est, qua floruit usque ad Abrahami aetatem, i. e. ab eluvionibus aquarum CCCXLV annos, quo tempore migravit Abrahamus ex Ur [12]), Chaldaeorum urbe [13]), eamque migrationis causam fuisse tradunt [14]), quod Chaldaei a vero Deo ad solis et siderum cultum deficerent. Defectionis rursus causam fuisse opinor, quod cum in coelum in-

1) Alibi: jacuissent. 2) Alibi: sanguinare. 3) Alii: ut. 4) Alius: etiam. 5) Alibi: usu. 6) Deest in alio codice. 7) Alibi: reddit. 8) Alibi: humano. 9) Alii: Noëmus. 10) Alii: Noëmi. 11) Gen. 6. 12) Alius false: unâ. 13) Gen. 12. 14) scribunt.

tuentes aeterno Deo sacra facerent [1]), oculis quasi manibus sese abduci passi sunt ad ea sidera, quae sub adspectum cadebant, quod Abrahamus indigne ferens vitae periculum adiit, cum aperte siderum cultum execratus esset. Chaldaeus interpres scribit [2]), Nimrodum, qui primus dominatum in liberos homines invasit, jussisse Abrahamum in fornacem projici, quod ab unius immortalis Dei cultu ad res creatas avelli nollet, inde tamen prodigio stupendo [3]) ereptum et in Syriam a Deo missum, ubi in purissima illa religione majorum acquievit ejusque nepotes, donec Aegyptiorum fraudibus ab ingenita religione deflexissent, nec solum sidera, sed etiam elementa, animantia, statuas, daemones, deserto mundi conditore, adorarent. Deus igitur populi sui misertus quadringentos post annos, quam ictum foedus erat cum Abrahamo, Moysen excitavit, per quem naturalem et insitam animis hominum [4]) a Deo religionem ex animis hominum paene obliteratam ad usum revocavit. Ac tametsi Numa Pompilius statuas, Zeno Stoicus templa Diis exstrui, i. e. ἱερὰ θεῶν [5]) οἰκοδομεῖν, idque etiam sanctissimi reges Persarum prohiberent, ne Dei majestatem, quae amplissimo mundi sinu non continetur, angustiis concludere viderentur, terrenum [6]) tamen deinde templum jussit exstrui, non modo ut ab inimicis coeli, sed etiam siderum coelestium adspectu seu culta sacra facientes amoveret.

TORALBA: Constat igitur, optimam atque antiquissimam omnium religionem ab aeterno Deo cum recta ratione mentibus humanis insitam, quae quidem Deum aeternum ac solum homini colendum proponit, quoniam superius demonstratum est, Deum illum ab omni corporum contagione alienissimum, rerum omnium conditorem et conservatorem esse, qui cum optimus maximus sit, summum etiam cultum ei deberi, caetera numina, quae ab eo creata sunt, honoris cultu illi anteferre aut [7]) conjungere sine ingenti piaculo posse neminem. Qui ergo sic vixerit, ut purum Dei cultum et naturae leges sequatur, quis dubitet, quin eadem felicitate fruatur, qua nunc justus Abel, Henochus, Noah, Semus, Abrahamus, Jobus, caeteri, quod Deus ipse laudabili testimonio sibi gratissimos ac sanctissimos esse [8]) declaravit? Nihil enim verius a Platone dici potuit, quam antiquissimos humani generis parentes eo posteris meliores fuisse, quo propius aberant a conjunctione Deorum: οἱ παλαιοὶ καὶ κρείττονες ἡμῶν καὶ ἐγγύτεροι θεῶν οἰκοῦντες, a quibus ad posterorum [9]) aures vestigia prisca saeculi dimanarunt. Et quidem Simplicius, Christianorum aeque ac Judaeorum communis adversarius, mentis humanae consummatam perfectionem definit conversionem ad dominum: i. e. πάσα ἀνθρωπίνη πλειότης εἰς τὴν πρὸς θεὸν ἐπιστροφήν. Idem paulo post: Quamdiu igitur mens humana radicibus altissimis [10]) autori suo adhaeserit [11]),

1) Alibi: fecerint. 2) In Ecclesiast. IV. 3) Alibi: prodigiis stupendis. 4) Desunt duo haec antecedentia verba in aliis codicibus. 5) Alius: θεοῖς. 6) Alius: tentorium. 7) Alibi: et. 8) Alibi: fuisse. 9) Alius: posteros. 10) Alii: arctissimis. 11) Alibi: cohaeserit.

poterit incolumis eam integritatem, in qua creata est, facile tueri; ab eo autem avulsa diffluet et marcescet [1]), quoad rursus ad originem et autorem revertatur, i. e. ἀποσπασάσα δὲ ἑαυτὴν καὶ ὅθεν ἐφ' ἑαυτῇ ἀποῤῥιζωσάσα, ἐκεῖθεν μαραίνεται καὶ φθίνει, ἕως ἔμπαλιν ἐπιστραφῇ καὶ ἑνωθῇ πρὸς τὴν αἰτίαν.

SENAMUS: Si haec optima et antiquissima religio naturae, omnium simplicissima sufficit ad vitam beatam, cur tot sacrificia, ceremoniae, ritus lege Mosis jubentur [2]) ? Neque enim pecudum modo, verum etiam hominum hostias legimus. Nam Jephtha, princeps illius gentis, filiam, quam habuit, immolavit eodem fere tempore, quo rex Agamemnon filiam Iphigeniam.

SALOMO: Sacrificia pecudum ab ipsa naturae lege primus Abel ac caeteri deinceps arripuisse videntur, hominum vero mactatio [3]) populis fere [4]) omnibus perniciosissimo more [5]) fuit usitata; Chaldaeis inquam, Persis, Amorrhaeis, Graecis, Italis, Gallis, Poenis, Indis. Nec tamen Jephtha filiam immolavit, ut omnes fere opinantur, sed perpetuae castitatis votum a se amandavit, ut Chaldaeus interpres, Rabbi Levi Ben Gerson et David Kimchi, verius et melius interpretantur, quam qui parricidii crudelissimi parentem accusant. Cui interpretationi congruit [6]), quod singulis annis virgines illam inviserent et [7]) consolarentur. Vox enim hebraea לְתַנּוֹת, quae [8]) ambiguitatem eo loco peperit [9]), non tam lugere significat, quam consolari, sacrificium vero Jephtham fecisse oportet earum rerum, quae [10]) lege divina mactari fas erat.

TORALBA: Si naturae lex et naturalis religio, mentibus hominum insita, sufficit ad salutem adipiscendam, non video, cur Mosis ritus, ceremoniae necessariae sint.

SALOMO: Nihil in majestate Bibliorum antiquius aut sacratius est lege divina, cujus divisio triplex est. Nam praeter historiarum libros praecipua est lex moralis, secunda ritualis, tertia politica. Moralis iterum duplex: altera [11]) pars ad Dei cultum, altera ad hominum inter ipsos mutua officia spectat. Dei cultus quatuor decalogi capitibus primis continetur, caetera sex capita ad tuendam hominum inter se [12]) fidem ac societatem pertinent. Politica vero diffusius eadem complectitur, quae secunda tabula brevissime continet, scilicet leges judiciales, connubiales, praetorias [13]), quibus Hebraeorum respublica fundata est et constituta, sine quibus licet et viro bono in desertissima solitudine et ubique terrarum salutem adipisci. Ritus vero et sacrificia [14]) a Deo instituta, ut Israëlitae, qui ab Aegyptiis et finitimis populis sacra daemonibus et animalium statuis facere didicerant, ab iis deinceps abstinerent, quod fieri non potuisset ob inveteratum daemonibus sacrificandi morem, nisi [15]) eadem sacra Deo facere juberentur. Atque eo per-

1) Alibi: diffluit et marcescit. 2) Alibi: jubente. 3) Alii: immolatio. 4) Alibi: vero. 5) Alibi: modo. 6) Alibi: convenit. 7) Alius: ut. 8) Alibi: quod. 9) Alius: proponit. 10) Alius: quas ..... mactare. 11) Alii: una. 12) Alibi: homines. 13) Alius: praedicatorias. 14) Addunt alii: sicut. 15) Alibi: etiamsi.

tinet gravior illa ac toties injuncta Israëlitis criminatio, quod epularentur על־דמים super sanguines, ut deterrima Circe Ulyssem ac socios docebat. Manes pascere [1]) sanguine effuso in scrobem plurium animantium cruore [2]). Itaque propositis omnium sacrificiorum generibus, ad extremum illud a legislatore subjicitur [3]), ne deinceps sacrificent satyris et daemonibus, quibuscum scortari, consueverant. Deum vero sacrificiis nullo modo delectari, ex eo planum fit, quod vetuit [4]) usquam terrarum sibi pecudes mactari, praeterquam uno loco, quem ad sacrificandum delegisset, tametsi ubique gentium synagogas ac fana liceret habere ad laudes et leges divinas praedicandas. Nec vero sine summa Dei bonitate ac procuratione templum illud Sionis, ubi sacrificia pecudum fieri nec alibi licebat, a Vespasiano Imperatore incensum est, ut omnes intelligerent, non armentis aut [5]) gregibus mactandis flagitia [6]) dilui aut scelera expiari, aut salutem ab eo quenquam adipisci, ut apud Jeremiam [7]) Deus clara voce populo contestatur hunc in modum: H o l o c a u s t a v e s t r a v i c t i m i s a c c u m u l a t e e t a d s a t i e t a t e m c a r n e s v o r a t e , n i h i l e n i m m a j o r i b u s v e s t r i s h u j u s m o d i m a n d a v i , c u m i l l o s e x A e g y p t o e d u c e r e m . Et certe nihil Deus clara voce praeter decalogum jussit [8]); nullum autem sacrificium toto decalogo continetur, quod ubique foedus cum populo percussum appellatur. Id autem a prophetis [9]) toties ac tam saepe repetitum est, scilicet Deum a mactatione pecudum abhorrere, ut non [10]) aliam ob causam templum illud exarsisse ac populus Dei ex Palaestina ejectus esse videatur, quam ne deinceps in cruore pecudum spem salutis collocaret. A u f e r , inquit Oseas [11]), a n o b i s n e q u i t i a m , e t e x s o l v e m u s j u v e n c o s l a b i o r u m n o s t r o r u m . Item [12]): N u m v e n i a m i n c o n s p e c t u m D e i c u m h o l o c a u s t i s , v i t u l i s , a g n i c u l i s ? N u m p l a c e n t D e o m i l l e a r i e t e s a u t 1 0 , 0 0 0 t o r r e n t e s o l e i ? N u m d a b o p r i m o g e n i t u m a d e x p i a t i o n e m s c e l e r i s m e i ? I n d i c a v i t i b i , o h o m o , q u i d b o n u m s i t [13]) e t q u i d a t e D e u s e x q u i r a t , s c i l i c e t f a c e r e j u d i c i u m , d e l i g e r e b o n i t a t e m e t h u m i l e m e s s e c o r a m D e o t u o . Cum autem Saul, quominus Dei mandato paruisset, sacrificia excusaret, acerbe Samuel illum increpans: O b s e q u i u m , inquit, s a c r i f i c i i s p r a e s t a t [14]). Acerbius etiam apud Isajam Deus execratur illos, qui sua scelera sacrificiis elui putant. Est igitur in decalogi executione salus, non in sacrificiis statuenda. H o c f a c , inquit, e t v i v e s ! Et quidem cum rex Salomo arcam auream fabricari jussisset, et [15]) in sacratissimo sanctuario collocaret, nihil in ea deposuit praeter duas tabulas decalogi lapideas. Arcam autem protegebat propitiatorium, ubi Deus inter utrumque angelum versari dicebatur, ut omnes

1) Alius: p l a c a r e. 2) Odyss. l. X. 3) Levit. 17. 4) Deuteron. 14. 15. 16. 5) Alibi: n e c. 6) Alibi: p e c c a t a. 7) Jerem. 7, 21 sq. 8) Deuter. 4. 9) Psalm. 40. 49. Hoseae 6. 10) Alibi: n u l l a m. 11) Hos. 14, 3. 12) Michae 6, 6 sqq. 13) Alibi: e s t. 14) 1 Sam. 15. 15) Alius: u t . . . . . c o l l o c a r e t u r.

intelligerent, Deum mortalibus propitium fore, si sacrum decalogi foedus exsequantur. Item [1]) Salomo cum Deum loquentem introduceret [2]): Serva, inquit, mandata mea, ut vivas! Quae qualia sint, significat his verbis: Liga ea super digitos tuos, scribito super tabulas cordis tui! Qua quidem eleganti allegoria decem digitorum decem [3]) decalogi praecepta [4]) complexus est, ac duplici tabula cordis significat, primam tabulam decalogi pertinere ad superiorem animae facultatem, quae ipsa mens est, ad quam primae tabulae leges de cultu divino referuntur, secundam vero tabulam ad inferiorem animae partem, qua docemur naturam coërcere, libidinem continere, ab alienis rebus mentes, oculos, manus abstinere. Nam 613 capita ac leges [5]), quae libro legis continentur, partim ad judicia, partim ad mores, partim ad ritus, partim ad uberiorem explicationem [6]) decalogi spectant [7]), ut cum uno verbo decalogi scortatio prohibetur, vox enim hebraica נאוף omnem scortationem significat, sive cum daemonibus, sive cum statuis caeterisque rebus, sive cum proximis, quibuscum incestus admittitur [8]), sive cum alterius uxore: denique lex illa vagos omnes concubitus, stupra [9]) et cum brutis nefariam copulationem vetat, quae fusius Moses in libro legum explicat, quam quae tabulis fuere [10]) comprehensa. Universam vero legem R. Moses Rambam in quatuordecim partes distribuit: prima pars aversionem a flagitiis et conversionem ad Deum; secunda idololatriae prohibitionem; tertia morum probitatem; quarta caritatem erga singulos; quinta mulctas pecuniarias; sexta contractuum et hereditatum jura; septima dies fastos, nefastos, feriatos; octava jejunia [11]); nona preces et laudationes; decima sanctuarium; undecima sacrificia ritus; duodecima pollutiones et expiationes; decima tertia cibos vetitos ac cupiditates frangendas; decima quarta vetitas libidines. Quae omnia copiosissime libris LXI pandectarum hebraicarum et capitibus 532 continentur, vetantibus quidem legibus poenae, jubentibus praemia subjiciuntur, ut cum benignitatis fontes tenuibus aperire jubemur [12]), haec verba subrogantur: Et bene tibi erit, vel opibus te cumulabo, si hoc feceris. Semper enim largitionem in tenues consequetur affluentia bonorum, ac tametsi nulla merces debeatur officio, nihilominus tamen et iis, qui a vetitis abstinuerint, et iis, qui jussa fecerint, mercedem ingentem Deus decrevit.

OCTAVIUS: Cum itaque Judaei ubique terrarum a sacrificiis pecudum abstineant, inutiles sunt illae sacrificiorum leges.

SALOMO: Nullum est sacrificium, nulla instrumenta sacrorum, nulli ritus, quae rerum in naturae thesauris abditarum arcana pulcherrima non

1) Alii: Idem. 2) 1 Regum. 7. 3) Addit alius: illa. 4) Alius: capita. 5) Alii: capita legum, vel: capitibus leges. 6) Alius: interpretationem. 7) Alibi: pertinent. 8) Alibi: committitur. 9) Alii addunt: paederastiam. 10) Alibi: erunt. 11) In aliis codicibus haec ad septimam partem referuntur, ita ut tredecim tantum partes enumerentur. 12) Alii: jubentur.

contineant, ut ingeniosissime Philo Hebraeus [1]), Abraham Aben Esra, Rex Salomo, Leo Hebraeus interpretantur. His etiam docemur prius de peccatis confiteri [2]), deinde poenas acerbiores ac piacula [3]) deprecari impendentia, tum gratias agere pro tam multis beneficiis, quibus continuo beamur, denique laudibus Deum praedicare, postremo Deo mentes puras sacrificare.

TORALBA: Equidem ab astrologo Judaeo didici, decem illa decalogi capita decem orbibus coelestibus ordine decenti naturae convenire. Primum ipsi Deo tribui, ut naturae universae autori supremo, secundum orbi secundo, qui Hebraeis deserta [4]) appellatur, propterea quod nulla stella eo coelo continetur, ita quoque sculptilia sanctissime prohibentur. Tertium caput, quo Dei nomen temere usurpare prohibemur, orbi tertio congruit, ne per Jovem caeteraque sidera jusjurandum concipiamus. Quartum caput, de festa quiete Sabbathi, orbi Saturni, cui et septima dies Saturni, velut Hebraeorum [5]) Sabbathi nuncupatur. Quintum caput, de cultu parentum, quinto orbi seu Jovis, qui a Graecis Deorum parens, a Latinis Jupiter, quasi Juvans pater est appellatus. Sextum caput, de caedibus, orbi Martis, quem Homerus [6]) homicidam vocat et urbium eversorem. Septimum caput, de adulteriis ac libidine, orbi Veneris. Octavum, de furtis, Mercurio, quem veteres mercatorum Deum et lucri autorem fecerunt, et collegium mercatorum [7]) Romae dicebatur Mercurialium. Nonum, de vetitis mendaciis falsique crimine tribuitur Soli, de quo Virgilius: Solem mentiri, quis dicat? Quin etiam Hebraei solem pro veritate usurpant, ut eo loco: Misericordiam et veritatem diligit Deus, hebraica littera sic habet: quia sol et scutum est Deus, quod LXXII interpretes sic reddunt: ὅτι ἔλεος καὶ ἀλήθειαν ἀγαπᾷ κύριον. Graeci Apollinem fecerunt oraculorum ac divinationis rerum abditarum parentem, principem et qui discussis nebulis omnia perspicua facit. Decimum caput orbi Lunae, cui eandem vim in macrocosmo tribuunt [8]), quam jecori in microcosmo, ubi vis cupiditatis maxime consistit, ita quoque decimo capite cupiditates cohibere jubemur.

FRIDERICUS: Valde arguta mihi admirabilisque videtur decalogi cum orbibus coelestibus convenientia, quam Toralba ex abditis Hebraeorum arcanis promsit, quae non solum naturae universitati congruere, verum etiam ordinem planetarum a veteribus traditum confirmare videtur. Nam quod Ptolomaeus a veterum opinione [9]) primus omnium discedens Venerem et Mercurium sub sole collocavit, id eo argumento fecisse videtur, quod solis apsidem [10]) a terra distare scribit diametris terrestribus 604½, quod immane spatium planetis vacuum relinquere incongruum putabat, cum ab axe luna distaret terrae diametris 570. Sed multo absurdius est, quod Arabes et

---

1) De sacrificiis. 2) Alii: conferri, vel: converti. 3) Alii: pericula. 4) Alibi: dextra. 5) Alius: Ebraeis. 6) Il. E, 31. 7) Alius: mercatorium. 8) Desunt haec quinque sequentia verba in aliis codicibus. 9) Alibi: placitis. 10) Alibi: solem.

caeteri fere omnes astrologi inter apsidem Solis et Martis intervallum intercedere tradunt diametrorum terrestrium 3815, quod septies majus est intervallo solis et lunae.

SALOMO: Ex iis quidem intelligere potestis, omnia rerum maximarum arcana et abditos [1]) naturae thesauros in legibus divinis i. e. etiam in majorum nostrorum litteris ac libris latere, si quis altius scrutari velit. Hunc autem decalogum legis naturalis epitomam esse judicavit Abraham Aben Esra, quae quoniam obliterata videbatur et ingentibus hominum sceleribus ac flagitiis violata, Deus optimus maximus, hominis exitium miseratus, solenni legislatione [2]) naturalia edicta et interdicta maximis sui populi comitiis renovavit et in tabulis lapideis incisa, tubarum clangore, tonitruis, fulminibus ac flammis in [3]) monte Horeb ad coelum usque medium perstringentibus, ac monte terribili concussione trepidante, aeternum illud decalogi foedus cum populo aspersis sanguine tabulis, ut in feriendis foederibus mos erat, sacravit. Quae cum ante oculos mihi proponerem ac tanti spectaculi faciem altius contemplarer, quasi furore divino percitus haec breviter cecini:

Quis vero, metuende! tua te voce tonantem [4])
Audiit impavidus, cum jura sacrata juberes
Nec violanda dares tremuli de vertice montis
Foedera Sinai? Quis vel clangore tubarum
Non fuit attonitus vacuas resonante [5]) per aures [6])?
Quisve sacri sceleratus acerbam numinis iram [7])
Ferre tui potuit, quoties armatus in hostes
Flammea vibrares ingenti fulmina dextra?
Quippe superborum tu colla tumentia regum
Deprimis, et forti victor violenta refellis [8])
Sceptra manu, quatiens saevi diadema tyranni.
Conteris immanes populos et regna potenti
Comminuis brachio, quaecumque invicta videntur.
Sed Christos humili vindex e pulvere semper
Erigis ipse tuos aciesque evertis ad unum
Indomitas, ductuque tuo fit victor inermis!

TORALBA: Hoc quidem foedus, duabus tabulis ac decem capitibus deprehensum, quid aliud est, quam ipsissima lex naturae? Hanc enim a natura legem arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, atque imprimis Deum aeternum causam [9]) non modo rerum omnium effectricem, sed etiam conservatricem esse eandem, pro jure suae majestatis metuendum ac venerandum ac pro

---

1) Alii: reconditos. 2) Deuter. IV. 3) Alius: a. 4) Alibi: sonantem. 5) Alibi: resonare. 6) Alius: auras. 7) Alii false: vim vel: viam. 8) Alius: rebellis. 9) Deest in alio codice, qui porro legit: effectorem ...... conservatorem.

incredibili erga nos bonitate amandum ac toto mentis impetu prosequendum. Venerationem autem et cultum Deo debitum sacrilegio surripere, ac rebus creatis ac caducis illum tribuere et [1]) praemia salutis ac fiduciam in illis collocare, nefarium scelus est. Quod item secundo capite decalogi figuram ullam aut imaginem Deo tribuere prohibemur, natura quoque nobis insitum est, quia naturali et perspicua ratione Deum incorporeum esse demonstravimus. Ac propterea Numam Pompilium sua lege statuas Deorum ullas fieri vetuisse [2]). Et quidem si nefas est, coelum, sidera, solem adorare, quanto sceleratius [3]) est hominum figmenta venerari? At mirum mihi saepe visum est, tot populos, tam multis tamque eruditissimis temporibus statuas coluisse studio pietatis, cum Heraclitus, philosophorum antiquissimus, statuarum cultores perinde facere diceret, ac si cum parietibus colloquerentur [4]).

CURTIUS: Ab his populis excipiendi sunt Persae, Scythae, Afri ac veteres Romani, quos M. Varro sine simulacris annos amplius CXXX coluisse scribit.

SALOMO: Quid in re tam perspicua argumentamini? Satis est, uno verbo detestabili ac foedissimo statuam κόπρον i. e. stercus appellare. Hac enim voce majores nostri solent execrari idola.

TORALBA: Caetera capita decalogi omnium fere gentium communia sunt, quod satis est argumenti, legem divinam omnino [5]) naturae consentaneam esse. Excipio quartum decalogi caput, scilicet requiem Sabbathi. Neque enim video, quid sit, quam ob rem Judaei septimum potius quam sextum, ut et Ismaëlitae, aut primum, ut Christiani, feriari debeant. Quod enim natura injustum sit [6]), temporis decursu justum fieri nequit, contraque [7]). Si ergo ante legem a Mose latam scelus non erat, die septimo rebus agendis ac opificiis implicari, cur postea impium esse coepisset?

Hic ut [8]) Salomo conticuisset, contra quam sperabatur, FRIDERICUS: Salva, inquit, res est, Salomo obmutuit [9]).

SALOMO: Non video, cur loqui debeam, cum sit capitale, tesseram imperatoris [10]) prodere.

CORONAEUS: Ita quidem apud hostes, non inter amicos et familiares, quos hic videmus. Explica igitur, Salomo, quid hic tesseram appelles, ne Toralba victoriam incruentam reportare videatur.

SALOMO: Certe sabbathum est tessera [11]) Deum inter et populum selectum, quam ceteri [12]) populi capere non possunt, nec si possint, velint [13]). Argumentum a Toralba propositum jam antea pridem Justinus Martyr objecerat Tryphoni. Sed illud abs te, Toralba, peto: num tibi natura justum vel injustum videatur [14]), arma ferre?

---

1) Alii: aut vel: ac. 2) Plutarchus in Numa; Augustinus de civitate Dei. 3) Alibi: scelestiûs. 4) Alii: obloquerentur. 5) Deest alibi. 6) Alibi: est. 7) Alius: contrave. 8) Alius: cum. 9) Alibi: obtinuit. 10) Alibi: imperii. 11) Ezech. 20, 12. 20. Exod. 31, 17. 12) Alius: non selecti. 13) Desunt haec quatuor antecedentia verba in uno codice. 14) Alibi: videtur.

TORALBA: Videtur ἀδιάφορον.

SALOMO: Quid si princeps impendente seditione arma gestare prohibuerit, num tibi civis injustus et injuriosus atque iniquus videatur, qui adversus edictum armatus incedat?

TORALBA: Assentior ego quidem.

SALOMO: Cur ita, cum antea non injustum esset?

TORALBA: Quia naturae lex est, ut magistratui jussa imperanti pareamus, et qui aliter facit, injustus censeatur.

SALOMO: Quanto igitur injustior est, qui Deo vetante id, quod antea vetitum non erat, interdicto non paruerit, sive justum, sive injustum id esse arbitretur; quamquam fieri non potest, ut quicquam injustum a Deo jubeatur.

CURTIUS: Hoc potissimum inter naturales et civiles leges interesse jurisconsulti tradunt, quod civiles sint earum rerum, quae justae et injustae dici nequeant, antequam jubeantur aut prohibeantur, naturales vero justitiam perpetuo annexam habeant, sine ullis edictis aut interdictis.

FRIDERICUS: Cur igitur ante Moysen nullum de quiete septimi diei legimus edictum?

SALOMO: Quis affirmare potest, nihil antea de sancta illius diei quiete interdictum [1]) fuisse? quanquam prisca aetate [2]) homines totum fere otium honestis studiis et rerum sublimium contemplationi tribuere solebant, ut omne tempus illud festa quies et sabbathum continuum videretur. Postea vero cum [3]) deterior aetas, inanium artium voluptatibus, jocis, libidini, bellis, rapinis intenta, rerum coelestium et divinarum studia sprevit, quid tam necessarium fuit, quam homines ad hanc naturae legem [4]), honesta virtutis studia, ad mentis quietem, ad cogitationem rerum divinarum, ad sui salutem revocare? Id autem diei septimi festa quiete sancire placuit.

SENAMUS: Sed cur potius septimam, quam primam? Nec video, cur [5]) postremo capite decalogi aliena appetere prohibeamur, cum satis sit, nemini fraudem facere, et ea non exercere, quae publicam laedunt tranquillitatem: mentibus autem humanis imperare aut cogitationibus vim inferre, quis possit?

SALOMO: Ad singula vicissim. Primum, rationem a Deo rerum suarum exposcere, scelus, ambigere nefas est. Nam quod aliena concupiscere vetat lex divina, alienum est ab omnibus legibus humanis, atque in eo potissimum praestantia divinae legis [6]) enitet, quae securim non modo ad caudicem et ramos, sed etiam ad radices et fibras flagitiorum omnium admovit. Quisquis enim erumpentes cupiditates coercere potest, is profecto imperatoris invicti laudem meretur. Qui vero aliena concupiscit, jam scelus admisit, etsi [7])

---

1) Alibi: edictum. 2) Alii: pietate. 3) Alibi: quum. 4) Addunt alii: id est ad. 5) Alibi: an. 6) Alius: lucis. 7) Alius: etiamsi.

pravas cupiditates ad exitum perducere non potuerit, quoniam, ut possit, omnia pertentabit, sed recisa libidine nihil unquam molietur. Nihil autem mirum, si [1]) homines hominum cupiditatibus leges nullas posuerunt, quia nec praemia merentibus nec poenas [2]) irrogare potuissent, quippe sensus animorum [3]) non videntur, id unius Dei proprium est, qui abditas animorum latebras pervestigat ac propterea καρδιογνώστης appellatur [4]). Neque enim actionum ac sermonum prius quam cogitationum praeputia circumcidi jubet. Et quemadmodum Deus [5]) accepta ferre et praemia tribuere solet praeclaris hominum voluntatibus, ita quoque perinde ac homicidam habet, qui occidere cum maxime vellet, non potuit tamen, quia plus peccatur ipsa mente, quae pravitati acquievit, quam sceleris executione, quae ad sensus, satellites animi, quasi ad principis ministros refertur.

CORONAEUS: Sed ad quietem septimi diei redeamus, quaenam ratio subesse potest?

SALOMO: Rationem suae legis, quod rarissime fit, subjecit legislator ipse: Quoniam, inquit, sex diebus coelum, maria, terram [6]), quaeque his continentur omnia, Deus creavit ac septimo die requievit, eique benedixit ac sanctificavit illum. Et quominus ambigeretur, pluribus verbis caput illud declaravit, quam totius decalogi capita, nec unquam aliis diebus benedixisse aut eos [7]) sibi consecrasse [8]) legimus. Nam cum populus universus instruendo Dei sacrario et instrumentis sacrarii valde occuparetur, diem tamen septimum Deus excipiens: Nihilominus, inquit [9]), mea sabbatha colite, quoniam illa sunt quasi tesserae secretiores et arcana inter me et vos posterosque vestros, ut intelligatis, me esse Deum aeternum, qui sanctifico vos. Feriamini igitur sabbathum, quoniam sanctum vobis est [10]): quisquis ullum opus fecerit die sabbathi, de coetu populi excindatur [11]). Sex dies sufficiant [12]) rebus agendis, dies septimus quies esto sancta Deo aeterno, quisquis opus ullum fecerit, morte afficiatur. Conquiescant igitur filii Israel die septimo, ut colant sabbathum foedere sempiterno, quoniam illud est arcanum et tessera inter me et filios Israel, tessera, inquam, sempiterna, quoniam sex diebus Deus condidit coelum et terram, septimo quievit. — Haec ille. Videtis, cum homines, liberos, servos, jumenta sanctissimo illo die conquiescere jussisset, quanta verborum copia, quam exquisita ratione iterum atque iterum inculcat. Neque eo contentus populum universum rursus convocari jussit, deinde coacta [13]) concione legislator quasi legem novam laturus: Haec sunt, inquit [14]), quae

1) Alii: sed. 2) Desunt alibi haec duo verba. 3) Alibi: animi. 4) Jerem. 12. 5) Deuteron. 11. 6) Septem haec sequentia verba desunt in alio codice. 7) Alibi: nos. 8) Alibi: conservasse. 9) Exod. 20, 31 et 34. 10) Alibi: erit. 11) Alibi: exscindetur. 12) Alibi: sufficient. 13) Alii: convocata. 14) Exod. 35.

mandavit Deus. Sex dies negotiis agendis aut operi tribuantur, dies septimus sit vobis sacer, quia sabbathum requies est Deo. Quisquis opus ullum in eo fecerit, moriatur, ne accendatis ignem in domiciliis vestris. Item alibi [1]): Admonete populum Israelem, ut sabbatha sanctissime colat. Id autem saepissime repetitum legimus, et cum maleferiatus quidam septimo [2]) die ligna legisset [3]), Moses sententiam, tametsi jam lex lata erat, non prius ferendam putavit, quam judicem Deum appellaret, qui eum capitali supplicio damnatum lapidibus obrui mandavit. Illud et mirabilius [4]), quod cum manna caducum singulis diebus plueret, die tamen septimo nihil decidere solebat [5]). Cum autem e tentoriis die septimo quidam egressi fuissent, quasi manna collecturi, Deus ita exarsit eosque oratione acerbo increpans: Quousque, inquit, tentabitis me? dedi vobis sabbathum ad requiem, ut die sexto duplices cibos colligatis, consistite igitur in tentoriis die septimo, nec quisquam posthac foris egrediatur. Item urbe Hierosolymorum obsessa et lata jam de excidio sententia, liberationem omnem Jeremias [6]) Deo jubente pollicetur, si sabbatha sancta colerent. Itaque Deus apud Jesaiam exclamans [7]): O beatum, inquit, illum, qui sabbathum meum delicias suas appellat! Item paulo post: Quisquis metuit mea sabbatha temerare ac foedus illud sanctissimae quietis coluerit, hunc ego sublimem proveham in montem sanctum meum, i. e. in coelum. Quid Ezechiel? ubi sabbathum appellat Dei sacramentum ac tesseram secretiorem inter Deum et populum Israelis [8]). Ac propterea theologi [9]) sabbathorum rationes ac leges copiosissime amplexi sunt.

CURTIUS: Hanc opinor causam fuisse, cur acutissimus [10]) quidam theologus [11]) ad stuporem usque miretur, tot ac tam multis capitibus legum divinarum ac prophetiarum sabbathi otia inculcari, quasi, inquit, ejus diei cultu et quiete summa divinae legis et salutis nostrae [12]) contineatur. Idem quoque negat, sabbathum aut legem a Christo fuisse abrogatam, eosque reprehendit, qui aliter sentiunt.

OCTAVIUS: Ego Ismaelitas non aliam habuisse causam judico, cur pro septimo die sextum feriari soleant, quam ut a Christianis aeque ac Judaeis festo die segregarentur, ut Christiani, qui primum diem pro septimo ad colendum sibi proposuerunt, ut a Judaeis secederent. Nam si jure diem sextum Ismaelitae feriarentur, propter fugam Mahummedis ab hostibus [13]) prostrati ac vulnerati die sexto, profecto aequius erat, Christianos sextum

---

1) Num. 15. 2) Alibi: sabbathi. 3) Alii: collegisset. 4) Alibi: mirum. 5) Exod. 16. 6) Thren. 15 et 17. 7) Jes. 56, 58. 8) Ezech. 20 sq. Alibi: Israelem. 9) L. 2 Pandect. c. 4 et 24 (Talmud). 10) Alii: argutissimus, vel: augustissimus. 11) Calvin. inst. cp. 4. 12) Deest alibi. 13) Alibi: hoste.

diem, quo Christus supplicio affectus est, feriari [1]), quam primum, quo dicitur revixisse.

TORALBA: Miror ego, Ismaelitas et Christianos cum Judaeis in eo convenire, quod decalogus divina voce promulgatus aeternam haberet, quasi naturae lex, auctoritatem, eos tamen quietem festivam commutavisse, „cultuque Judaeo septima sacrare", ut poetae verbis utar [2]).

FRIDERICUS: Ideone Christiani Judaeorum superstitionibus ullis obligati [3]) teneantur?

SALOMO: Si decalogi [4]) quartum sacrosanctum est, caetera quoque sacrosancta sunt; sin profana quaedam superstitio, caeteras quoque decalogi leges pessum ire necesse est, quas tamen aeternas et immutabiles nulla [5]) exceptione confitentur.

TORALBA: Caetera quidem decalogi capita natura ipsa dictitat, quartum non item, ut etiam Abraham Aben Esra ingenue fatetur.

SALOMO: Cum Deus lapidibus obrui jussisset eum, qui die sabbathi ligna colligerat, ad Mosen conversus: Dic, inquit, populo, ut fimbrias ac vittas hyacintho infectas extremis vestium oris assuant, ut in eas intuentes omnia Dei jussa ad animum revocare consuescant eaque exsequantur, neque curiosius pervestigate apud vos, aut curiosius post oculos vestros exquirite, quibuscum scortari consuevistis.

FRIDERICUS: Cur non liceat festam quietem agere, mundi creationem recolere, Dei beneficia commemorare ac naturae parentem crebris laudibus celebrare, die primo aeque ac septimo? Nihil enim, utro die id fiat, ad sanctitatem referre videtur.

SALOMO: Si nihil refert, utrum feriari debeamus primum diem an septimum, cur primum potius quam septimum contra perspicua Dei jussa eligendum [6]) putas, nisi veri Dei leges opera data [7]) proculcare velis? Tu diem tuum natalem festis epulis recolere libentissime soles, non hesternum, cur septimum diem, mundi natalem, rejicis, ut pridie vel postridie festum agas? At nulli diei Deus praeter septimum benedixit, nullum diem praeter septimum sanctificavit, non sextum, non primum sibi consecravit [8]). Quanquam ista vetus paganorum impietas diem solis appellatione diserta [9]) feriari jubet [10]), quo quid sceleratius?

CURTIUS: Ita quidem scripta lex est, non quod soli sacra fiant, ut scis tu quidem, Salomo, sed quia in ferendis legibus, ut perspicuae sint, ad populi captum loqui necesse est.

SALOMO: Igitur errore populari omisso, cum Deus prospiceret futu-

---

1) Alibi: celebrare. 2) Ovidius in Fast. 3) Deest alibi. 4) Alii legunt: Ut decalogi capita, ita etiam sacrosanctum est, quae tamen aeterna et immutabilia confitentur. 5) Alibi: sine ulla. 6) Alius: optandum. 7) Alibi: debita, vel: dedita. 8) Alius: benedixit. 9) Omittuntur duo haec verba antecedentia in alio codice. 10) Alibi: jubent.

rum, ut imperitorum hominum inscitia dicam an impietate, creationis memoria ex animis hominum obliteraretur, diem mundi natalem jussit solenni cultu celebrari. Fuit enim tanta Aristotelis et Epicuri vel impietas vel ignorantia vel utrumque, ut mundum aeternum fuisse ac fore existimarent, contra quam superius demonstratum est. Neque solum diem [1]) septimum, sed mensem quoque septimum, quo creatus est mundus, clara plurimarum feriarum memoria posteritati commendavit, legum quoque divinarum lectionem eo mense ac die, quo mundi creatio perfecta est, auspicari jussit. Anno septimo agricultura deseri jubetur. Item eo die ac mense, quo mundi creatio consummata est, pontifices ipsi a capite leges divinas incipiunt omnibus interpretari, accensa facium ac lucernarum maxima copia, quem morem ab Aegyptiis observari scribit Herodotus [2]), qui mos antiquissimus, mundi creationis index, nondum ab usu exolevit. Hunc autem creationis mensem Ethanim [3]) i. e. illustrium Chaldaei vocant, quoniam eo potissimum mense, quo mundus conditus est, magnorum virorum ortus et occasus ac rerum publicarum insignes conversiones accidere consueverunt. Dies autem creationis in tota natura tam clarus est, ac prae caeteris tam [4]) perspicuus, ut nemo dubitare debeat [5]), legem de quiete sabbathi omnium maximo naturalem et universae naturae consentaneum esse. Sed manum de tabula!

CORONAEUS: Cur manum de tabula? aut quamobrem propositae orationis filum abrumpis eo loco, quem potissimum quaerimus, scilicet quietem diei septimi perinde naturalem esse, ac caetera decalogi capita?

SALOMO: Quia metuo, ea [6]) quae in arcanis divinis latent, oratione temerare; nec tam multa dixissem, nisi vos rerum divinarum amantissimos intelligerem.

CORONAEUS: Ne igitur nobis sublimium rerum veneratoribus [7]) ac divinarum invideas haec arcana.

SALOMO: Ego quidem pauca de multis. Septimo die corporibus robur et incrementum praecipue additur; bonorum etiam virorum sapientia eo die potissimum augetur, ut majores nostri a prophetis didicerunt; in sceleratos autem ultio aëris [8]) potestatibus eo die potissimum permittitur. Quod saepe quidem, sed nunquam plenius [9]) intellectum est, quam in Aegypto stupenda clade, qua [10]) omnia hominum ac bestiarum primogenita totius regni longe late patentis nocte media diei septimi eodem momento interierunt, Asmodaeis caedentibus [11]). Quare lex divina circumcisionem infantis in octavam diem prorogari jubet, ut sabbathum sanctum intercedens robur addat infanti. Quin etiam medici de morbo aut accepto vulnere statuere nihil solent ante octavum diem, propter septimi vim ac potestatem. Illud autem ab omni

1) Desunt haec quinque sequentia verba in aliis codicibus. 2) Historiarum Libro II. 3) Alius: Ethranim. 4) Deest in aliis codicibus. 5) Alii: deberet. 6) Deest in aliis codicibus. 7) Alibi: venatoribus. 8) Alius: aëriis. 9) Alius: planius. 10) Alii: quae. 11) Alii: cadentibus.

antiquitate compertum est, noxios daemones initio diei septimi, i. e. post occasum solis diei sexti, sceleratos agitare [1]), ab electis vero procul arceri [2]). Sic enim interpretandum est illud cujusdam Rabbini theologi, qui septimo die daemones noxios ab angelis coërceri dicit, ne scilicet bonis infesti sint. Ex quo intelligitur, totam rerum naturam sanctissimi illius diei vim ita sentire, ut etiam [3]) vulgari proverbio jactari soleat: nullum unquam [4]) sabbathi diem praeteriisse, quo sol se hominibus non praebeat contuendum. Et quidem nisi horizontis obliquitas ultra sexagesimam partem circuli magni versus utrumque polum terris intercedentibus solis adspectum auferat, sol die septimo clarior conspici [5]) consuevit, aut coeli spirabilis status mutari, ut si ardentissimo calore sex diebus coelum infectum fuerit, die sabbathi nubibus roscidis aut aquilonibus [6]) aliquo modo refrigeratur, sin perpetuis [7]) nubibus vel nebulis caliginosum extiterit totos sex dies, sabbatho solis splendore dies serena temperatur. Item qui morbis aut febribus continuis conflictantur, nisi desperata salus est, die septimo mitiores sentiunt dolores. Huc etiam pertinet Graeci illius philosophi [8]) quaestio vetus: cur die sabbathi aër mutatur? illud enim ab omni antiquitate penitus exploratum est. Mens autem boni viri ac Deum metuentis, quae rerum coelestium contemplatione ac laudibus divinis quasi epulis delicatissimis pascitur die sancto, et quae hominem ab homine seducit, eo fit aptior ad hauriendum divinae lucis fulgorem, quae [9]) die septimo prae caeteris copiosius affulget [10]). Hic autem humanae mentis in Deum raptus pretiosa mors a Davide [11]) et osculum oris divini appellatur a Salomone [12]). Quid? quod [13]) Josephus antiquitatum scriptor clarissimus tradit, fluvium sabbathicum in Syria sic appellari, quod non nisi isto die fluere consuescat [14]).

TORALBA: Fateor equidem, diei septimi arcana valde mirabilia mihi fuisse hactenus incognita.

CURTIUS: Non dubito, quin mentis agitatio ac meditatio ingenium vehementer exacuat. Concedo et illud, nihil praeclarius [15]) ab homine fieri posse, quam Dei optimi maximi beneficia, leges, actiones, opera contemplari et ex his laudes ejus eruere ac praedicare. Sed [16]) cum primi illi parentes humani generis ante legem de cultu diei septimi nullam ad contemplationis praesidia dierum discretionem adhibuerint, non videbam, cur subtilius rationem temporum exquirere deberemus, aut cur diem septimum quam caeteros [17]) sanctiorem esse praedicaremus.

FRIDERICUS: Nulla dierum distinctio est in coelo [18]) ac ne in terra quidem ubique; est enim [19]) ultra sexagesimam magni circuli partem tanta lucis

---

1) Alibi: agere. 2) Alibi: proculcari. 3) Alibi: et. 4) Alii: Nullum, inquam. 5) Alii: aspici. 6) Alius: aquilonaribus. 7) Alius: continuis. 8) Justinus Martyr, qu. 69. 9) Alii: qui, vel: quo. 10) Alibi: effulget. 11) Psalm. 116, 15. 12) Cant. 1, 1. 13) Alibi: Quin. 14) Lib. 7 de bello jud. cp. 24. 15) Alibi: pulcrius. 16) Alii: Sic. 17) Alibi: caeteris. 18) Alibi: coelis. 19) Deest in aliis codicibus.

ac tenebrarum varietas, ut ad utrumque polum accedentibus post septuagesimam coeli partem dies menstrua sit, propius bimestris, trimestris, quadrimestris, sive pro 24 horis bis mille octingentas [1]) horas diem sine sole supra horizontem continuo videre, et [2]) sub utroque polo dies unus est semestris sine solis ortu, nox item una sine solis occasu semestris, et cum alii 365 dies habeant, anno vertente, qui sub polo versantur, diem unum et noctem unam habeant, utramque semestrem.

SALOMO: Ultra septuagesimam partem meridiani circuli polum versus nullis mortalibus ulla statio patet, et ut pateat, quis tam stupidus, quin [3]) solis circuitum horarum 24, sive supra sive infra horizontem, denotare non possit?

FRIDERICUS: Id fortasse doctiores, sole supra horizontem existente [4]), observare possunt, sed quis semestri nocte discrimen illud annotaret? Sed ut ab utroque polo ad regiones medias redeamus, fieri nullo modo potest, ut eadem dies septima esse possit toto terrarum orbe, quia cum occasu solis incipit [5]) sabbathum maximum, mense Aprili hora sexta pomeridiana [6]) in urbe Hierosolymitana, eodem momento regionibus Brasilianis Indorum meridies est; ex quo necesse est, sex horarum intervallo diem septimum citius auspicari Hierosolymis, quam populis [7]) Brasilianis.

SALOMO: Argute quidem Fridericus, sed quis in tanta oceani ac terrarum ab ultima Syria usque in Americam regionem immensitate, i. e. milliaribus amplius 6060, diem septimum putet confundi posse? Argutias igitur omittamus ac diem septimum, qui tot ac tam multis argumentis tamque perspicuis naturae demonstrationibus illustratur [8]), ad divinas aeque ac naturae leges pertinere fateamur.

FRIDERICUS: Si septima dies sola sit sancta, cur a vobis nova luna [9]) trigesimo quoque die colitur?

SALOMO: Nulla dies divinis laudibus aut actionibus honestis eximitur, sed potissimum dies septimus creationis mundi ac trigesimus divinae procurationis index festivus esse jubetur, quia non satis erat, mundum condidisse, nisi rebus genitis [10]) Deus prospiceret ac statum, conditionem, alimenta, incrementa, vicissitudines rerum omnium tueretur [11]).

OCTAVIUS: Illud est, opinor, quod innuit Horatius [12]), ubi τὴν τριακάδα Judaicam vocat trigesima sabbatha, quanquam non solum Judaei, sed et Graeci ac Latini novilunia festis diebus colebant, ut Juvenalis hoc versu significat [13]):

Observant ubi festa mero pede sabbatha reges,

et Plutarchus περὶ δεισιδαιμονίας.

---

1) Addunt alii: octoginta. 2) Alibi: ut. 3) Alii: qui. 4) Alibi: stante. 5) Alius: incipiat. 6) Alii: promeridiana. 7) Alii: a populis. 8) Addunt alii: putemus confundi posse, sed. 9) Alii: ἱερομηνία. 10) Alibi: conditis. 11) Alibi: intueretur. 12) Sat. 1, 9. 13) Deest alibi.

CURTIUS: Nimia profecto superstitione Judaei Hierosolymam a Pompejo scalis admotis otiose [1]) expugnari ac cives omnes sponte [2]) velut in verriculo aut sagena rapi, partim [3]) etiam crudeliter mactari et urbem floridissimam [4]) opibus diripi die sabbathi patiebantur, quem Dio historicus Saturno fuisse sacratum scribit in hac expeditione, ubi Judaeos Vegetius [5]) aeque ac Plutarchus [6]) valde irrident.

SALOMO: Divina lex eos beavit, qui non subsederunt [7]) in subselliis derisorum [8]). Hanc quidem Hierosolymorum expugnationem, Strabo factam scribit ἐν νηστείᾳ τῶν Ἰουδαίων, cum tamen die sabbathi jejunare prohibeamur. At Josephus non a Strabone modo, sed etiam a Dione et Eusebio [9]) discrepat; scribit enim, urbem captam a Pompejo die Tamuz, M. Tullio Cicerone et M. Antonio consulibus, quod ut factum sit die septimo, Judaeorum tamen religionem [10]) ac numinis metum laudare potius, quam irridere deberent [11]).

FRIDERICUS: Agatharchides [12]) Cnidius leges ac religionem Judaeorum ob id maxime sprevit, quod [13]) Ptolemaeum Lagi filium Hierosolyma die sancto otiose invadere permisissent.

SALOMO: Res tamen ex animo [14]) cessit Judaeis. Nam Philadelphus Ptolemaeus Lagi filius urbem illam ac templum ingentibus donis ac largitionibus locupletavit, centum millia captivorum nostrae gentis, sua pecunia redemtos, manu misit, tabulam ex auro solidam [15]) duorum cubitorum ac semis in sacrarium sanctissimum intulit, theologos LXXII ingentibus donis ac largitionibus, ut sacra biblia ex Hebraeis graeca facerent, locupletavit, quo nihil majus ac melius ab ullo principe praestari potuisset.

FRIDERICUS: Sed negari non potest, quin supina illa negligentia dicam, an stultitia, plane capitalis fuerit, quod Judaei urbem florentissimam opibus, propugnaculis, juventute, otiosissime [16]) expugnari, liberos, uxores, templa sacratissima militum direptioni patere, quam die sabbathi tueri maluerunt. Nam quid aliud est, quam Dei bonitatem experiri ac tentare? ubi enim [17]) periculum a capite, a liberis, a familia propulsare die sabbathi vetuit? Prius enim [18]) Agamemnon arma quemque parare jubet, deinde a Jove victoriam precatur his verbis: δός μοι κατὰ πλῆρες ἑλεῖν Πριάμοιο μέλαθρον i. e. da mihi sublimem Priami subvertere sedem. Nam cum olim Romani inprimis religiose dies praeliares a festis discrevissent, ut M. Varro scribit, ab hostibus continuo lacessiti praeliares dies [19]) exemerunt, ne cuiquam deinceps religio injiceretur, diebus festis proelium committere.

---

1) Deest in alio codice. 2) Deest in eodem codice. 3) Deest in eodem codice. 4) Idem habet: florentissimam. 5) De re militari. 6) De superstitione. 7) Alius: consederunt. 8) Psalm. 1, 6. 9) Alius: Vegetio. 10) Alibi: religionis. 11) Alii: debemus. 12) Alius: Agatharchiades. 13) Joseph. antiq. jud. I, 12. 14) Alii: ex animi voto, vel: ex omni voto. 15) Alibi: solido. 16) Alius: atrocissime. 17) Addunt alii: obsecro. 18) Hom. Il. B, 414. 19) Alius addit: de festis.

SENAMUS: Jam quoque pridem Judaei dierum praeliarium religionem repudiarunt, nam Judas Maccabaeus strenuus imperator, cum die sabbathi Hierosolymam ab Antiocho Nobili expugnatam ac Judaeorum partem in speluncis exuri, partem mactari, partem suffocari non repugnantes audiisset, exercitui, quem ex fugitivis civibus collegerat, aperte declaravit, se pro delubris, pro focis, pro lege, pro civium salute, pro libertate etiam diebus sabbathis pugnaturum, ac deinceps ingentes de [1]) hostibus victorias adeptus est [2]) ac parva manu saepe legiones Antiochi vicit ac prostravit.

FRIDERICUS: Non religio, sed superstitio est, quod Judaei tam pertinaciter ab omnibus etiam necessariis negotiis die sabbathi sic abstinendum putant, ut ne filius quidem aquis parentem mersum aut fluvio [3]) interceptum eripiat, aut illata vulnera [4]), quo minus sanguis effluat, obligare velit. Quam superstitiosam crudelitatem Christus [5]) exhorruit, cum sacerdos viatorem vulneribus saucium die sabbathi deseruisset, rustici autem benignitatem laudavit, quod hominem languentem vulneribus obligatis jumento domum importari jussisset. Cum autem pontifices in Christum acerbe inveherentur, quod [6]) aegrotum septimo die curavisset ac lectum alio transferri jussisset [7]), ipse obtrectationes [8]) illorum verbo diluens: Sabbathum, inquit, propter hominem, non autem homo propter sabbathum conditus est; filius autem hominis dominus est sabbathi. Itaque curationes admirabiles [9]) multitudini, morborum innumerabilium varietate languenti, saepius die sabbathi mirifice ostentavit [10]).

CURTIUS: Simili superstitione insaniebat nauclerus ille Judaeus, quem Synesius [11]) scribit die sabbathi navis gubernacula in altissimis fluctibus deseruisse, nec ullo mortis aut tormentorum metu aut navis cum vectoribus periclitantis ad officium revocari potuisse.

SALOMO: Nos etiam leges non ad legum, sed ad hominum salutem latas arbitramur, nec putamus eum in legem quid commisisse, qui quid [12]) fecerit vetitum die sabbathi premente [13]) necessitate, quippe quae nullis coërceri legibus, nulla obligatione teneri potest. Si tamen demus, sabbatho curare licuisse, non propterea licuit asportare [14]) cubile. Illud enim potissimum arguebatur [15]), quod Christus lectum asportari [16]) jusserat. Quin etiam pontifex facti conscius plebem increpuit his verbis: Sex dies rebus agendis supersunt, his ergo diebus accedite ad curationem, non die sabbathi.

FRIDERICUS: Haec verba pontificis [17]) non eo pertinent, ut curare die septimo scelus arbitraretur, sed ut invidis obtrectatoribus omnem sui calumniandi praeriperet occasionem.

---

1) Alibi: ab. 2) Alius: reportavit. 3) Alius: flammis. 4) Alibi: illato vulnere. 5) Luc. 10, 31 sq. 6) Matth. 12. Luc. 6, 13 sq. 7) Alius: transferre mandasset. 8) Alibi: objectiones. 9) Alibi: admirabilis. 10) Matth. 12. Marc. 2. Joh. 7. 9. Luc. 1. 6. 13 sq. 11) In Epistolis. 12) Alibi: quicquid. 13) Alius: poscente. 14) Alius: exportare. 15) Alius: arguebant. 16) Alius: avehi. 17) Alibi: Christi.

CORONAEUS: Si morbus tam gravis est, ut dilatio vitae periculum sit allatura, etiam diebus festis curare licere ac semper licuisse non dubito. Sin facile unius diei moram ferre possit aegrotus, differendum opinor, dum festa quies praeterierit, quam nos Dominicam dicimus, quia domino sancta sit, ut sanctissimis christianae ecclesiae institutis docemur. Quibus acquievisse me profiteor ac prae me fero [1]), nec me argumentis cujusquam patiar auferri, aut a suscepta Romanorum pontificum religione divelli. Quod enim Salomo in allegoriis: Custodi, inquit, fili mi, jussa patris tui, nec dimitte legem matris tuae [2]), ego Dei mandata et ecclesiae interpretor [3]). Idem: Ne transferas terminum, quem majores tui pepigerunt [4]).

SALOMO: Patris quidem appellatione Deus, matris autem natura mihi significari videtur. Nec tamen dubito, quin ad ecclesiam quoque transferri possit, quae duobus annorum millibus ante floruerat, quam Jesus, Josephi et Mariae filius, nasceretur, qui tamen sabbathum saepissime coli jussit [5]), ac Paulus [6]) ipse sabbathismum populo Dei datum scribit, quibus verbis populum Dei a Christianis et barbaris aperte discrevit. Ac tametsi Christianorum oriens ecclesia diem primum, quem vos dominicum appellatis, initio feriaretur, non propterea a cultu sabbathi destiterat [7]) Tertulliani aetate, cujus haec verba sunt: Duas in anno hebdomadas ἀπὸ κρεοφαγίας [8]) abstinemus exceptis sabbathis et dominicis. Item: Sabbathis omnibus, qui adierit [9]), inveniet Deum.

CURTIUS: Justinus eodem, quo Tertullianus, tempore floruit et apologiam eodem tempore pro Christianis scripsit ad M. Aurelium Augustum, in qua fatetur, Christianos ad preces et eucharistiae communionem diebus dominicis convenire solitos, nihil tamen de sabbatho. Ac tametsi primordio nascentis ecclesiae christianae plerique circumciderentur, ut etiamnunc his temporibus Aethiopes Christiani, et sabbathum feriarentur [10]), nihilominus tamen Paulus, frequenti discipulorum concilio coacto, Petrum increpuit ac legitimos majorum ritus abrogandos esse communi decreto persuasit [11]). Itaque cum ad Colossenses [12]) scriberet: Ne quis, inquit, vos judicet in cibo aut [13]) potu, vel parte diei festi vel noviluniis vel sabbathorum, quae sunt umbra futurorum.

CORONAEUS: Fieri potuit, ut primus ac septimus dies Christianis festivus exstiterit; sed cum utriusque diei conservatio rebus agendis grave afferret impedimentum, Victor pontifex Romanus sub annum Christi 196 sabbathi quietem valere jussit ac pro sabbatho dominicam feriari.

---

1) Alibi: praefero, vel: pro me fero. 2) Proverb. 6, 20. 3) Alius: interpretabor. 4) Proverb. 22, 28. 5) Lucae 17. 6) Hebr. 4. 7) Alibi: desistebat. 8) Alii: κρεοφαγιῶν. 9) Alibi: audierit. 10) Alibi: feriantur. 11) Act. 15, 22 sqq. Gal. 2, 14 sqq. 12) Col. 2, 16 sq. 13) Alibi: vel.

SALOMO: Cave putes, Coronaee, me Christianis persuadere [1]) velle, ut pro dominica sabbathum accipiatis, ne diem sanctissimum sabbathi aeque ac Dominicam saltationibus impudicis, crapula, libidine, venationibus, lusibus, denique impuris scortationibus foedissime contaminari videam non sine maximo animi dolore. Praestat, illum diem negotiis ac rebus agendis transigere, quam impurissimis flagitiis violare.

SENAMUS: Vos Judaei tetrici ac tristes non videmini dies festos colere, quos veteres omnes tum Graeci tum Latini ludibus publicis, conviviis, choreis, canticis, saltationibus laetiores esse voluerunt ac propterea Diis immortalibus gratiores.

SALOMO: Non abhorret gens nostra a choreis et saltationibus, quin et dies festus nobis vocatur חַג [2]) a saltatione et meditatione, ne festi dies choreis tantum divinis, sed meditationibus etiam tribuantur. Itaque noviluniorum diebus [3]) omnes omnibus [4]) oblectationum generibus, quae modo [5]) a turpitudine abhorrent, summopere delectamur [6]), nec quicquam nobis saepius ingeritur, quam ut intimi animi pectoribus laetemur ac, tametsi sanctissimo die sabbathi a vulgaribus choreis abstineamus, canticis tamen divinarum laudum, suavitate vocum ac nervorum admista, diem illum laetissimum ac jucundissimum reddere solemus, ac festis epulis coram immortali Deo obtestamur, nos [7]) summa cum laetitia cibis sacrificiorum optimis vesci, ut lege divina jubemur, nihilominus tamen aliquot horas mentem legum divinarum lectione pascimus [8]), idque ab antiquissimis prophetarum discipulis ad haec usque tempora usurpare solemus. Sic enim de Sunamitide ad Elisaeum profecta [9]): Cur, inquit [10]), maritus uxori, venis ad prophetam, cum nec sit luna nova, nec sabbathum? Licet enim duobus milliaribus, non tamen longius a domo discedere, ut oracula divina ab eruditis theologis hauriantur. Quod autem Senamus tristiores et moestiores nos caeteris nationibus videri queritur, haec potissimum causa est, quod non modo sabbathum, sed etiam omnia decalogi capita impune violari videmus [11]). Nam cum primo capite unius aeterni Dei cultus proponatur, nihilominus tamen sexcenta millia Deorum ac multo plura [12]) videmus ubique coli. Veteres quidem pagani trecentos Joves, ut ille [13]):

Trecentum tonat ore Deo Erebumque Chaosque,

et quae plura hyperbole amplificat, ad 36000 prodidere; at videmus [14]) tot a Christianis Deos coli, quot angelos, quot beatas mentes arbitrantur, i. e. innumerabiles prope legiones, praeter eos, quos divorum albo pontifices, evocatis arte magica daemonibus, scripsere detestanda quadam apotheosi [15]). Et cum secundo

---

1) Alibi: persuasisse. 2) Deest in alio codice. 3) Alibi: dies. 4) Alibi: omnium. 5) Alibi: quomodo ..... abhorreat. 6) Alius: oblectamur. 7) Deest in aliis codicibus. 8) Alius: pasci, ita ut antecedenti verbo vesci correspondeat. 9) Alibi: profectura. 10) 2 (4) Regum 4, 8 sqq. 11) Alius: violare debemus. 12) Alibi: plures. 13) Virgilii Aeneis IV. 14) Alibi: ut videamus. 15) Alii: ἀποθεώσει.

capite decalogi ante statuas aut ullas imagines procidere easque revereri capitali subjecta poena prohibeamur, omnia tamen fana, omnes templorum angulos ac recessus quaqua versus sculptilibus idolis redundare videmus, et quidem ex omni materia, ex omnibus metallis, lapidibus, lignis, terra, cera, farina, ipsaque putrida cadavera, pulpam aceto et sale conditam, ossa, cineres, cereis ardentibus deosculari, et eorum contactu non modo corpori salubritatem, sed etiam menti sanctitatem et ubique salutem comparari putant. Illud etiam detestabilius, quod in omnibus horariis precationibus [1]) secundum decalogi caput, quo statuarum cultus interdicitur, non modo in Italia, Gallia, Hispania, verum etiam in ipsa Germania ex ipso decalogo expunxerunt [2]) ac penitus abraserunt. Ac mirum mihi visum est, cur Martinus Lutherus negat [3]), ullas imagines lege divina prohiberi, praeterquam ipsius Dei, non item crucifixi et [4]) apostolorum, deinde subjicit: Nos Mosen nec audire nec videre volumus, mandata de statuis et sabbatho sunt ceremoniae sublatae. Quae quis aequa mente ferre potest? in eo praesertim, qui se religionum censorem profiteatur. Tertium decalogi caput, quo nomen domini temere usurpare prohibemur, multo gravius etiam quam superiora violatur: quia non modo pejeratur, verum etiam contumeliis nomen illius sacratissimum [5]) dilaceratur, ac pro aeterno Deo peregrina Deorum ac daemonum nomina jurantur, cum toties ac tam diserte [6]) aliud quam aeterni Dei nomen ac numen [7]) jurare prohibeamur. Omitto secundae tabulae capita ac potissimum scortationes, adulteria, stupra et utriusque sexus ab ordinibus sacris libidines, continentiae specie turpiter effusas.

Quae cum Salomo vehementius, quam pro senili aetate, dixisset, silentium secutum est. Silentii causa fuit, quod ejus oratio CORONAEUM, acerrimum rituum Romanorum propugnatorem, pupugerat, qui cum se ad responsionem [8]) comparare videretur [9]), omnibus in eum intentis, sermonem cohibuit, rupto silentio: Mihi, inquit, in animo erat, Salomonis querelas et criminationes diluere, sed in aliud tempus differendum puto, ne de libertate dicendi quicquam cuiquam detraxisse videamur [10]).

OCTAVIUS: Etiam animi pendeo, loquarne an taceam?

CORONAEUS: Cur taceas, cum tam copiosa dicendi seges proponatur, si vel Salomonem refellere velis?

OCTAVIUS: Cum religionem Ismaëlitarum et instituta cum moribus ac ritibus Christianorum comparo, mihi videor in terras de sublimi delapsus coelo. Nam Ismaëlitae summa veneratione Deum aeternum, nec plures uno colunt, Jesum autem ipsum Isaiam vocant, non modo verbum, sed etiam spiritum ac nuncium Dei fuisse agnoscunt et manibus hostium ereptum, quo-

---

1) Deest in alio codice. 2) Alius: induxerunt. 3) Tom. III. (Jen. ed.) — Alibi: neget. 4) Alibi: aut. 5) Alibi: sanctissimum. 6) Deuteron. 9. Jerem. 5 et 12. 7) Desunt haec duo verba in alio codice. 8) Alii: reprehensionem. 9) Alii: paratum videret. 10) Alibi: videar.

minus ab improbis capitali supplicio afficeretur. Hunc autem nec Deum, nec Dei filium [1]) arbitrantur, ac propterea sanctissime vetant adorari. Abrahami legem se tueri profitentur, ac Deum eundem colere, quem ille vivens ac spirans adoravit. A cultu statuarum tantopere abhorrent, ut non modo in templis ac delubris nusquam unquam [2]) caelatas vel sculptas vel fusas vel pictas imagines, verum etiam nihil eorum, quae natura peperit, seu stirpes, seu animantia pingere liceat, aut ad spectaculi fructum usquam haberi, subjecta legibus vetantibus poena capitali. Et [3]) quidem, cum statuas Christianorum quasi ad virtutis imitationem positas excusarem, Pracadius quidam illud mihi reposuit, eos ipsos, quorum statuas veneremur, coelesti felicitate frui, quod divorum imagines dejecissent, ut [4]) Deum aeternum adorarent. Psalmos Davidis, quos divinitus hominum generi [5]) datos affirmant, cantibus ac nervis usurpare et quater quidem interdiu publice, noctu semel privatim precari consueverunt. Ac memini, cum essem eodem cubiculo [6]) hospitii cum Africano inclusus, illum media nocte surgentem a cubili laudes Deo immortali canere ac me graviter increpare, quod tacerem, usurpans illud arabica lingua: Media nocte surgebam, ut laudem dicerem nomini tuo [7]); tum et illud ex libris Jobi afferebat: Multi, inquit, queruntur, se opprimi tyrannide et cum calamitatibus conflictari, nemo tamen est, qui Deum nocte laudatoriis canticis prosequatur.

CORONAEUS: Ecclesiae Romanae mos jam inde a Pelagio, pontifice maximo, usitatus est, septies singulis diebus Deum laudibus, supplicationibus et canticis die noctuque colere. Quod ab ipso Davide [8]) didicimus et expressimus: Septies, inquit, interdiu tibi dixi laudem; quod nec Judaei faciunt, nec Lutherani, nec Zwingliani, qui sacra publica ita circumciderunt (excipio Anglos, segregatos a Puritanis), ut bis tantum tota hebdomade preces publice [9]) fieri patiantur.

SALOMO: Lex divina pontifices et Levitas mane ac vesperi Deo laudes canere jubet et matutinum quidem sacrificium quatuor horarum fuisse scribit Rabbi David, vespertinum unius horae, privatim vero laudes divinas assidue quemque momentis omnibus recolere laudatissimum. Nam laudare septies apud Davidem non finitum numerum, ut ecclesia Romana putat, sed infinitum continet seu incertum, ut fere semper. Sic enim mater Samuelis [10]), cum Deo gratularetur: Sterilis, inquit, peperit septem. Nocturnas vero laudes privatim ex cujusque voto fieri majores voluerunt, quibus nihil efficacius, nihil gratius esse potest.

OCTAVIUS: Rogationes Ismaëlitarum breves quidem sunt, sed supra

1) Alii addunt: esse, vel: fuisse. 2) Alii: nulla usquam. 3) Aliter legit alius codex: Et quidem eo minus statuas venerantur, ut etiam felicitate coelesti se frui glorientur, quod divorum etc. 4) Alibi: ac. 5) Alibi: hominibus quasi. 6) Alibi: cubiculorum. 7) Psalm. 42, 4 sq. et 119, 55. 8) Psalm. 119. 164. 9) Alius: publicas. 10) 1 Sam. 1, 6 sqq.

modum efficaces in hunc modum: El hemdu, tilla hi rabis hallamine, El rahami, El rachini, Melichi, Jarini, El dini, ejahe, rah tu vejache, vestecun Isdina. Elzzirata Mustitfa mazzirata cladina evanta alahim gari ri il magduli olahem velal soline amim. Id est: Laus Deo misericordi ac flexibili regi extremi judicii! O mortales pietatis amantes, colamus illum et auxilium consequamur, da nobis, aeterne Deus, certissimam cognitionem eorum, quos selegisti, ut nunquam, illis offensis, ex gratia tua excedam. Amen. Haec precatio ab illis Lassala [1]) dicitur i. e. communis omnium, quia praeter hanc variae sunt preces ac paene innumerabiles, quas ex voto sibi quisque commentatur.

CORONAEUS: Non video, cur Pater noster Christi cedere debeat Lassalae Ismaëlitarum aut schema Hebraeorum.

SALOMO: Nostrum illud schema, quod ab omnibus Judaeis quotidie usurpatur, non est precatio, sed commemoratio, ne ab aeterno Dei cultu unquam discedamus. Quin Moses in concione totius populi eadem verba sic expressit, quae a Latinis et Graecis non satis apte reddita mihi videntur. Sic enim opinor melius [2]): Audi Israël! Is qui est aeternus Deus noster, aeternus est unus, amabis igitur Deum tuum aeternum ex toto corde tuo et tota anima tua et toto impetu virium tuarum. Atque haec verba, quae jubeo, in corde tuo haerebunt, eaque saepius inculcabis liberis tuis, seu domi sedeas, seu ambules, seu jaceas, seu surgas, et alligabis ea ad manum, et quasi monumenta erunt pro oculis tuis, quin et asscribas ea postibus domus tuae et pro foribus tuis. Illud est schema nostrum, quod in membranis vitulinis [3]) scriptum et in capsulis conditum brachio sinistro alligamus quidem et capiti inter caesariem et frontem, idque chaldaica vox Tephilin a תְּפַל, quod alligare vel appendere [4]) significat: alii ab hebraica voce תפלתן, quae orationem significat [5]), quoniam ea quotidie quasi preces sanctissimas recolunt. In iisdem etiam membranis inscribunt periodum e decimo tertio capite Exodi, quae incipit: Memento diei hujus, quo egressus es ex Aegypto, usque ad haec verba: A diebus in dies [6]), et ex eodem capite, paulo post periodum, quae incipit: Et erit, cum introducet te, usque ad haec verba: quod potenti manu eduxerit nos Deus ex Aegypto [7]). Item periodum ex secundo capite Deuteronomii, quod incipit: Exit itaque si audiendo, usque ad haec verba: coelum supra terram [8]).

FRIDERICUS: Tanta Judaeorum superstitio est, ut satis esse putent ad salutem adipiscendam, eas membranas circumferre, ut [9]) quidem Catholici

---

1) Alibi: Lessala. 2) Deuter. 6, 4 sqq. 3) Alius: fibulanis. 4) Alibi: apprehendere. 5) Desunt haec octo antecedentia verba in aliis codicibus. 6) Exod. 13, 3 sq. 7) Exod. 13, 7—9. 8) Deuter. 11, 1 sqq. 9) Alibi: et.

principium evangelii Johannis collo alligant, ea spe ac fiducia, ut ab omnibus calamitatibus ac morbis tuti sint, quas ligaturas execrabiles appellat Augustinus.

SALOMO: De nostris si ullus ea spe ac fiducia ducatur, ut earum rerum sola gestatio ad salutem prosit, quem puto esse neminem, hunc insanire judico. Sed haec summa capita majores nostri ab unoquoque nostrum circumferri voluerunt, ut quotiescunque capsulas vel in postibus videant Mezazam, primi capitis, et divinae legis memores ab omni cultu peregrinorum numinum abstinere, et ad verum Deum vitam instituere consuescant.

OCTAVIUS: Ab omnibus ligaturis istis ac pictis imaginibus Ismaëlitae abhorrent et veram pietatem amplectuntur. Illud etiam praeclare, quod Mesquedas vel [1]) fana sic construunt, ut nec a viris foeminae conspici, nec viros foeminae contueri possint, sed habeant utrique stationes medio pariete discretas.

SALOMO: Haec a nostris, ut optima quaeque, assumserunt [2]) et expresserunt Ismaëlitae, ut nec in templis nec in synagogis viri foeminas intueri possint. Ita fit, ut nullae pravae cupiditatis inflammandae occasio aut lenociniorum illecebrae ullae quaerantur.

CURTIUS: Utinam mos ille nostris hominibus in mentem veniret! Cur enim laudabilia instituta, ubiubi sint, non imitemur? Illud enim quodammodo asseverare possumus, nulla fere templa Christianorum lenocinio vacare.

SALOMO: Nihil flagitiosius mihi videtur, quam pietatis faciem libidini obtendere; ob id enim sublatus est mos a majoribus nostris, quo feminae prae foribus tentorii sacri [3]) excubabant [4]), propterea quod sacerdotes, filii pontificis maximi ac principis Eli, stuprum his inferre non dubitarint [5]). Maxima semper cura fuit majoribus nostris, non modo impudicitiam, sed impudicitiae suspicionem a sacris longissime amovere [6]). Quin [7]) etiam meretrices ab extrema memoria majorum nostrorum nunquam nisi vultu velato foras prodibant. Post etiam in Arabia omnes Hebraeae mulieres capitibus omnino praeter oculos contectae fuerunt, cum in publicum exirent. Tandem etiam in templis non modo velari, sed etiam parietibus a virorum conspectu segregari placuit, quod sapienter Ismaëlitae imitati templa omnia parietibus habuere utrique sexui divisa.

FRIDERICUS: Nulla calumnia [8]) graviore Christiani veteres oppressi dicuntur, quam quod stupris et incestibus nocturna sacra religionis specie funestarent, quam quidem ad calumniam diluendam scriptae sunt apologiae Origenis, Justini, Athenagorae, Tertulliani, atque hic etiam in libro de ve-

1) Alii: seu. 2) Alii: acceperunt, vel: sibi asserunt. 3) Alius: sacra. 4) Forte: exercebant. 5) 1 Sam. 2, 22 sqq. 6) Alii: movere. 7) Alibi: Hinc. 8) Origenes contra Celsum; Talmud. in tract. de sabbatho; Philo in libro de vita contempl.

landis virginibus Christianorum morem valde improbavit, quo quidem foeminas viris confusas inter amplexus et oscula caritatis, quae in ipsis templis fiebant, invaluisse scribit.

CORONAEUS: Id quidem a pontificibus Romanis aliquando, ut opto et spero, emendari poterit, perinde ut illa pietatis oscula fuere sublata.

OCTAVIUS: Agnosco equidem, omnia fere Judaeis et Ismaëlitis, quod [1]) ad religionem attinet, communia esse, utrisque aeterni unius Dei cultus, utrisque idolorum summa execratio, item circumcisio et genus ab Abrahamo utrisque ducitur; abstinent utrique a sanguinis [2]) et porcorum esu, denique lectiones utrisque frequentissimae, quas Tertullianus [3]) non satis argute reprehendit in Judaeis, quos lavari quotidie scribit, quia[4]) quotidie inquinantur, quasi vero Christiani penitus circumcisi puriores essent, cum tamen David Goliathen ob id execratus sit [5]), quod esset incircumcisus et immundus. Quanquam Aethiopes Christiani circumcisionem amplexi fuere, qua etiam veteres Aegyptios uti consuevisse scribit Herodotus [6]). His vero temporibus non modo mares [7]) a maribus, verum etiam foeminae [8]) a foeminis nymphae quadam particula circumciduntur.

CURTIUS: Fuit illa quidem foederis cum Abrahamo percussi tessera [9]), non tamen ullam [10]) video fuisse circumcisionis utilitatem.

SALOMO: Quae major aut [11]) sanctior utilitas esse potest, quam divini foederis arcanum? Quanquam qui curiosius ista scrutantur, maximas circumcisionis asserunt [12]) utilitates, tum ad procreationem liberorum commodiorem, tum ad inflammationem tumorum amovendam, tum ad coërcendam vim libidinis effervescentis, quam Rabbi Moses praecipuam circumcisionis causam esse arbitratur. Hoc tamen Judaei ab Ismaëlitis differunt, quod hi nec azymis nec agnis paschalibus utuntur [13]) nec sabbathi festiva quiete, nec ad occasum conversi precantur, nec Messiam exspectant, ut Judaei, excipio eos, qui Haly sectam sequuntur, quos Imanias vocant. Ac tametsi preces ad omnia coeli templa [14]) fieri posse confiteantur, saepius tamen ad Mecham ora convertunt, ut olim Daniel in urbe Babylonis exul, in genua procumbens, Hierosolymam versus orationem [15]) concipiebat.

SENAMUS: Mercurius Trismegistus adoraturos primum ad orientem solem, meridie ad Austrum, sero ad occasum converti [16]) jussit. Graecis tamen nonnullis usitatum erat, ad orientalem plagam Diis sacrificare, heroibus vero ad occasum, caeteris omnibus ad orientem, qui mos a Chaldaeis et magis Persarum ad omnes fere populos dimanavit; illi etiam diluculo ac

---

1) Alibi: quid. 2) Alii: sanguine. 3) De baptismo. 4) Alibi: quoniam. 5) Alibi: est. 6) Lib. 4. Sed intelligendum est de his Aegyptiis, qui genere Judaei sunt. 7) Alibi: mas. 8) Alii: foemina. 9) Alibi: tabula. 10) Alii: aliam. 11) Alii: et. 12) Alibi: afferunt. 13) Alius: utantur. 14) Alibi: omnes coeli plagas. 15) Alii: vota. 16) Alii: verti.

potissimum etiam soli orienti, quem Mithram appellabant, sacra facere consuerant. Hinc Maro:

Illi ad surgentis conversi lumina solis.

Sic tamen ut statuae in occidua plaga collocarentur, ortum spectantes, ut Vitruvius [1]) scribit. Jubet enim Porphyrius, adoraturos statuis ortum spectantibus ἀντιπροσώπους esse et converti ad occasum, contra quam Christiani statuas occasum spectantes collocare solent, ut eas ipsi vultu ad orientem converso adorent.

FRIDERICUS: Christiani veteres cum rogarentur, cur ad solis ortum conversi vota conciperent, respondebant [2]), id illis in usu esse, quod oriens honoratior esset occasu. Sic enim Pompejus [3]) Cornelio Syllae dixisse fertur, plures orientem, quam occidentem [4]) solem adorare. Non video tamen, cur Judaei ab omnibus populis dissidentes ad occasum conversi sacra faciant.

SALOMO: Plerique nos id facere putant, ne solem ac sidera orientia colere videamur. Sed falluntur, cum sol utramque plagam spectet et utroque tempore sacra faciamus. At noster legislator tentorium sacrarii ad exemplar universitatis constructum erexit. Est autem rapidissima orbium coelestium conversio ab ortu ad occasum, et qui naturae cursum tenere volet, cum sideribus ad occasum progredi necesse habet, non regredi ad ortum. Ex quo quidem pulcherrima naturae arcana eruuntur, ut [5]) decentem et naturae congruentem morem intelligamus, quae scilicet dextra, quae pars mundi sinistra dicatur.

TORALBA: Haec disputatio plurimum [6]) exercuit omnes scriptores, nec tamen de mundi situ probabilem afferunt caussam. Nam Pythagoras, Homerus, Plato, Aristoteles, Galenus, Averroes dextrum mundi latus in oriente posuere, Plinius et Varro sinistrum. Augur enim Romanus, sub Dio templorum sacra lituo dividens, vultum ad Austrum convertebat, ut haberet a sinistris ortum et occasum a dextris. Empedocles, Cleomenes, Lucanus, Solinus, Philo Ebraeus dextram mundi partem Aquiloni tribuunt.

SALOMO: Pontifex Hebraeorum sacrificans vultu ad occasum converso dextrum latus Aquiloni opponit, laevum Austro, qui situs convenit universae naturae. Sunt enim dextra sinistris robustiora ac vegetiora, ut pes dexter ac brachium dextrum sinistro grandius, vegetius ac robustius est. Cor sapientis, inquit Salomo [7]), in dextra ejus, stulti vero in sinistra, quia stulti, libidinis impotentia, cupiditatibus suis imperare nequeunt, ut sapientes. Sic aquilonares homines australibus robustiores sunt ac vegetiores, et ubique fere ad Aquilonem corpora sunt formae dignitate praestantiora, ingeniorum vis tamen minor. In dextro latere jecur situm est, sanguinis officina, in sinistro lien, conceptaculum atrae bilis. Sic ad aquilonarem re-

1) Alius: Virumnius. 2) Justinus Martyr qu. 118. 3) Plutarchus in Pompejo. 4) Alibi: abeuntem. 5) Alibi: et. 6) Alius: ut plurimum. 7) Eccles. 10, 2.

gionem homines sunt rubicundi ac robusti, nam robustum a rubore Latini [1]) derivant, ad meridiem atri; vis tamen ingeniorum major ad Austrum, cujusmodi sunt melancholici. In dextro latere jecur vim cupiditatis continet, vitiorum alimentum et ὑποκείμενον, ac propterea victimae ad Aquilonem spectantes caedi jubentur [2]). In sinistro vis atrae bilis ab ipso liene homines contemplationi deditos habet ac coelestium rerum meditationi; sic ab Aquilone bella, calamitates, exercitus in sacris litteris saepius denunciantur et potestas ingens Leviathani ad Aquilonem, qui etiam ob id Aquilonaris [3]) appellatur. Contra vero Deus dicitur ab Austro venire et profectiones Abrahami versus Austrum. Quo pertinet etiam illud: Dicam Aquiloni, da! et Austro, noli prohibere! [4]) quia prohibentis major, quam tribuentis potestas. Nec minus mirum videri debet, quod omnes omnium populorum regiones, Chaldaeorum inquam, Judaeorum, Ismaëlitarum, Christianorum ab Austro derivantur. Exercitus vero Gothorum, Vandalorum, Herulorum, Hungarorum, Turcarum, Tartarorum, AngloSaxonum ab Aquilone ad Austrum. Item motus omnium animantium est a dextro ad sinistrum latus [5]), ac motus trepidantis orbis elati ab Aquilone ad Austrum inclinat, mirabili naturae consensu. Ex quo Judaeorum intelligitur templa Deorum [6]) ad occasum conversa et pontificum statum in sacris faciendis universitati naturae consentaneum esse. Ex eoque non tantum Homeri, sed etiam Pythagorae, Platonis, Aristotelis, Averrois, Galeni, Plinii, Varronis errores emendantur, ac mirabilia naturae arcana intelliguntur, etiamsi preces ad omnia coeli templa laudesque divinae locis omnibus ac regionibus Deo gratissimae semper fuerunt.

OCTAVIUS: Non video, Ismaëlitas tam acute philosophari, sed qui citra tropicum cancri regiones incolunt, ad Mecham seu Jezecat seu Medinam Alnabi, ad civitatem prophetae et montem Moriam, ubi Abrahamus filium immolare [7]) jussus est, convertuntur, scilicet ad Austrum; qui vero sunt ultra tropicum, convertuntur ad Aquilonem. Illud tamen singulare est, quod Ismaëlitae, quoties precantur [8]), bis inclinato vertice terram ac manus utrasque deosculantur, Christiani vix unquam.

CURTIUS: Manum deosculari Deum adorantes [9]), antiquissimi moris est, ut Jobus ipse testatur, non quidem ut de [10]) osculo cogitarent, sed ut ori silentium imponerent [11]), unde saepe peccatur; ut etiam nunc plerique cum de peccatis confitentur, pectus solent tundere, ubi cor residet, pravarum cogitationum artifex; alii frontem vola caedere, ubi animi sedem esse arbitrantur, quasi poenas ab auctoribus flagitiorum reposcerent ista percus-

---

1) Festus in voce robustus. 2) Levit. I. Jerem. 46. Ezech. 42. 3) Joel 2, 20. — Alibi: Aquilonates. 4) Jes. 43, 6. 5) Aristoteles de hist. anim. II, 1. 6) Alibi: Judaeorum. 7) Alibi: immorali. 8) Alibi: provocantur. 9) Alii: adorantem. 10) Alii: non quia de. 11) Alius: imperarent.

sione. Verum enim vero [1]) sine saliva [2]) osculari nemo potest. Illud enim veterem [3]) sapit idololatriam eorum [4]), qui terram pro Deorum ac rerum omnium parente adorabant, magnae Cybeles appellatione carmine impio: O hominum, pecudum, divûmque aeterna creatrix!

SALOMO: Nos erecti Deum laudamus, flexis genibus fausta precamur, adversa deprecamur interdum etiam stantes, ut Ezechias ad parietem conversus, nunquam sedentes, multo minus ambulantes, nisi morbus vel imbecillitas cogat, ut Mosen, qui cum diutissime pansis [5]) ad coelum manibus, tantisper adversus Amalekitas pugnabatur [6]), erectus stetisset, fractis viribus consedit, fusis tamen et extensis manibus usque ad occasum. Fallitur autem Plutarchus [7]), qui Numam jussisse scribit, ut adoraturi sederent, quod et Latinis inusitatum et a Pythagoricis decretis, quibus Numa dicitur imbutus fuisse [8]), alienum. Sic enim Pythagorae symbolum: περιφερόμενον προσκυνεῖν i. e. circumvolutum procidere. Et nos quidem peccata confitentes frontis ad humum contactu [9]) testamur humilitatem, quod Plutarchus appellat, ῥίψεις ἐπὶ πρόσωπον. In ardentissimis rogationibus [10]) Eliae statum imitamur [11]). Is enim cum sua oratione coelum tribus [12]) annis et sex mensibus ita conclusisset, ut nec imbres ulli nec rores depluerent, septies oravit, quoad exoraret [13]), vultu inter genua composito humi advolutus, qui humillimus est infantis in utere habitus, ut eliceret imbrem. Sessio [14]) vero et adoratio e [15]) diametro pugnant.

OCTAVIUS: Tantum abest, ut Ismaëlitae osculantes humum adorare velint Cybelem, ut nulla gens ab idololatriae suspicione longius absit. In templo sermones et colloquia facere aut deambulare, scelus arbitrantur. Festis diebus hora sexta concio populi frequens est, nec ante meridiem festo die cibantur; die vero paschali, quae omnium sanctissime colitur, post jejunium menstruum [16]) Elmeide coenam concelebrant, tum deosculatis mutuo manibus offensiones mutuo acceptas charitate summa ignoscunt ac veterum ἀγάπας recolunt, non ficta simulatione, sed bona fide, nec si quisquam post accepta [17]) illa oscula manuum [18]) acceptas injurias ulciscatur, impune laturus est, sed gravi judicio damnatur. Si quis concionibus ac precibus publicis adesse recusaverit, mulcta, infamia, carceribus coërcetur. Nec tamen [19]) unius aeterni Dei purissimo cultu, sed etiam humanitate et benignitate populos omnes longe superant [20]). Ac mirantur, Christianos homines tantam egentium multitudinem, tantam suorum nuditatem [21]) et inopiam aequo ani-

---

1) Alius: Terram vero. 2) Alius: scelere. 3) Alius: veterum. 4) In eodem deest. 5) Alibi: passis. 6) Exod. 17, 9 sqq. 7) Περὶ δεισιδαιμονίας. 8) Addit alius: penitus. 9) Alius: fronte ad humum contracta. 10) Alibi: orationibus. 11) 1 Reg. 7, 1—9. Jac. 4, 17. Sir. 48, 2. Luc. 4, 25. 12) Alibi: sex. 13) Alibi: exoraretur. 14) Desunt haec sequentia Salomonis verba in alio codice. 15) Alius: toto; alius: tota. 16) Alibi: nostrum. 17) Deest in alio codice. 18) Alibi: post illas manuum exosculationes. 19) Alii: tantum. 20) Alius: superarunt. 21) Alibi: ruditatem.

mo ferre posse, cum apud Ismaëlitas plura sint domicilia egentibus ac peregrinis vacua, quam tenues domiciliorum egentes. Saepe quidem videre potuistis Turcas in hac urbe tenuibus ubique occurrentibus [1]) nummos libenter objicere. Nulla enim lex apud istos sanctior colitur, quam Ullache i. e. exsolvere debita et egentibus largiri. Itaque saepius occurrunt viatoribus chorabitae, quos Eremitas Graeci vocant, a quibus hoc unum precantur, ut ad se divertant. Postea vero quam exquisitis ferculis, lotionibus et cubilibus [2]) foverunt, non modo nullum pretium reposcunt, sed etiam gratias agunt his verbis: Demum hannam fal alla se verſis, i. e. hoc animae meae detur, Deus te amet! Sunt etiam frequentissima domicilia [3]) a litteratis hominibus circa fana constituta et uberrimi ad alimenta reditus; vix enim est ullus opibus locuples, qui aut templum aut publicum hospitium consecrandum non curet. At innumerabiles Christianos videmus, quos non benefacere delectat, sed benefecisse videri, ut ambitioni magis, quam inopiae donare [4]) videantur. Et quum paucissimi benignitatis fontes egentibus [5]) aperiant [6]), tum vero id faciunt, vel ad furtorum et flagitiorum expiationem (neque enim [7]) aqua citius ignem, quam largitio in egentes peccatum restringit) [8]) vel ad incrementa rei familiaris [9]). Nihil enim verius a Basilio Magno dici potuit, quam artem omnium quaestuosissimam esse eleemosynariam [10]). Ac Musulmanni quaestum rei domesticae non spectant, sed solius Dei intuitu largiuntur, ad idque curiosissime a concionatoribus erudiuntur, ut mihi Christianis jure opponere posse videantur, quod olim Spartanus [11]) quidam seniori assurgens in theatro, ne adolescentibus considentibus spectaret erectus, Athenienses honestas artes [12]) ad pompam et fastum habere, non tamen ad usum. Hoc vero singulare est, quod Ismaëlitae a vino et alea, vetantibus legibus, abstineant, tametsi plerique Christiani se legibus solutos arbitrantur, propterea sive vini luxum et aleam sequuntur, sive adulteria, stupra, rapinas, injurias, verbera, caedes, mentis ad omnia coecitas, quodque his omnibus foedius est, capitales in Deum contumeliae [13]). Juventutis autem molles et teneres annos studiosissime legibus divinis erudiunt, neque enim fabulas audiri et [14]) libidinis ludos aperiri patiuntur, sed Alcorani divinis praeceptis tam assidue imbuunt, ut ante pubertatem fideli memoria teneant; cantica vero impudica nulla audiantur. Denique cum illorum religionem, judicia, leges, mores, instituta cum vestris [15]) comparo, verissime Ismaëlitas ex omnibus populis Musulmanuos i. e. fideles esse judico, non tantum, quia lex Muhammedis naturae consentanea est, ut Algibel et Avicenna scripsere, sed etiam quia caeteri verae [16]) faciem ac spe-

---

1) Alibi: accurrentibus. 2) Alius: cubiculis. 3) Alius addit: scholastica. 4) Alibi: donari. 5) Alibi: pauperibus. 6) Alii: appareant. 7) Alius: vero. 8) Alii: restinguit. 9) Tob. 12, 9. 10) Alius: eleemosynam. 11) Alius: Spartiata. 12) Addunt alii: et divinas, vel: et doctrinas. 13) Alibi: contumaciae, vel: injuriae. 14) Alius: aut. 15) Alii: nostris. 16) Alibi: fere.

ciem religionis habent, illi religionem ipsam non tantum habere, sed possidere mihi videntur [1]).

Cum ad hanc orationem caeteri conticuissent ac mirarentur, Octavium a Christianis ad Ismaëlitas defecisse, nec quisquam Octavii orationem [2]) refutaret, tandem rupto [3]) silentio FRIDERICUS: Non erat, inquit, animus, Octavii orationem refutare, ac vos ob id opinor conticuisse, quod refutatione minus egeret. Nec mihi de moribus ac religione Muhammedistarum [4]) disputare placet, quia non licuit eorum civitates ac respublicas pervestigare; illorum tamen religionem Octavio, ingeniosissimo viro, probari non puto, sed ea tantum [5]) verbi gratia disseruisse. Legistis, opinor, libros de doctrina Muhammedis, item de moribus ejus ac toto vitae genere atque illud inprimis, quod ingeniosissimus ille [6]) religionum artifex in libris [7]) quidem Muhammedes nuncupetur [8]), in coelo vero Almad. Sic enim [9]) Homerus fluvium, qui Trojam praeterlabitur, Xanthum ab hominibus, Scamandrum a Diis vocari. Cum autem natus est Muhammedes, ad eum alendum venti scilicet, aves, nubes, angeli convenerunt, venti quidem odoribus, aves fructibus, nubes aquis. Et quoniam angelis nihil supererat, quod infanti praeberent, ira perciti discesserunt. Eundem tamen in coelum abreptum fuisse tradunt ab ipso Gabriele, ac post reditum prophetam se tulisse, conciones publicas habuisse; sed quoniam nec orationibus ullis, nec rationibus, quae vellet, persuadere poterat, vi et armis agere decrevisse; fugatum tamen die Veneris ab hostibus fugisse, a cujus fuga, scilicet ab Hegira, initia [10]) ducunt annorum, postea vera validiore manu reversum Mecham expugnavisse ac discipulis militibus diripiendam dedisse. Ab his initiis et praeda locupletiores imperium paulatim propagarunt, cum Arabiae latrones ad societatem [11]) proposita libertate ac diripiendi spe coegissent. Ipse vero jam senio confectus comitiali morbo dicitur interiisse, sed cum tertia die resurrecturum se promisisset, tam diu jacuit insepultus, quoad teterrimo foetore intolerabilis a plebe in cloacas urbis projectus esset. Plerique cum Garuffa, uxore Mazuchi [12]), deprehensum ac caesum fuisse tradunt, cum diceret eas uxores, quas propheta vellet, jure suo capere potuisse. Abadallam vero et Machilium occidi jussisse, quod prophetam esse negarent, ac tametsi uxores septendecim domum duxisset, nihilominus tamen Zeidi quoque uxorem socii dicitur rapuisse. Jucundissimam quoque fabulam commentus est, ut vini non solum abusum tolleret, sed rem et usum necessarium prohiberet; fingit enim duos angelos coelitus in terram ad judicia exercenda demissos, ebrietate et illecebris formosae meretricis, cujus amore tenebantur, persuasos esse, ut alter illam in coelos veheret, alter in terram reveheret, propterea mortalibus vini

1) Alibi: videantur. 2) Alibi: rationes. 3) Alius: recepto. 4) Muhamedanorum. 5) Alibi: de ea tamen. 6) Alii: iste. 7) Alibi: terris. 8) Alius: usurpatur. 9) Alius: etiam. 10) Alibi: initium. 11) Alius: saevitiam. 12) Alius: Mafuchae.

usum interdictum fuisse. Ex omnibus autem fabulis nulla foecundior est, quam quae extat de paradiso Muhammedis, ubi ciborum fercula exquisitissima fore pollicentur, tum vini, lactis ac mellis torrentes undique profluentes, foeminarum etiam formosissimarum ac cynaedorum greges, quibus uti liceat et abuti, ac septuaginta millibus annorum voluptatibus perfrui, post convivium, quod etiam annorum septuaginta millium spatio definit. Quod [1]) cum Averroës, Arabicae philosophiae princeps, legisset, porcorum paradisum dixit, ut [2]) mirum videri non debeat, si impietas illa detestabilis, tot ac talibus propositis praemiis, totum pene terrarum orbem invasit.

CURTIUS: Tanta vis est pravae opinionis, ut hominum mentibus semel insita potentius quam natura ipsa dominetur. Et quidem apud Narsingas Indorum [3]) populos mortuis maritis viduas eodem incendii rogo viventes ac spirantes cum cadaveribus [4]) exuri constat, non modo veterum, sed etiam recentiorum scriptorum summa consensione easque summa alacritate eo deferri ab amicis, ut voluptatibus maritorum sempiternis perfruantur. Sed et illud valde puerile debet videri, quod Ismaëlitae flagitia lotionibus assiduis elui putant, non aliter atque Indi occidentales [5]) Hispaniolae ex intimo stomacho ante aras ac statuas vomentes scelera profligari putabant.

OCTAVIUS: Nihil mirum est, si Averroës Ismaëlitarum religionem valere jussit, cum etiam Christianorum ac Judaeorum leges omnes foedissime proculcarit. Sed Avicenna, princeps in omni genere philosophiae ac medicinae clarissimus, scribit, legem Muhammedis miserias ac felicitatem summarum voluptatum corporis proposuisse, aliam tamen beatitatem [6]) lege praestabiliorem in animo habuisse. Quae autem ex libris Elimel Nebi, h. e. vita prophetae ejusque doctrina, et Edit el nebi i. e. historia prophetae, recensuit Fridericus, plane apocrypha sunt Ismaëlitis neque usquam theologis approbantur, sed imperitis hominibus conscripta rejiciuntur, ut ea, quae a Bonaventura theologo de vita Christi circumferuntur, cum scilicet arbores frugiferae summa cacumina curvassent leviter, ut infanti Christo, ad poma inhianti ad satietatem usque vesci liceret. Quae theologi christiani non magis probant, quam innumerabiles hujusmodi fabulas, quas in aurea dicam an ferrea lectione divorum legimus, quae referre nolim, ne nos pigeat ineptiarum. Alcoranus, qui a collectione sic dicitur vel Alphaticianus a distinctione capitum, quae 123 numerantur, nihil habet ineptiarum, nihil sibi contrarium, nihil repugnans, ut putarunt Dionysius Carthusianus et Cardinalis S. Sixti [7]), qui adversus legem Muhammedis scripserunt. Mitius aliquando [8]) Richardus [9]) ordinis praedicatorum, arabicis litteris et disciplina instructus [10]), tametsi quibusdam locis et falsa simulavit et vera dissi-

---

1) Alibi: quae. 2) Alibi: et .... debet. 3) Alius: Indiae. 4) Alibi: cadavere. 5) Alibi: orientales. 6) Alibi: beatitudinem. 7) Alius: Coeli. 8) Alius: aliquis. 9) Alii: Ricualdus, vel: Ricaldus. 10) Alibi: divino instinctu.

mulavit. Quod autem de paradiso et sordidis voluptatibus plerique calumniantur, satis refelluntur ex iis, quae Azora septuagesima quinta et septima scribuntur, scilicet adulteros et perjuros sempiternis inferorum ignibus deflagraturos, ut clara voce testatus est ipse legislator Muhammedes. At ne foeminas quidem a viris, dum sacra fiunt, conspici, nec in publico vultus revelari [1]) patiuntur populi, qui Muhammedis legibus [2]) obligantur. Quod item Christiani Muhammedem se resurrecturum spopondisse commemorant, nusquam scriptis Ismaëlitarum ista reperies. Atque in eo ipso inter se discrepant Christiani, quod alii quidem tertia die, alii octingentesimo post anno resurrectionem se promisisse jactant, quasi Lycurgus alter [3]), Apollinem consulturus, cives suis legibus obligaret, quousque rediisset. Omissis igitur fabulis inanibus, si quis studiose legat Alcoranum, nihil in [4]) eo reperiet, quantum quidem judico, nisi summam erga Deum religionem, pietatem in parentes, caritatem in proximos, benignitatem adversus tenues, justitiam in omnes assidue inculcari videbit [5]).

FRIDERICUS: Mirum est, Agarenos Muhammedis in coelum ascensionem sine mulo fingere non potuisse, aut cur scalam potius non adhibuerint [6]), quam jumentum [7]), nisi probabiliorem fore putarent mulorum in coelos [8]) ascensionem.

OCTAVIUS: Nihil hujusmodi proditum est in sacris [9]) Muselmannorum litteris, nec magis incredibiles sunt hujusmodi fabulae, quam Numerii [10]) Attici, praetoris Romani, qui juratus, in coelum ascendisse Augustum, acceptis a Livia decem aureorum millibus, confirmavit. Sed cum alius ascensionem Drusillae in aedibus Caligulae fratris nobilem affirmaret, non sine risu ingenti a populo acceptus.

CORONAEUS: Miror, Octavium superstitiones Agarenorum, misericordia potius, quam risu dignae cum sint, ipse acutissimi judicii ac doctrinae singularis, probare potuisse eoque magis, quo diutius ab illis dura servitute fuit oppressus.

OCTAVIUS: Me Deus optimus maximus a piratis comprehensum in littore Siciliae mercatori Syriaco [11]) vendi passus est; hic rursus Paracadio [12]) me dedit, qui ut religionis amantissimum ac litterarum studiosissimum me esse intellexerit [13]), de mea religione (jam enim triennium [14]) captivus populari Arabum linguae consueveram) [15]) percontari coepit. Ego cum ad singula capita responderem et in meam sententiam illum pertrahere conarer, quo nihil ab immortali Deo magis et melius mihi optandum judicabam, ille contra tot ac tam multis rationibus urgebat, ut ab argumentis, quasi ab

---

1) Alii: revelare. 2) Alibi: lege. 3) Alibi: ille, vel: olim, vel: aliter. 4) Desunt alibi sex haec sequentia verba. 5) Deest in alio codice. 6) Alibi: adhibuerunt. 7) Alibi: mulum. 8) Alibi: coelum. 9) Alibi: sanctis. 10) Alibi: Numerici. 11) Alibi: Syriae. 12) Alius: Paracactio. 13) Alibi: intellexerat. 14) Alii: tertium. 15) Alii: adsueveram.

aquis desertus [1]) in vado haererem; tandem mihi libellum exhibuit arabica lingua a Dominicano quodam christianae religionis desertore conscriptum pro defensione religionis Ismaëlitarum. Quem ut legi et relegi, in varias animi sententias distractus, mirabar ab homine Christiano, et quidem ordinis praedicatorum, ejurata majorum religione scribi potuisse. Ad extremum rationibus victus acquievi; quod cum herus animadvertisset, libertate me donavit, quam ut plerique adipiscantur, Muhammedem amplecti solent et circumcidi se patiuntur.

FRIDERICUS: Audivi quondam eos, qui antrum Trophonium subirent, saltare solitos, ut [2]) qui a daemone in furorem agerentur, quos amici cum revocare conarentur, simulatque ingressi fuerant, choreis sese admiscebant. Idem Octavio contigisse videmus.

OCTAVIUS: Omitto contumelias, quibus Muhammedis dignitas adversariorum obtrectationibus laceratur; rem teneo, h. e. verum ac sincerum unius aeterni Dei cultum.

TORALBA: Si vera religio in puro aeterni Dei cultu versatur, naturae legem sufficere confido ad hominum [3]) salutem. Nec aliam religionem habuisse videmus antiquissimos humani generis principes ac parentes, qui aurei seculi memoriam posteritati reliquerunt, non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti ab ipsa natura, a qua pietatis, religionis, integritatis ac virtutum omnium rivulos hauserunt et expresserunt. Id quod non solum omnibus omnium philosophorum sententiis probatum, sed etiam oraculis, si qua fides est oraculorum, confirmatum videmus. Nam roganti M. Tullio, quodnam vitae institutum sequeretur, responsum est: naturam sequi oportere. Quod ipsum Paulus ad Romanos [4]) scribens non obscure aut ambigue, sed aperte confitetur: Gentes, inquit, quae lege vacant, natura ipsa legitime vivunt, quia tametsi legum tabulas nullas habent, nihilominus edicta mentibus suis consignata circumferunt, testificante conscientia ipsorum. Quibus verbis rectam rationem et naturae legem ad hominis [5]) salutem sufficere docet. Quae cum ita sint, quid opus erat tot ac tam multis ritibus, quibus obligantur Judaei, Christiani, Agareni, Pagani? Hanc enim religionem omnium antiquissimam ac optimam esse confido.

Quae cum breviter perstrinxisset Toralba, silentium secutum est; neque enim de religionibus, quod quisque sentiret, hactenus aperuerat, praeter SALOMONEM, publica auctoritate fretum [6]), qui tandem rupto silentio: Mei sensus, inquit, cum tuis, Toralba, plane congruunt, scilicet ea, quae ad salutem pertinent, naturae legibus omnia contineri; atque his naturae legibus vixisse Abelem, Henochum, Noachum [7]), Abrahamum, Jobum [8]), Isaacum,

1) Alibi: desolatus. 2) Desiderantur haec septem sequentia verba in aliis codicibus. 3) Alibi: omnium. 4) cap 1, 20 sqq. 5) Alii: hominum. 6) Alibi: victum. 7) Alii: Noëmum. 8) Deest in alio codice.

Jacobum, quos viros! certe ipsius immortalis Dei testimonio, quo nec majus ullum, nec gravius cogitari potest, summam pietatis ac integritatis laudem adeptos. Neque enim circumcisio, quae Abrahamo et posteritati quasi tessera foederis data est, necessaria fuit ad salutem, sed ob id potissimum circumcidi jubemur, ut a caeteris populis a Deo selecti ac segregati videamur. Hanc autem naturae legem significare videtur Deus ipse, cum diceret: Benedicentur in semine Abrahami omnes gentes, eo quod obedierit voci meae nec unquam edicta mea legesque meas violarit [1]). Atque lex a Mose nulla lata est, nisi quadringentesimo et trigesimo post anno. Caetera vero, quae legibus ritualibus ac judiciariis continebantur, sublato Dei templo ac eversa republica Hebraeorum antiquata fuere. Nam diserte prohibemur [2]) usquam terrarum pecudes mactare nisi eo loco, quem nominatim Deus designarat. Decalogus tantum [3]) ac circumcisio cum agno paschali ad sempiternam acceptorum beneficiorum memoriam a nobis usurpatur. Sic autem persuasum habeo, nullam omnino religionem sine ritibus ac ceremoniis consistere posse, nec opinor ullum majus arcanum habere religionem romanam tantae diuturnitatis, quam rituum ac ceremoniarum tantam, quanta cogitare potest [4]), multitudinem ac varietatem, tum suavissimam canticorum ac organorum, tum etiam vestium ac supellectilis sacrae ac pretiosae [5]) pompam, quae populum quasi spectaculo admirabile retineat suspensum. Ad quod [6]) enim Deus vestitum Aaronis pontificis maximi augusta quidem specie venerabilem fecisset? aut cur tot sacrificiorum ritus, tot lotiones, tot exquisitas expiationes jussisset, si plebis imperitae mentes cultu religionis obligari commodius arbitraretur? Multa quidem a Judaeis ecclesia Romana, maximam tamen rituum partem a veteribus Graecis et Latinis accepit, ut [7]) etiamnum pelles hostiarum, quibus ipsi sacrifici caput obvelabant, a Canonicis usurpari videmus; et abrasiones verticis jam inde ab Iside, quae Osiridis audita morte caput una cum ejus sacerdotibus abrasit, forsitan originem traxerunt, tum etiam populi dimissiones [8]) peractis sacris, quas τοῦ δήμου ἀφέσεις appellabant, tum aquae lustrales, chori, proterviae [9]), theophaniae, tensae, fercula, saltationes ac pulvinaria Deorum.

CURTIUS: Haec pompa Romanae religionis ludos potius theatrales ac spectacula veterum paganorum decet, quam veram pietatem, quae fucum respuit, simulationem ac speciem abhorret, nec quicquam fallacius est, quam quod exterius speciosum apparet, ut fucatae [10]) merces, picti parietes, fucati vultus. Et quemadmodum piscis Tulis ac tigris bellua pereleganti colorum varietate cutim distinctam habent, cum tamen nihil utraque animante crudelius sit: ita quoque de religionibus judicandum, quae ritibus tantum ac ceremoniis nituntur.

---

1) Gen. 26, 4. 2) Deut. 4, 19 sqq. 3) Alibi: tamen. 4) Alius: posset. 5) Alibi: sacram et pretiosam. 6) Alibi: quid. 7) Deest in aliis codicibus. 8) Addit alius: cum dicitur: Ite, missa est. 9) Exod. 12. 10) Alii: fucata.

SALOMO: Alter certe alterius ope carere non potest.

OCTAVIUS: Nihil a Toralba, parum etiam a Salomone dissident Ismaëlitae, ac saepissime legislator in Alcorano contestatur populos omnes, Abrahami legem profiteri [1]) et exequi, scilicet purum unius aeterni Dei cultum, ab omni idololatria penitus alienum, benignitatem adversus tenues, infinitis locis justitiam in omnes. Hoc tantum interesse puto, quod legislator Hebraeorum cum praemia cultoribus suis proponeret, duobus verbis rem absolvit: hoc fac et vives; Ismaëlitarum vero legislator paradisum suum tot ac tam multis deliciis ac voluptatum fruendarum spe instruxit, ut talibus illecebris etiam invitos et nolentes in officio retineret, flagitiosos vero ab injuriosa et conscelerata vita, suppliciorum immanium [2]) acerbitate proposita, revocaret. Ritus autem ac necessarias tantum ceremonias, nullas inutiles habemus, nulla spectacula, nullas picturas aut caelaturas, quae populum a cultu et cogitatione rerum divinarum avertere queant. Lotionibus etiam frequentissimis utimur, ut sordes etiam interiores saepius eluere condiscamus.

TORALBA [3]): Qui rituum multitudine plebem obruunt, religionem in superstitionem convertunt; qui autem omnes omnino resecant, nae illi omnes religiones a stirpe evellunt, non aliter ac vinitor ille, qui a vicino superflua vitium [4]) secare doctus, ut vites abundantius repullularent, suas ipse solo tenus exsecuit. Idem iis contigisse videmus, quos antiquae Romanorum religionis piget, brevi quoque novae pigebit, nisi cum ritibus ac ceremoniis necessariis, tum etiam praemiorum spe majore pontificibus ac sacerdotibus proposita, optimum ac doctissimum quemque retinere conentur. Nihil autem accuratius divina lege praecipitur, quam ut sacerdotibus ac Levitis bonorum omnium decimae, primitiae ac sacrificiorum legitima pars modis omnibus tribuatur. Sic enim ab Hebraeorum sapientibus traditur, frugum sterilitatem, pecorum interitus ac inopiam extremam eos consequi, qui sacerdotibus sua eripiant, qui decimis fraudem faciant. Importate, inquit Deus apud prophetam [5]), decimas omnes in aedem [6]) meam, ut subinde largitio fieri possit, atque in eo ipso periculum facite et tentate me, si non aperuero coeli fenestras omnes, ut impleam vobis thesauros meos [7]) et affluentiam omnium bonorum: increpabo devastatorem [8]), quo minus calamitatem et sterilitatem vestris agris inferat; quo quidem arcano nullum ad opes comparandas majus esse potest.

OCTAVIUS: Illud [9]) Muselmannis omnibus potissimum curae est, ut sacrorum antistites opibus affluant, idque Muhammedes sapienter providit, ne sacerdotum inopia rerum divinarum ac religionis afferat contemptum.

---

1) Alibi: confiteri. 2) Desunt haec tria verba in aliis codicibus. 3) Alius: CORONAEUS. 4) Deest alibi. 5) Mal. 3, 10 sqq. 6) Alibi: domum. 7) Alibi: vos thesauris meis. 8) Alius: devoratorem. 9) Deest in aliis codicibus.

CURTIUS: Decuitne Muhammedem, qui se prophetam ferebat, mendaciorum ferculis imperitos plebis animos inescare aut legem a Gabriele sibi datam mentiri? Cum autem [1]) in Alcorano scripserit [2]), virginem Mariam matrem Jesu esse Mosis et Aaronis sororem, nimis pueriliter in historia mentitus est; duobus enim annorum millibus Maria soror Mosis ante mortua erat, quam Maria mater Jesu nasceretur. Quod autem Agareni se Deum aeternum colere praedicant et eundem adorare, quem olim Abrahamus, in eo ipso a sua lege defecerunt, quippe Dei ac Muhammedis laudes [3]) saepius cumulant, sepulcra Muhammedis ac Nabissae religiose adorant ac donis ingentibus oblatis venerantur. Quid enim funestius, quam quod Muhammedes turpissima [4]) libidinum foeditate homines impuros ad suae religionis cultum pellicere modis omnibus tentavit? aut quis corruptor publicus non sibi persuadeat, pulchrum ac honestum esse in terris id, quod in paradiso honestum esse docuit legislator? et quidem Leo Afer, qui, Mahomedis ejurata religione, Romanam amplexus est, scribit, quendam sectarium Ianfarida [5]) in urbe Cahira publice mulierem, spectante populi corona, constuprasse ac post amplexum cives mulieris istius vestimenta, quasi divinitatem [6]) stupri contagione adepta fuissent, summis digitis contacta exosculari coepisse, maritum vero non tantum uxori et adultero gratulatum esse, sed etiam festas epulas et ludos amicis cunctis concelebrasse. Quod mirum videri non debet, cum talia praemia Muhammedes suae religionis cultoribus proposuerit [7]). Quodsi Pythagoras Homerum, Orpheum, Hesiodum apud inferos, de arboribus suspensos, a serpentibus jure torqueri dixit, ac Plato ipse a sua civitate Homerum exegit, quod Deorum jurgia, plagas, lenocinia, stupra, caedes, incestus turpiter finxisset, quanto poena graviore dignus est Muhammedes, quod [8]) se prophetam et legislatorem et pietatis magistrum et religionum censorem profitetur [9])?

SALOMO: Haec omnia non modo dictu foeda, sed etiam exemplo perniciosa videntur, scilicet hominibus turpia libidinum praemia proponere virtutis ac pietatis ergo, ac falsis promissis imperitos, contra quam deceat, tractare [10]), cum Deus optimus maximus promissa non tantum praestet, sed etiam multo liberalius, quam polliceatur [11]); impostores vero plura semper promittant, quam efficere queant aut velint. Nam cum Deus spopondisset, virgam illius, quam ad pontificem sibi delegerat, germinaturam, mox eadem virga protulit germina, flores, frondes, fructus: ita quoque cum suae legis cultoribus terram polliceretur, coelestia praemia largitur; cum vitam promittit, non modo hanc, sed etiam futuram multo meliorem donat. Sic Onkelos Chaldaeus interpres locum hunc: Qui pacta mea et judicia exeque-

1) Alii: enim. 2) Alibi: scripsisset. 3) Desiderantur haec viginti verba in aliis codicibus. 4) Alii: turpissimarum. 5) Alibi: Ibnfaridae. 6) Alii: divinam. 7) Azora 1 et 81. 8) Alibi: qui. 9) Alii: profiteatur, vel: profitebatur. 10) Alii: lactare. 11) Alibi: pollicebatur.

tur, vivet[1]), interpretatur de vita sempiterna. Illud perniciosius, quod qui praemia ista libidinum fabulosa esse sciunt, etiam supplicia[2]) proposita pro fabulis habent et in omne dedecus praecipites ruunt.

OCTAVIUS: Xenophontis et Platonis sententia mihi valde probatur, scilicet magistratibus ac medicis licere ac semper licuisse, perinde ac nutricibus erga infantes, mentiri, his quidem salutis corporum ac rerum publicarum causa, quanto magis animorum[3]) saluti modis omnibus consulendum? Demus certe Muhammedem corporeas voluptates post hanc vitam promisisse his, qui pudicitiam colerent, quam ipse legislator in Maria virgine, in Zacharia, in Johanne maximis laudibus pluribus Alcorani locis commendavit, adulteros vero sempiternis inferorum ignibus devovit[4]). Sed quis non videt, haec ab eo[5]) scripta fuisse, ut omnes intelligerent, eos, qui sese turpium voluptatum blanditiis mancipassent[6]), praemiis aeternis ac beata vita carituros? Sic enim aperte declarat[7]). Sed quoniam australes populi omnium maxime projecti sunt in Venerem, Muhammedes illa praemia excogitavit, ut homines etiam invitos pertraheret[8]) ad verum decus. Cum igitur illa sanxerit, ut animas ab interitu servaret, quid in eo genere tum peccavit, quod veniam non mereatur? aut quid aliud Christus proposuit[9]), quam eos, qui summa cum integritate vixerint, beatissimam vitam in aeternis voluptatibus perfruendis adepturos? Quanquam non valde solliciti sint viri boni ac sapientes, quanta sint virtutis ac pietatis praemia futura, cum virtus per se ipsam maximum sibi praemium sit, ac magnopere laudandus videatur, qui nihil boni facit, nulla proposita mercede. Omissis igitur virtutum praemiis, omnes omnium religiones inquirite, si ulla est usquam gentium aut antea[10]) exstitit unquam, quae puriorem aeterni Dei cultum doceat, quae ab idolorum et creatarum rerum non modo cultu, verum etiam adspectu et cogitatione longius discedat, quam religio Musulmannorum.

SALOMO: Quod Ismaëlitae aeternum Deum nec plures uno colunt, hoc habent a lege divina, nec decuit Muhammedem, novae[11]) legis specie, quam ab angelo Gabriele sibi datam mentitus est, vera falsis, turpia honestis miscere.

OCTAVIUS: Necessariam fuisse legem Muhammedis, docuit eventus; neque enim aliter Asiae et Africae populi de opinione illa deitatis, quam de Jove et Christo conceperant, deturbari potuissent, nisi Muhammedes ope divina id praestitisset, ne deinceps homines ullam spem aut praesidium salutis in illius vita aut in hujus morte collocarent, quem tamen mortuum esse negavit, sed Dei potestate hostium manibus ereptum. His jactis fundamentis, duo[12]) praesidia maxima stabiliendae religionis adjecit; primum quod ser-

---

1) Levit. 19. Exod. 20, 31. Deuter. 15. Ezech. 2. 2) Alibi: sceleribus. 3) Alibi: animarum. 4) Azora 76. 5) Alibi: illo. 6) Alius: manciparent. 7) Azora 1 et 6, 51 et 117. 8) Alibi: protraheret. 9) Alibi: promisit. 10) Alibi: ulla. 11) Alii: nova. 12) Deest in alio codice.

vitia ad pileum vocavit, libertate proposita iis omnibus, qui se suamque disciplinam sequerentur, alterum quod de sua lege [1]) disputari vetuit, sed bellorum vastitate ac terrore poenarum sua jussa detrectantes compelli jussit [2]). Itaque Homarus, Muhammedis legatus, ingenti servorum exercitu collecto, praefectos urbium ac praesides Arabiae, Syriae, Aegypti armis fregit, ac brevi Chaldaeorum ac Persidis regiones [3]) invasit, exustis omnibus paganorum et Christianorum libris. Illud tamen arcanum adhibuit, quod Christianos quidem ad se pertraxit, cum prophetam Christum appellaret, Judaeos vero, Arianos, Nestorianos, Sabellianos pellexit, cum Christum negaret Deum esse. Est enim Arianorum sententia fundamentum religionis Ismaëlitarum, quoniam utrique virginis quidem filium et creaturam esse confitentur, Deum tamen esse negant [4]). Quae Arianorum sententia conciliis octo confirmata est, scilicet quae Tyri, Sardibus, Smyrnae, Mediolani, Seleuciae, Nicaeae, Tarsi coacta sunt, ac potissimum synodo Ariminensi, qua sexcentorum pontificum concordibus animis ac sententiis Arianam religionem comprobarunt. Clarius etiam Nestorius, qui Mariam Dei matrem esse aperte negavit.

CURTIUS: Si haereticorum inter se conspirantium multitudo synodus est appellanda, quid obstat, quominus Epicuraeorum coetui ecclesias et concilia non liceat appellare? At ne juris consulti quidem ullam societatem scelerum aut collegia flagitiosorum [5]) coire patiuntur, quanto minus Nestorianorum, Sabellianorum et Arianorum nefariae conjurationes [6]) in Deum concilia dici debent, cum abrogaverint praecipuum fidei caput, scilicet Christi deitatem ac trium personarum in unius essentia trinitatem, quam firmissimis innumerabilium conciliorum ac potissimum Nicaenae synodi fundamentis stabilitam debemus tueri.

OCTAVIUS: Christianae religionis antiquitatem — — — — [7])

Hic CORONAEUS, cum Octavium ad responsionem paratum prospiceret ac diutius de rebus gravissimis protracta disputatio fuisset, coetum solvens: Post coenam caetera, inquit, ne Octavium de possessione loquendi dejecisse videamur; tum illud disseretur, si placet, an viro bono de religione aliter sentire liceat, quam publice profiteatur? Ita, salutati vicissim, cum summa spe futurae disputationis discesserunt.

---

1) Alibi: religione. 2) Azora 2. 3. 6. 3) Alibi: legiones. 4) Epiphanius contra Arianos; Hilarius l. 3. de trinit. 5) Alibi: flagitiorum. 6) Alibi: conciones. 7) Alii codices adjiciunt: conspiciuntur.

LIBER QUINTUS.

Cum ad coenam singuli rediissent, ego tragoediam Octavii persequi jussus, cum ad eum locum pervenissem, quo Soliman, Turcarum rex, primogenitum Mustapham fracta gula in interiore cubiculo coram ingenti exercitu ad Prusiam [1]) coacto projici mandavit, praeconis voce ad tubae sonitum altissime exclamante hoc carmen:

Sit unus coeli imperator [2]) maximus,
Sit unus terrae imperator praepotens;

consistere me jussit Coronaeus, qui quidem secundis [3]) mensis affabre ficta [4]) poma veris ita miscuerat, ut acutissimus quisque [5]) posset falli.

FRIDERICUS, homo minime malus, specie deceptus, cum pomum fictum dentibus admovisset: Haud scio, inquit, an quisquam vestrûm non falleretur. Quum caeteri propius intuentes admirati sunt tam artificiose ficta [6]) poma, ut de arbore decerpta viderentur, CORONAEUS: Si oculorum sensus, omnium acutissimus, tam absurde fallitur in rebus levissimis, quî [7]) fieri potest, ut mens, quae nihil nisi a sensibus habeat, rerum arduarum ac sublimium scientiam certam nanciscatur?

SENAMUS: Didiceram ab Aristotele [8]), sensus nunquam, sed mentem saepe falli.

TORALBA: Et ab Academicis, opinor, peccatur, sensus semper falli ac nihil scire posse, et ab Aristotele, quod sensus nunquam falli putat; gravius [9]) tamen ab hoc, quam ab illis, quod mentibus nihil inesse affirmant, quam quod a sensibus hauserint; sed quoniam haec a nobis fusius disputata sunt in quaestione de anima, nihil repetitione opus esse videtur.

CURTIUS: Ars in hujus pomi fabrica (quod intentis oculis intuebatur) naturam aut vicisse aut certe exaequasse videtur.

SALOMO: Ars quidem hominis, natura vero Dei radius est, ac tantum abest, ut ars naturam vincere et exaequare, ut ne vix quidem imitari possit, ac tametsi opificia, signa picturae, hominum oculos saepe fallunt, mirabilius tamen est, in eo genere bestias falli nunquam [10]) posse. Itaque cum regem Salomonem regina Sabae fallere conaretur, vero ac ficto flore simul compositis, rogavit, uter verus esset? Princeps sapientissimus apes importare jussit, quae ad verum florem repente advolarunt, arte neglecta.

Et cum nescio quid aliud in eam sententiam dixissent, hymni modulatione immortali Deo gratias egerunt.

1) Alibi: Prassiam, vel: Russiam. 2) Alibi: temperator. 3) Alius: sentiendi. 4) Alius: picta. 5) Alibi: quisquis. 6) Alius: facta. 7) Alii: quid. 8) De anima 3, 3. 9) Alibi: quamvis. 10) Alibi: non.

FRIDERICUS, quem fictio pomi pupugerat: Utinam, inquit, sic omnes, qui falsa simulare ac vera dissimulare acutissime norunt, tanta felicitate detegerentur.

CORONAEUS: Rem omnium maximam optat Fridericus, quae tamen nec appetenda [1]) nobis et unius Dei propria sit. Nam si omnes omnium voluntates et cogitationes omnibus paterent, nec suam innocentiam boni contra vim improborum tueri nec de sceleratis justa supplicia sumi possent, quia [2]) per leges humanas cogitationes flagitiosae poenam non patiuntur. Idcirco bonis improbi, cogitationibus nudatis [3]) semper insidiarentur, sceleratis vero boni nunquam. Itaque Momus suo merito irrisus est, quod cum naturam temere carperet, tum vero fenestram in pectore fieri oportuisse contenderet, ut animorum occultae latebrae ac intimi recessus explicarentur. Sed ut proverbio dicitur: Ῥᾶον ἐστὶ μωμεῖσθαι ἢ μιμεῖσθαι. Nam cum naturae parentem admirari ac laudare debuisset, impie criminatur [4]).

CURTIUS: At illud quanti est, quod nudatis consiliis scelera praeoccuparentur?

SENAMUS: Ne Deus quidem, qui omnes hominum cogitationes percipit mente ac suscepta parricidia prospicit, prius punienda judicat, quam ad exitum ea perducantur, contra quam Isocrates [5]) ac Tiro Tullius fieri oportere putabant, ne supplicio poenitentiam cogitationis impiae praevertisse putaretur [6]).

TORALBA: Ego quidem non, si possim, aliorum sensus aperire velim, sed illud optem, ut nemo aliud sentiat et aliud obloquatur, nisi id alterius commodo fiat, ut superius ab Octavio dictum est, laudabile semper fuisse, salutaribus uti mendaciis.

FRIDERICUS: Ita quidem homines hominum causa de rebus publicis ac privatis statuunt, sed cum Deus singulas mentes altissime [7]) scrutetur, mirum tamen, plerosque [8]) adire templa, sacra facere, vota verbo tenus concipere ac reddere, contra quam sentiant ac velint; ac de his quidem [9]) Deus apud Esaiam [10]): Populus hic, inquit, labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me.

SENAMUS: Quoniam Fridericus in quaestionem a Coronaeo propositam ingressus, ut accuratius discutiatur: an viro bono de religionibus aliter sentire liceat, quam publice profiteatur, distinctione opus esse opinor. Nam theologorum fere omnium summa consensione nihil aliud est religio, quam aversio a creatura ad purum unius Dei [11]) cultum, impietas vero aversio a creatoris cultu ad creaturas; verius opinor, quam Aristoteles, qui religionem

---

1) Alibi: expetenda. 2) Alii: qui, vel: quin. 3) Deest in alio codice. 4) Alibi: debuissent ..... criminantur. 5) Contra Lochiten; Tiro apud Gellium c. 29. 6) Alii: quaeremur. 7) Alibi: artissime vel: accuratissime. 8) Alibi: plures. 9) Alibi: quondam. 10) Jesaiae 29, 13. 11) Alibi additur: creatoris.

definit περὶ τῶν θείων [1]) ἐπιμέλειαν. Et pauci admodum reperiuntur, qui sine ullo bonorum, famae, capitis metu publice et privatim, ubi terrarum fuerint, Deum aeternum colant, quos ordine primo collocare possumus. Secundum genus est eorum, qui privatim Deum aeternum amplectuntur ac publica idolorum templa fugiunt. Tertium genus est eorum, qui hostium captivi idolorum ac daemonum templa supplicii metu adeunt, nihilominus tamen intimis animorum sensibus Deum aeternum contestantur, sese ab omni idololatria mentem alienam ac puram retinere, secuti Jeremiae [2]) consilium in iis litteris, quas ad cives Babylonem adductos scripsit, quos graviter cohortatur, ut cum ante idola procidere cogerentur, animis tamen et mentibus Deum aeternum adorent. Quartum genus est eorum, qui nec hostium captivi sunt, nec pericula capitis adire coguntur, sed opibus, honoribus, liberis aucti [3]), publica idolorum fana subeunt, ne opes deserere aut exulare necesse habeant, privatis tamen precibus ac votis Deum aeternum venerantur et pro statuis procidentes eundem suae puritatis testem appellant ac precantur ab immortali Deo, ne vis illa sibi fraudi sit. Quintum genus est eorum, qui, falsa religione, quam opinantur veram esse, altius imbuti, aliorum templa, quae profana putant, refugiunt ac privatis domesticisque Diis inserviunt. Sextum genus est eorum, qui privatos [4]) Deos et falsam religionem, quam habent pro vera, privatim et publice sine metu amplectuntur. Septimum est eorum, qui dubitant, verane sit an falsa opinio, quam sectantur, in ea tamen instituti publice ac privatim acquiescunt, ambigua spe salutis. Octavum genus est eorum, qui quam veram religionem putant, ob id tantum sectantur, ut pietatis opinione tutius fallere possint. Nonum genus est maleficorum et sortilegorum, qui cum in ipsis templis adoraturi procumbant, Deum illum, quem verum existimant, mentibus ac verbis tacitis impie detestantur et privatim [5]) daemonibus [6]) humanas hostias mactant, aut si de religionibus statuendi potestatem habent, sacrorum majestatem ac venerationem omni genere foeditatum conspurcant, ut qui Bahalis Peori sacra instituerunt, pudenda impudentissime revelare cogebantur [7]) ac stercoribus religionis speciem funestare, nec minus turpiter, qui, ad sagarum Pythiacarum pudenda auribus admotis, oracula excipiebant. Decimum genus est eorum, qui nullam omnino religionem, aut religionis speciem curant aut inquirunt, sed bestiarum in modum cupiditatibus ac libidini obsequuntur. Quorum [8]) teterrimi non satis habent omnem ex animo religionem et religionis speciem exuisse, verum etiam omnes omnium religiones privatim et publice irridere. Ex quibus planum fit, septem esse religiosorum hominum genera, quos amplecti soleo, quatuor vero Atheorum appellatione usurpare possumus, alios aliis deteriores.

---

1) Alibi: τὸν θεόν, vel: τὸ θεῖον. 2) Post librum Baruch, in epistola ad Judaeos in Babylonia. 3) Alibi: adjuti. 4) Alii: patrios. 5) Alius: privatis. 6) Alibi: daemoniis. 7) Alibi: cogebant. 8) Alius: omnium.

OCTAVIUS: Cui publice sine metu capitis ac bonorum non licet, Deum aeternum colere, hunc tamen ante aras daemonum ac idolorum procidentem mente pura Deum adorare posse, judicavit Jeremias [1]), cujus sententiam quis audeat aut velit aut possit improbare?

CURTIUS: Mihi profecto probari non potest eorum simulatio, qui corpore quidem statuas, mente vero Deum adorare se posse arbitrantur; id enim si licuisset, cur Paulus contra sentiens: Corde, inquit, creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Qui aliter faciunt, hos Tertullianus ἀλλοφύλους appellans: negat, inquit, quisquis [2]) dissimulat.

OCTAVIUS: Multa quidem probantur, plura [3]) improbantur, caetera nec probantur nec improbantur, sed quodammodo excusantur, ut quae vi et metu fiunt.

CURTIUS: Ita forsitan [4]) apud judices metus verberum aut gravioris cruciatus.

OCTAVIUS: Tune igitur, Curti, Deum acerbiorem arbitrare, quam humanos judices?

FRIDERICUS: Ut sit excusatio [5]) metui cruciatus [6]), quo minus clara voce quis Deum aeternum profiteatur, non video tamen, ut quisquam excusandus sit, quod ante Dianae aut alterius virginis statuam procumbat, ne opibus aut [7]) honoribus cariturus sit, modo patriam deserere liceat, ut licuit Abrahamo, qui ne ad siderum cultum adigeretur, sedes patrias jussu divino mutavit. Alioquin non video, quibusnam rationibus oraculum illud divinae vocis effugere possimus [8]): Qui me confitetur coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo, qui in coelis est. Itaque Christiani veteres, qui Juliani Augusti fraude sacra daemonibus fecerant, a suis pontificibus admoniti ac poenitentia fracti, publice exclamabant [9]): Nos animo Christiani sumus ac fuimus, Christe servator, fidem tibi non fregimus.

OCTAVIUS: Si fidem ista ratione non fregerant, errore decepti, nihil erat, quamobrem errorem deprecarentur aut precarentur veniam, cum qui errant, nullam praebeant assensionem [10]).

CURTIUS: Est apud Originem [11]) gravis et acerba reprehensio in eos, qui quod mentibus de Christo sentirent, id ipsum verbo negarent. Tales hypocritas Deus apud [12]) Heliam hac ratione refellit [13]): Reliqui mihi 7000 virorum etc. Haec verba non ad mentem [14]), sed ad corpora referri, quis non videt? Quodsi veteres [15]) Apollinis, Dianae, Jovis aeditui clara voce atheos, Epicuraeos (addit Lucianus etiam Christianos) compellebant [16]), ut ex eorum templis excederent, quanto id verius in templo Dei fieri oportet?

---

1) Epist. ad cives in Babylone. 2) Alibi: quicquid. 3) Alibi: multa. 4) Alibi: quidem. 5) Alibi: Ut sic excusatur. 6) Alibi: cruciatuum. 7) Alibi: et. 8) Matth. 10, 32. 9) Epiphanius lib. III. 10) Alibi: assentationem. 11) Contra Celsum. 12) Alius: ad. 13) 4 Regum 17 sqq. 14) Alibi: mentes. 15) Alii: Veneris. 16) Alii: compellebat vel: compellabant.

OCTAVIUS: Duobus propositis incommodis majus est declinandum, summo sapientum omnium consensu. Grave quidem est homini prudenti ac religioso, ante simulacra inania procidere, osculari, donis amplificare, tametsi mens adorantis sit aeterno Deo conjuncta; gravius tamen, impietatis labes aeternas subire et ab omni religione desertum videri, si sacra publica deseras; gravissimum, exemplo pernicioso caeteros contemtu publicae religionis ad omne genus impietatis [1]) arcessere. Haec igitur incommoda prius declinanda sunt, quam illa. Neque enim cuique licet, uxorem, liberos, parentes, familiam secum abducere [2]), et ut liceat, longissimas tamen regiones peragrare necesse est, ut populum vera religione utentem reperias [3]). Moses quidem [4]) ac Jeremias [5]) animo supplicia percipiebant, quae Israelitis impendebant, ac futurum [6]) perspexerunt, ut captivi ad hostes abducti lapides ac ligna inviti adorarent, quia [7]) prae vero Deo idola maluissent, ut per quae quisque peccat, per ea ipsa puniatur. Id tamen singulare adversus idololatriam [8]) Deus ipse amuletum dederat, ut animos ad se converterent, cum statuis inservire cogerentur, seque propitium illis fore testatus est.

CURTIUS: Ad servos et captivos haec oratio pertinet, vel ad eos, qui carceribus, vinculis, verberibus ad impios cultus adiguntur, ut [9]) quidem Albuguerii, proregis apud Indos orientales, crudelitas singularis denotatur, quod Christianorum, qui ad Muhammedem [10]) inviti defecerant [11]), dextras manus ac pollices sinistros, nares et auriculas amputari jussit. Sed haec ad eos non pertinent, quibus alio emigrare fas est.

OCTAVIUS: At licuit Naëmo principi emigrare, noluit tamen, qui tamen ab Elisaeo propheta excusatur [12]). Is enim lepra curatus vovit, se deinceps aeterno Deo sacra facturum. Si tamen, inquit, rex Syriae humeris meis innixus sacrificet [13]) Deo Rimmoni, propitius mihi sis. Ad quem Elisaeus: Vade, inquit, in pace! Quibus verbis perspicuum fit, etiam illum, qui opibus ac divitiis affluens sine ullo periculi metu contiguam Syriae Palaestinam evadere poterat, ut libere Deo sacra facere liceret, excusari tamen. Neque enim, opinor, Deus Abrahamum patriam deserere jussit, ne sideribus servire compelleretur, sed ut adversariorum insidiis liberaretur.

FRIDERICUS: Ego illum, qui corpore et publice ante aras ac statuas mortuorum procumbit, etiamsi Deum pura mente adoret, non minus peccare statuo, quam si omni religione deserta Atheus censeretur, quoniam imperitos abducit a vero Dei cultu.

CORONAEUS: Superstitio, quantacumque sit, quovis atheismo tolerabilior est; nam qui superstitione aliqua obligatur hunc numinis metus in officio quodammodo ac naturae legibus continet, atheum vero, qui nihil nisi

---

1) Alius: impietatum. 2) Alibi: ducere. 3) Alibi: reperiat. 4) Deuteron. 28. 5) Jeremiae 16. 6) Alibi: futura. 7) Alii: qui vel: quod. 8) Alibi: idololatras. 9) Alibi: et. 10) Alius: Muhammedanos. 11) Alius: defecerunt. 12) 2 (4) Regum 5, 20 sqq. 13) Alius: significet; alius: sacrificaverit.

testem metuit aut judicem, ad omnia scelera proclivi lapsu ruere oportet. Ac tametsi actionum humanarum praestantiam sapientissimus quisque non solum finibus ipsis metitur, verum etiam omnibus partibus et causis, scilicet efficiente, subjecto, forma, fine, summam tamen omnium actionum ac praecipuam causam ipso fine dijudicat [1]).

CURTIUS: Quid igitur fiet sacris litteris, quae toties ac tam saepe hypocrisin abominantur? [2])

OCTAVIUS: Ita quidem abominantur eos, qui labiis Deum, non mente colunt, quod pietatis ac justitiae speciem immanibus flagitiis praetendunt. At is qui genibus advolutus, ante idola procumbit ac nihilo secius mente sincera Deum veneratur, longissime abest ab hypocritarum perniciosa simulatione.

SALOMO: Probabili certe argumento utitur Coronaeus, vir non modo πολιτικώτατος, sed etiam εὐσεβέστατος, quo superstitionem, quantacunque sit, quovis atheismo judicat tolerabiliorem. Videtur tamen atheus, qui Deum penitus ejuravit et ex animo ejecit, minus peccare, quam qui illum cum rebus creatis conjungit eodem cultu, quia minus peccat servus fugitivus aut miles desertor, quam qui obsequium domino et imperatori suo contumeliose praestat. Quin etiam gravius peccatur ab iis, qui aeternum ac verum Deum cum falso cultus honore communicato copulant, quam qui hunc ab illo disjungunt, et veri Dei veneratione deserta inserviunt iis, quos sibi erroris opinione Deos finxerunt. Et quemadmodum uxor poenis capitalibus obligatur [3]), quae legitimum thorum, adulterio commisso, conspurcaverit, meretrix non item, quia maritum, quem nullum habet, fraudare [4]) non potest: ita, duobus superstitiosorum hominum generibus propositis, alteri quidem ingrati, qui [5]) verum Deum non exquirunt [6]), alteri [7]) contumeliosi, qui quidem aeternum ac solum Deum agnoscunt, eundem tamen insigni contumelia non dubitant societatis impurissimorum daemonum vel statuarum contubernio violare. Contumelias autem acerbius, quam injurias ferre solent ii, qui nullam suae dignitatis et gloriae curam habent; at immortali Deo suae gloriae decus quanti sit, indicat illa obtestatio apud Jesaiam: Cui, inquit [8]), me exaequavistis, aut cujus similem fecistis? Vivo ego, si meos honores cuiquam impertiar? Et quidem impios Deus saepe execratur, saepius tamen eos, qui se cum diis peregrinis [9]) communi caeterorum obsequio conjunxerunt, supra modum zelotypia commotus abominatur. Et quoties agit de jure suae majestatis,

---

1) Petrus Lombardus ex Augustino libro 2. sent. 1. qu. 1. Thomas in secunda secundae q. 15. et canon. ministr. 23. qu. 5., ubi intentio mala reddit opus malum, quod alioquin bonum fuisset, et 15 qu. 6. cap. 51: Si sacerdotibus. 2) Job. 8. 13. 15. 17. 20. 27. 34. Jesai. 9 et 33. Matth. 6. 7. 15. 22. 23 et 24. Luc. 12. 13. Jer. 9. Ezech. 33. Mal. 3. 2 Regum 15. 3) Numerorum 20, 10. 4) Alibi: foedare. 5) Alibi: quod. 6) Alibi: cognoscunt vel: agnoscunt. 7) Alius: aliter. 8) Jesaiae 46, 9 sq. 9) Deest in alio codice.

agit autem [1]) saepissime, supra homines et supra Deos hominum [2]) fictos et supra quicquid est, quod hujus mundi ambitu comprehensum videmus, ut in altissimo imperii et honoris culmine collocatus, caetera fluxa ac caduca longissime infra se despiciens, pro nihilo esse et ex nihilo creata et ad nihilum recasura [3]) testatur.

OCTAVIUS: Non dubito, illum, capitaliori fraude obligari, qui sciens, prudens creatorem cum creatura [4]) honoris communicatione conjungit, quam qui Deos fictiles una cum vero Deo plane rejicit. Et quidem [5]) mallem diceres, Octavium nunquam exstitisse aut abs te, Coronaee, qui singulari amore me amplecteris, repudiari, quam furiosum, petulantem, iracundum, impium dici ac talium hominum contubernio copulari. Sic quoque praestat, Deum non esse, mentiri, quam aut mortalem aut corporeum arbitrari aut cum sanctis [6]) illum eodem cultu, iisdem sacris, eadem ara consecrare [7]). Sed qui statuas ac sidera pro Diis habent, vel angelos ac divorum mentes iisdem sacris cum aeterno Deo conjungunt, etsi non recte faciunt, attamen in eo sunt, ut quodammodo excusationem mereantur, cum integra mente et animo, recta conscientia, sic a pontificibus instituti, sic docti, sic imbuti, numen [8]) sibi cognatum et cognitum colant.

SALOMO: Agnosco, rectam illam animi conscientiam Deo non ingratam esse. Argumento est, quod lege divina capite plectatur [9]) et is qui quem Deum esse putabat, verbo violavit, et qui aeternum Dei nomen minus diserte pronunciavit [10]). Vocem enim אֱלֹהֶיךָ i. e. Deum tuum distinxit a nomine sanctissimo יהוה, quo Deus aeternus significatur, et utrumque [11]) ab utroque segregatur, quod arcanum latet imperitos linguae sanctae. Ex quo sequitur etiam, aeterno Deo non [12]) ingratum esse cultum, qui fictili [13]) Deo exhibetur bona fide. Itaque videmus [14]) Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Josuam foedera cum paganis idolorum cultoribus ferientes, jurejurando Deorum suorum illos obligasse, ut non minus peccâre videretur, quod [15]) Deos fictiles, quam qui Deum aeternum perjurio violarent.

OCTAVIUS: Est apud Aristotelem [16]) memorabilis historia: si quis in charta jusjurandum scripsisset, illamque in fontem Palicorum [17]) jecisset [18]), si pejeratum esset, charta fundum petebat, et qui perjurio sese obligarat, brevi moriebatur.

SALOMO: Si peccatur ab eo, qui, quem Deum putabat, eundem perjurio contumeliose afficit, etiam si Deus non sit, consequens est, Deo non ingratos esse honores, qui errore justo ac bona fide Diis fictilibus exhibentur.

---

1) Alibi: enim. 2) Addunt alii: inani opinione. 3) Alibi: evasura. 4) Alibi: creaturam cum creatore. 5) Alius: plane. 6) Alibi: cum his. 7) Alii: consociare. 8) Alibi: mundum. 9) Alius: plectitur. 10) Levit. 24. — Alibi: pronunciant vel: enunciaverit. 11) Addunt alii: caput. 12) Deest in aliis codicibus. 13) Alibi: futili. 14) Genes. 37, 31. Josuae 9. 15) Alii: qui. 16) περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων. 17) Alii: Palisorum, vel: Palyrum. 18) Alius: conjecisset.

CURTIUS: Quis errore justo [1]) se tueri potest, ut dominum servo, regem subdito, creaturam creatori cultu anteferat aut conferat?

OCTAVIUS: Veteres populi, paucis admodum exceptis, aut peregrina numina coluerunt, aut cum Deo conjugarunt [2]), quin etiam illi ipsi, qui in Samariam jussu regis Assyrianorum [3]) venerant [4]), Deo aeterno simul ac Diis patriis sacrificabant; justo quidem errore, cum ita instituti [5]) essent ac a suis pontificibus imbuti, ac si aliter fecissent, quam a pontificibus praescriptum esset, impietate se ipsos obligare [6]) viderentur, quoniam pontifices ubique religionis sunt judices, ut L. Lucullus pontifex in senatu disserebat [7]). Nec divina lex cuiquam judicia religionum praeterquam pontificibus et ordini Levitico [8]) tribuit, tametsi violatae religionis supplicia quoque ac caeteris irrogari velit.

FRIDERICUS: Quid igitur Christus, cum diceret [9]): Eum qui domini jussa mente [10]) percepit ac plane intellexit, si minus exequatur, gravissimis plagis vapulaturum, eum vero qui penitus ignoravit [11]), minus quidem, sed vapulaturum tamen et ignorantem simul cum ignorantia ac inscitia periturum?

OCTAVIUS: Profecto verberibus dignus non modo is, qui domini jussa, quae exequi poterat, contemsit, sed etiam is, qui non exsequitur, non tamen is, qui nec scire poterat et suorum pontificum culpa [12]) in fraudem impulsus est, cum Dei sui voluntatem ac jussa diligentissime exquireret [13]). At pontifices, sacerdotes, episcopi, ministri religionum ac sacrorum interpretes Dei voluntatem ignaris ac imperitis litterarum omnium hanc esse interpretantur ac persuadent, ut non solum aeterno Deo, sed etiam Apollini, Dianae, Virgini, Palladi, Angelis, daemonibus, statuis hominum ac bestiarum, cadaveribus et cineribus sacra faciant. Hanc igitur illiteratorum et agrestium hominum imperitiam quis accuset? aut quis poenas mereri putet? quis potius non reprehendat [14]) eorum pervicaciam ac superbiam, qui pontificibus ac sacerdotibus non acquieverunt? cum lege divina [15]) sanctissime caveatur, eos, qui pontificis magni decretis non paruerint, capite puniendos.

SENAMUS: Ego quidem sic existimo, eos, qui pontificum suorum auctoritate freti ac jussis obsequentes, statuas vel ossa putrida pro Deo coluerunt, bona fide semper excusari.

SALOMO: Divina lex [16]) pontifices ac sacerdotes tantae eruditionis ac sapientiae esse voluit, ut nullam erroris praetexerent excusationem, quoties de jure divino quaereretur, cum tamen caeteros non modo universos,

---

1) Alius: decore, juste. 2) Alibi: combinarunt. 3) Alii: Assyriorum. 4) 2 Regum 17. 5) Alibi: instructi. 6) Alibi: commaculare. 7) Cicero ad Atticum l. 4. 8) Deuteron. 22. 9) Lucae 12, 47 sq. 10) Deest in alio codice, qui legit: percipit. 11) Alibi: ignoraverit. 12) Alii: causa. 13) 1 Corinth. 14. 14) Alibi: reprehendet. 15) Deuteron. 17. 16) Levit. 5.

sed etiam singulos ipsumque populi totius principem errore peccantes semper excuset.

TORALBA: Justum errorem justa excusatione purgari non dubito, litterarum etiam atque eruditionis expertes, qui [1]) in majorum suorum institutis ac pontificum suorum decretis acquiescant, justam erroris causam habere, non tamen litteratos ac potissimum eos, qui doctrina rerum naturalium imbuti fuerunt, a qua quidem certissimas de unius Dei natura, potentia, bonitate notiones elicere potuissent, uti etiamnum Paulus ipse aperte declarat.

SALOMO: Praeclara quidem vis naturae est, hominum mentibus insita, quae illos ad pietatem, justitiam, virtutes omnes exsuscitat: sed ut divinam sententiam assequatur, nisi Deus ipsos afflaverit [2]), non magis fieri potest, quam inclusa tabula [3]) docta manu picta atque elegante colorum varietate distincta videri, sed oportebit perspicuo lumine illustrari. Ita [4]) Moses coacta populi concione declaravit [5]), cum diceret: Non dederat hactenus vobis Deus cor ad intelligendum, nec oculos ad intuendum, nec aures ad audiendum, annos tamen quadraginta populum ab Aegypto per desertissimas regionum vastitates reduxerat [6]) in Palaestinam cum ingentibus ac stupendis rerum admirabilium [7]) prodigiis ac portentis. Interdum Deus homines ita excoecari patitur, ut etiamsi rerum omnium magnarum scientiam adepti sint, nunquam Dei cognitione ac vera religione fruantür, quoniam ingenii acumine ac subtilitate elati feruntur atque arroganti supercilio divinam sapientiam [8]) suo studio se assequi posse confidunt. Job [9]) vero aperte confitetur, nec in aquis, nec in terris, nec in daemonibus, quos volucres appellat, sapientiam inesse, sed solius immortalis Dei munere et concessu tribui ad eamque assequendam lucernam divinam sibi praeluxisse.

TORALBA: Istud quidem assentior, non tantam naturae esse vim ac potestatem, ut sine ope ac luce divina consummatam illam rerum divinarum sapientiam assequatur. Videmus enim Aristotelem, qui veterum omnium philosophorum fontes exhauserat [10]), multa quidem argute et ordine decente scripsisse, rerum vero divinarum scientiam nullam habuisse [11]), ut supra perspicue demonstratum est [12]), Platonem vero, qui ab Aristotele argutiarum subtilitate superatur, multo certiores de Deo deque mortalium animarum vi ac potestate comprehensiones habuisse, quas sine divina luce nunquam potuisset adipisci. Nam cum in ipso ineuntis aetatis flore Phaedonem scripsisset: Libenter, inquit, mentis [13]) illius aeternae praestantiam ac naturam didicissem, sed neque per me ipsum intelligere, neque ab alio audire poteram. Quibus autem ritibus Deus homini colendus sit, qui doceat, fore

---

1) Alibi: quod. 2) Alibi: afflavit. 3) Alius: inclusae tabulae .... distinctae ... pictae. 4) Alius: Id autem. 5) Deuteron. 29, 4 sqq. 6) Alius: deduxerat. 7) Alibi: imo admirabilibus. 8) Alibi: divina. 9) Jobi 29 sq. 10) Alii: exhauserit. 11) Alius: hausisse. 12) Alibi: fuit. 13) Alius: mortis.

neminem confitetur [1]), nisi Deus ipse ducem se praebeat. Id autem appellat rem omnium maximam ac praecipuam, τὸ μέγιστον καὶ κυριώτατον. Cui congruit illud Arriani ad Epictetum: Nos a Deo per angelum de rebus maximis ac pulcherrimis admoneri, περὶ τῶν μεγίστων καὶ κυριωτάτων διὰ καλλίστου ἀγγέλου. Idem paulo post: Memento aeterni Dei illumque adjutorem appella: τοῦ θεοῦ μέμνησο, ἐκεῖνον ἐπικάλου βοηθόν. Quid Jamblichus? Certum est, ea sola fieri oportere, quibus ipse Deus delectatur, quae assequi nemo potest, nisi aut Deum ipsum audierit aut arte quadam divina sibi illud comparaverit.

SALOMO: Quo quisque Deum accedit propius ac ardentius amat et metuit, eo lux illi salutaris copiosius affulget, quam Aristoteli defuisse quis miretur, cum vix unquam Dei meminerit, cui etiam illudit, cum animal vocat aut negat justum esse, fortem, prudentem, sapientem, inanissimis [2]) sophismatum argutiis confisus. Quid autem capitalius quam arbitrari, eum, a quo sapientia, prudentia, justitia, virtutes omnes oriantur, iisdem ipsum carere? [3]) Idem libro decimo quarto τῶν μετὰ τὰ φυσικά (nam duo posteriores Arabum beneficio in latinum redierunt), ubi praecipuum erat de Deo argumentum [4]) nihil usquam nisi libri decimi primi capite postremo, idque tam breviter, ut rem praeteriisse potius, quam attigisse videatur. Plato saepissime [5]) de Deo vero, nec tamen aliter, quam summa cum veneratione ac numinis metu scribit et in contemptores [6]) Dei supra modum excandescit, illud autem frequenter usurpare solet: si Deus velit, aut ubi Deo collibuerit, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ vel ἐὰν μὲν τῷ θεῷ φίλον. Denique Deum solum bonum persuasum esse habet in eoque virtutes omnes παραδειγματικὰς καὶ αἰτιώδεις εἶναι. Quis ergo tantam sapientiam ac numinis claritatem in eo fuisse dubitet, qui Deo et cui Deus tam carus exstiterit? [7])

SENAMUS: Sed Platonem [8]) tametsi de Deo tam praeclare scriberet ac sentiret, Apollini, Palladi caeterisque diis populorum sacra fecisse ac sacris interfuisse videmus, etsi litteris secretioribus amicos ad unius Dei aeterni cultum et cognitionem cohortaretur.

SALOMO: Mirum videri debet nemini, si Platoni divina lux abundantius, quam caeteris philosophis affulsit, cum tanta veneratione scriptis omnibus Deum persequeretur [9]), ut eum Numenius Academicus Mosen Atticum appellare non dubitarit. At noster legislator aeque ac Salomo non semel admonuere, Deum ab iis inveniri, qui toto mentis impetu feruntur in ejus investigationem ac venerationem; et quidem me de Deo disserentem metus invadit cogitantem, nihil ab hominum oratione, nihil a mente proficisci, quod tantae majestati congruere possit, seu sententiarum seu verborum ponderibus

---

1) Alibi: fere neminem esse confitetur. 2) Addit alius: ac levissimis. 3) Aristoteles lib. 14 Metaphys. 4) Alibi: argumentari. 5) In Timaeo, in Phaedone, in Alcibiade, in Theage. 6) Alibi: contemplatione, vel: contemplationibus. 7) Alius: extitit. 8) Ep. 7 ad Dionem. 9) Alius: prosequeretur.

res exigatur. Et ut sit aliquis ea religione ac naturae bonitate, ut toto animi conatu in Dei amorem rapiatur, ut etiam orationis ubertate ac verborum luminibus Dei laudes exornare, ut omnia ejus gesta, judicia, leges rerumque omnium mirabilem procurationem sermonis copia complecti, ut illius vim infinitam, potestatem, sapientiam cogitatione, verbis, scriptis prosequi possit, ut denique tanti numinis majestatem omnibus ad intuendum proponat, frustra tamen se torqueat, nisi Deus ipse afflaverit [1]) aures et mentes auditorum.

CORONAEUS: Demus igitur operam, ut qui amore ac necessitate studiorum unum et idem esse videmur, unum et idem de rebus divinis sentiamus, ut tandem praepotenti optimoque rerum omnium conditori similes fiamus. Nam in eo videtur Plato summum hominis extremumque bonum posuisse.

CURTIUS: Eadem est Christi et acutissimi cujusdam theologi [2]) sententia: Ei, inquit, cum apparuerit, similes ei erimus.

SALOMO: Non video, cur in eo summi hominis bonum constituere debeamus, cum nihil creatori cum creatura simile ac commune esse universim [3]) possit, ut R. Moses non semel admonuit, sed verius est, extremum hominis bonum in aeterni Dei fruitione versari. S a t i a b o r, inquit David [4]), c u m a p p a r u e r i t g l o r i a t u a.

SENAMUS: Ego ab Aristotele didiceram [5]), summum hominis bonum in virtutis amore [6]). consistere.

TORALBA: At ille [7]) suorum decretorum constantiam non tuetur, cum aliàs summum bonum in mentis actione collocarit, quo quidem loquendi genere usus est, ne cum [8]) magistro Platone, cujus omnia decreta evertere [9]) conatus est, idem dicere videretur, cum tamen idem sentiret, quia nemini dubium est, quin ipsa mentis actio sit comtemplatio, quam impropric actionem appellat. Neuter tamen verum hominis bonum attigisse videtur, quia tametsi negotium ad otium, motus ad quietem referatur, actio ad contemplationem, ipsa tamen contemplatio esse potest rerum abjectiorum ac viliorum, et ut sit circa rem omnium optimam et maximam, quoniam alio refertur, extremum bonum dici nequit. In quo rursus Aristoteles [10]) non leviter lapsus, quod finem hominis cum ejus summo bono confundit.

SENAMUS: An potest alius esse finis hominis, aliud extremum ejus bonum?

TORALBA: Quidni? Fines rerum omnium genitarum sunt extra res ipsas, nihil enim fit propter se, bonum vero cujusque rei in se vertitur, et ejus commodo, non alterius expetitur, quoniam se quisque plus amat, quam bonum illud, quod sui beandi causa conquirit. Gramen enim progerminat,

---

1) Alii: a f f l a v i t, vel: a f f l u x i t. 2) Joh. 3. 7. 8. 9. Acta 14. Calvini institut. 3) Alii: u n i v o c e. 4) Psalm 16 (17), 15. 5) Eth. ad Nicom. lib. 7. 6) Alius: a c t i o n e. 7) Alibi: A t q u i. 8) Desunt haec novem sequentia verba in alio codice. 9) Alibi: r e j i c e r e. 10) Libro 2 et 11 ad Nicom.

ut sit pabulum pecori, pecus hominum victui [1]), jumenta ut hominibus sint adjumento [2]) ac pro illis moriantur. Nemo tamen dixerit, hunc bestiarum finem extremum esse bonum illarum, cum rerum omnium commune bonum sit, bene esse pro cujusque natura. Ita quoque finis hominis est, inserviisse gloriae Dei. Omnia, inquit ille [3]), feci propter me ipsum, etiam impium ad diem ultionis, cum scilicet impius flammis exuritur aut in mare demergitur, ut Pharao cum legionibus eum finem habuere, ad quem nati, facti, editi fuerant. Sic enim Deus ad Pharaonem: Ad hoc excitavi te, ut ostenderem in te virtutem meam et ut mei nominis fama ubique dispergatur. Nemo autem dixerit, Pharaonem summum bonum adeptum fuisse. Ex quo sequitur illud etiam, eos scilicet aberrare, qui argumentum aut subjectum [4]) philosophiae moralis statuunt esse summum bonum, quod per se ipsum Deus est, nec aliud cogitari potest.

SENAMUS: Quodnam igitur subjectum futurum est sapientiae [5]) moralis?

TORALBA: Homo beandus.

SENAMUS: Cur ita?

TORALBA: Quoniam omnis disciplina, quae ad actionem refertur, subjectum habet id, cui primo acquiritur ipsius actionis bonum, non autem ipsum bonum, ut valetudo non propter se ipsam appetitur, sed propter hominem. In quo rursus deprehenditur aliud peccatum Aristotelis [6]), quod [7]) summum bonum statuit in eo, cujus causa caetera non cupias, ipsum vere propter se, non alterius causa, quia Dei fruitio, in qua psaltes lyricus [8]) et Salomo felicitatis humanae summam constituunt, non propter se ipsam, sed propter hominem ab homine expetitur. His erroribus sublatis, caetera, quae ad felicitatem illam pertinent, faciliora sunt futura. Cum enim lex divina ad honesta prosequenda turpiaque declinanda hominem excitaret, illud subjicit, ut bene tibi sit, quia Deo nihil accedere, nihil decedere potest. Igitur actio virtutis non est extremum hominis bonum, quoniam ad contemplationem, ut motus ad quietem refertur, contemplatio ad optimae rei h. e. ad Dei cognitionem, cognitio ad ejus amorem, amor eximius ad fruitionem. Ad quod enim amas, nisi ut re amata fruaris? In hac autem fruitione summa voluptas animi versatur in actu reflexo h. e. in clarissima lucis et amoris Dei erga nos effusione, quam patiendo adipiscimur, non agendo.

SENAMUS: Sed cum haec beatitas divinae fruitionis mortalium nemini contingat tantisper, quam mortalis corporis ergastulo inclusa mens est, quis unquam beatus erit?

SALOMO: Certe paucis admodum felicitas illa contigit, ut Mosi tantum vigilanti, caeteris prophetis dormientibus, nec [9]) tamen omnibus. Video [10]),

1) Alibi: victus. 2) Alibi: sint hominum adjumenta. 3) Proverbiorum 16, 4. 4) Alibi: et fundamentum. 5) Alibi: philosophiae. 6) Ethicorum libro 1 cp. 7. 7) Alibi: qui. 8) Psalm. 16 (17). 9) Alibi: non. 10) Alibi: Vidi.

inquit Esaias [1]), Deum in sublimi sede majestatis et viderunt oculi mei regem Deum exercituum. Item Ezechiel [2]) oratione longiore se hanc beatitudinem assecutum gloriatur. Huic felicitati proximus est prophetiae gradus, cum divina lux, intercedente angelo humanae menti copulato inter dormiendum affulget.

SENAMUS: Quid Aristoteli [3]) fiet, qui beatam vitam in actione virtutis ob id consistere docuit, ne dormientes, inquit, beati videantur?

SALOMO: Tantum abfuit ille a veri summique boni cogitatione [4]), ut bonorum fines ac malorum cum extremis bonis et malis confuderit, ut Toralba disseruit, quin etiam hominis officium, finem ac felicitatem unum et idem esse putavit, quia secundum virtutem vivere hominis officium est, quod ille summum bonum appellat [5]).

FRIDERICUS: Ego vero summum hominis bonum Dei cognitione per Christum terminari confido. Haec est enim, inquit ille, vita aeterna, ut agnoscant te Deum verum et quem misisti Jesum Christum [6]).

SALOMO: De Christo quidem alias. Sed Dei cognitio proximus [7]) est ad illam, quam expetimus, felicitatem gradus. Sic enim sapientiae magister [8]): Nosse Deum [9]) consummata justitia est, et tuae potestatis agnitio radix est immortalitatis. Illa tamen cognitio fertur ad cultum, cultus ad amorem, amor ad fruitionem, quae summam animi voluptatem parit, vel potius ipsa voluptatis [10]) est fruitio.

TORALBA: Haec igitur mea sententia est, primos illos aurei saeculi parentes, quos superius diximus, Abelem, inquam, Enochum, Jobum sine lege, Mosen sine Christo veram illam divinae voluptatis fruitionem purissime lege naturae adeptos fuisse.

SALOMO: Non alia mihi mens est. Nam cum Abrahamum legem altissimi coluisse legimus [11]), quid est aliud, quam naturae legis exemplar secutum esse? Et quidem Philo Hebraeus [12]): Edicta, inquit, duarum tabularum nihil a natura discrepant, nec magno studio opus est, ut vitam exigas ad praescripta legum divinarum, quoniam nihil aliud, quam naturae legem et majorum nostrorum vitam continent. Haec ille. Sed quoniam aetate Mosis naturae lex hominum sceleribus ac flagitiis ita inquinata erat, ut penitus ex animis obliterata videretur, et quasi sua vetustate antiquata, Deus optimus maximus, hominum vicem misertus, eandem naturae legem sua voce renovare ac decalogo, quem tabulis lapideis inscripserat, complecti voluit, ac potissimum interdicta, quibus naturam violare prohibemur. Cum igitur

---

1) Jesaiae 6, 1 sqq. 2) Ezech. 2, 1 sqq. 3) Eth. ad Nicomachum. 4) Alii: cognitione. 5) Alibi: vocat. 6) Johannis 17, 3. 7) Alibi: maximus. 8) Sapient. 15, 3. 9) Alibi: te. 10) Alibi: voluptas. 11) Genes. 22. Sirac. 44. 12) In libro de vita sapientis.

homines ad naturae legem obsurduissent, divina vox necessaria fuit, ut qui naturam contemserant, naturae parentem sua verba resonantem exaudirent.

OCTAVIUS: Muhammedes Mosem imitatur, cum leges naturales, i. e. divinas pessum ire ac pro Deo aeterno mortuis hominibus cultum exhiberi perspiceret, naturae legem de unius aeterni Dei cultu renovavit, mortuorum hominum funestissima sacra sustulit. Sic enim [1]) Deum Abrahami se colere ac vitam Abrahami ad usum revocare clara voce testatur [2]), se vero nihil aliud esse, quam Dei nuntium ac servum, caeteris etiam prophetis inferiorem [3]).

CURTIUS: Optimum divinae legis interpretem habemus Christum, quo nec majorem possumus [4]) nec optare meliorem, qui non est alius, quam Deus ipse ab aeterno tempore [5]) genitus, qui hominem tantum induit, ut humanum genus ab interitu et exitio servaret sempiterno.

FRIDERICUS: Non alia mihi mens est, nec a Curtio diversa de religione sententia, nisi quod Helveticam, opinor, amplectitur [6]), ego vero Augustanam, quae auricularem quidem confessionem, non tamen singulorum peccatorum dinumerationem probat [7]). Item Christi verum corpus mystica verborum prolatione panis speciei subesse confido [8]), quod Helvetica ecclesia negat, et statuas ad imitationem, non vero ad cultum admitti oportere existimo [9]), quas Helvetii novae religionis professores rejiciunt omnino.

CORONAEUS: Ego vero ecclesiae Romanae catholicam religionem [10]), in qua natus ac educatus semper acquievi, vobis probatum iri spondeo, si qua fides, quae maxima semper fuit scripturae sacrae [11]), conciliorum decretis ac sanctissimorum patrum per quindecim saecula concordibus animis ac sententiis futura sit. Fundamenta quidem firmissima jacta sunt ab ipso Christo, ecclesiae totius principe, deinde ab apostolis ac discipulis, quasi parietibus constructa, a pontificibus Romanis tecta et consummata est [12]). Quorum pontificum triginta tres continentur [13]), qui pro Christi nomine caesi fuere, tum innumerabiles sacrorum antistites ac omnium gentium pontifices eandem ecclesiam moribus, miraculis, divinis scriptis [14]) fulcierunt: Irenaeus, inquam, Lugdunensis, qui a successione Romana fidem apostolicam declaravit, Augustinus Hipponensis [15]), qui ecclesia Romana viguisse scribit apostolicae cathedrae principatum, Ignatius et Chrysostomus Antiochiae, Petrus Alexander, Athanasius, Theophilus Alexandriae, Macarius et Cyrillus Hierosolymis, Gregorius et Basilius in Cappadocia, Polycarpus Smyrnae, Justinus Athenis, Dionysius Corinthi, Gregorius Nyssae, Methodius Tyri, Epiphanius in Cypro; sed infinitum sit omnes commemorare.

---

1) Alius: etiam. 2) Azora 4. 3) Alibi: infeliciorem. 4) Alii: possimus. 5) Deest in aliis codicibus. 6) Alibi: opinionem complectitur. 7) Alius: probo. 8) Alibi: existimo. 9) Alibi: confido. 10) Alibi: religione. 11) Alius: fuit, scripturis sacris, ctt. 12) Damasus in vitis pontif. Romanorum. 13) Alius: recensentur. 14) Alii: doctrina, scriptis. 15) De doctr. christ. c. 8. et Epist. 162.

Hic SENAMUS, qui aliquamdiu haeserat, cum loqui proposuisset: Omnes, inquit, omnium religiones, tum naturalis illa, quam amplectitur Toralba, tum Jovis gentiliumque Deorum, quos Orientales Indi ac Tartari colunt, tum Mosis, tum Christi, tum Muhammedis, quam suo quisque ritu non fucata simulatione, sed integra mente prosequitur, aeterno Deo non ingratos ac justos errores excusari confido, tametsi omnium gratissima est illa, quae optima. Itaque omnium omnia delubra, templa, sacella, ubiubi terrarum sint [1]), adire non gravate consuevi, tum ne pernicioso exemplo Atheus judicer, tum etiam ut caeteri divini numinis metu terreantur. Quod meum studium optimo cuique probatum iri non diffido, tum ex iis, quae superius dicta, tum ex eo maxime, quod religiosissimos populos, quantacunque Deorum fictilium superstitione uterentur, virtutibus, potentia, imperiis, opibus, victoriis Deus aeternus, praemiorum arbiter, beavisse mihi videtur [2]). Qui vero suae religionis ac Deorum etiam inanium, in quibus ullam [3]) divinitatem inesse arbitrarentur, cultum deseruissent, bellorum offensionibus peculiaribus [4]), morbis [5]), frugum calamitatibus, pecorum inopia, seditionibus intestinis conflictari semper consuevisse, quod historicorum omnium consensione [6]) planum [7]) fit [8]).

TORALBA: Si vera religio naturalis eaque perspicuis demonstrationibus explicatur, ut non modo Octavius, sed etiam Salomo ipse confitetur, quid Jove, quid Christo, quid Muhammede, quid mortalibus et fictilibus [9]) Diis opus est? Quis omnium theologorum melius aut accuratius, quam Jobus Dei majestatem, potentiam, bonitatem, sapientiam, judicia admirabilia, summam denique erga res omnes procurationem explicare potest? Quis item arcana plura rerum naturalium ac divinarum allegorica narratione complexus est, quam ille? quis de omnium mortalium genere purius Deum aeternum adoravit [10])? Ille tamen Arabs, antiquior Mose, non alia quam naturae lege, quam Abelis lege vixit. Deus tamen, integritatis ac pietatis judex aequissimus, tantam illi justitiae, religionis, puritatis laudem dedit, quantam mortalium nemini. Christum, qui post annorum duo millia natus est, nec speravit nec venturum suspicatus unquam, multo minus Muhammedem. At cum solis et siderum mirabilem magnitudinem, sublimitatem, rapiditatem intelligeret: Dispeream, inquit, si solis ac siderum splendorem ac pulchritudinem intuens ad eorum adorationem prociderem, quia scelus est capitali poena plectendum, Deum enim excelsum ejurassem [11]).

FRIDERICUS: Eo ipso, quod Toralba Jobi libro, quo nihil divinius fieri [12]) potest, atque ejus auctoritate utitur litterarumque sacratiorem majestatem veneratur, profecto a philosophorum gregibus segregari se putat oportere?

---

1) Alibi: sim vel: sunt. 2) Alius: videatur. 3) Deest alibi. 4) Alibi: popularibus. 5) Deest in aliis codicibus. 6) Alius: consensu. 7) Alibi: clarum. 8) Alii: sit. 9) Alii: futilibus. 10) Job. 1 et 31. 11) Job. 31. 12) Alibi: esse.

TORALBA: Libros sacratiores melioris notae non improbo, neque tamen iis assentior propter litterarum auctoritatem, neque enim id possum ac ne velim quidem, si possim. Sed quia certis [1]) rationibus adducor, et quoniam disputatio saepe nobis est cum Epicureis, qui litteras sacras pro fabulis habent, hos ego non librorum auctoritate, sed perspicuis argumentis frangi atque ab illis, quasi adhibita quaestione assentionem extorqueri volo, ut res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione certet. Nam qui credit, Deum esse trinum et unum, quoniam a Deo ipso revelatum, oportet argumentis necessariis constare, id a Deo revelatum esse, cui plus assentimur ut conclusioni propter principia, quae si non erunt [2]) certiora conclusione, nihil poterit fieri, quia conclusio in principia resolveretur, haec item ut alia aeque [3]) incerta.

CURTIUS: In rebus divinis, quae a demonstratione longissime absunt, usurpandum illud est, quod apud Lucam legimus [4]): D o m i n e, a d a u g e f i d e m m e a m [5]).

SALOMO: Superius dictum est, fidem omnem aut argumentis perspicuis aut sensibus integris aut divinis oraculis niti, fidem infusam nullam esse, nisi oraculo prophetae [6]) divinitus homini dato, quod omni scientia certius est. Sed quia rarissima nunc sunt prophetiae, acquiescere nos oportet oraculis prophetarum, quae majores nostri summa fide posteritati reliquerunt, quoniam Christiani Alcoranum, Ismaëlitae quidam [7]) novum Testamentum; Ebraei utrumque repudiant.

OCTAVIUS: Ismaëlitae quidem hos evangeliorum libros, qui Christianorum manibus teruntur, ut corruptos a sectariis omnino rejiciunt, vera evangelia, quae tamen ipsi nusquam habent, penitus intercidisse putant.

FRIDERICUS: Cur igitur Muhammedes [8]) Gabrielem inducit ita loquentem: Si de legibus et edictis ad te missis dubitas ulla in re, majorum libros legito, nihil amplius haesitabis. Item Azora, cujus initium est: Sors Amram [9]), Deus inquit misericors, vivens, altissimus, primo vetus Testamentum, deinde Evangelium, postremo veracem Alphaream [10]), vestrae legis confirmatorem, vobis dedit. Igitur utriusque Testamenti tabulae, veteris et novi, aut usquequaque probandae sunt, aut usquequaque rejiciendae. Quanquam nihil est novis tabulis comprehensum, quod legibus divinis et prophetarum oraculis non congruere videamus.

SALOMO: Veteres majorum nostrorum tabulas probant Ismaëlitae, Christiani, Judaei; sed quando Alcorani ac novarum tabularum fides in dubium revocatur, veteribus tabulis utendum nobis est, ac testes omni exceptione majores adhibendi. Hi autem exquirendi nobis sunt ab ecclesia

---

1) Alii: c e r t i s s i m i s. 2) Alibi: e s s e n t. 3) Alius: q u a e q u e. 4) Lucae 17, 5. 5) Deest hoc verbum alibi. 6) Alibi: p r o p h e t i a e. 7) Deest in aliis codicibus. 8) Azora 91. 9) Azora 3. 10) Deest alibi.

vera, cujus tanta sit dignitas, ut si omnium scripturarum ac litterarum monimenta pereant, ab ecclesia tamen superstite rerum gestarum veritas ac memoria in sempiterna posteritate resident. Ob id enim Moses in populi concione: Narrabis, inquit, haec filiis tuis [1]), ne quis legem divinam cum litteris suspicaretur interituram. Item apud Jesaiam [2]) Deus Israëlitas sic obtestatur: Vos a me rerum gestarum testes appello, non quia testibus egeret ad suae majestatis decus stabiliendum, sed ut planum esset, ecclesiam Ebraeorum ab immortali Deo fundatam ad selectam fuisse, Israëlitas adhuc viventes [3]) ac spirantes ad testimonium exsuscitabat, ut omnibus gentibus non tantum scriptis legibus, sed etiam clara voce Dei actiones, gesta, leges testificarentur, etiamsi litterae penitus interirent, quanquam Deus sapientissimus prospexit, ne sacrae litterae [4]) intercciderent, cum in lapides ac silices incidi et omni aetati, omni sexui explicari ac describi jusserit [5]). Itaque incredibile videri possit, cum verum tamen sit, in tot ac tantis majorum cladibus, exiliis, ipsiusque reipublicae conversionibus et extrema eversione libros divinae [6]) legis integros exstare, et quidem in [7]) omnibus linguis ac populis pervulgatos, atque in iis Christianos et Ismaëlitas suarum religionum fundamenta collocare.

FRIDERICUS: Fuit quidem ante Christum ecclesia Dei [8]) in populo Israëlis, quae nunc ad Christianos translata est, lege autem divina nihil aliud est, quam evangelii πρωτότυπος [9]), ut Origenes appellat. Sed quando humani seminis [10]) servatorem, etiam [11]) totius ecclesiae caput a stirpe Abrahami coelitus missum non modo repudiarunt Judaei, verum etiam probris [12]) ac contumeliosa [13]) morte affecerunt, Deus etiam illos suo merito rejecit ac repudiavit, ut ceterae gentes divinae salutis beneficio fruerentur.

SALOMO: Haud sane invidemus caeteris gentibus suam salutem, sed ardentibus votis optamus ac pro illis continenter precamur.

FRIDERICUS: Vestris precibus ac votis facile carere possumus, quin etiam vota Judaeorum potius nocitura Christianis quam profutura judicamus. Non legistis apud Jesaiam [14]), fore tempus illud, cum dicetur: Benedictus populus meus Aegypti, opus manuum mearum, Assyrius. Item capite ultimo [15]): Congregabo omnes gentes et linguas, quae venient et videbunt gloriam meam, et mittam ad eos, ut praedicari possit nomen meum et laus mea ubique promulgari. Ac de eorum numero mihi Levitas ac sacerdotes cooptabo.

SALOMO: Operae pretium est [16]) adjicere id, quod a Friderico praetermissum est in illis Jesaiae oraculis [17]): Benedictus, inquit, populus

1) Deuteron. 5, 31. 2) Jesaiae 55, 4. 3) Alibi: venientes. 4) Alii: scripturae, vel: scriptiones. 5) Exod. 1 et 29. Deuter. 28. Josuae 8. 6) Alibi: divinos. 7) Deest in aliis codicibus. 8) Deest in aliis codicibus. 9) Alius: ἀρχέτυπος. 10) Alius addit: Messiam sui seminis. 11) Alii: in. 12) Alii addunt: omnibus. 13) Alii: contumeliosissima. 14) Jesaiae 19, 25. 15) Jesaiae 66, 18. 16) Alius ita: Ac de illorum numero mihi leve pretium est. 17) Jesaiae 19, 25.

meus Aegypti et opus manuum mearum Assyrius, hereditas autem mea Israël, quia est creator populorum et communis parens. Itaque legem eandem voluit esse civium ac peregrinorum, et utrisque consultum esse voluit [1]); sed tamen singulari quadam praerogativa Israëlitas ex omnibus populis selectos sibi ascivit, quos etiam et peculii et haereditatis et primogeniti appellatione quadam prae caeteris et honore singulari cumulavit: Filius, inquit [2]), meus primogenitus est Israël, gens sancta, natio sacerdotalis. Quae cum ita sint, quis arbitraretur, Deum immortalem suae haereditatis unquam obliturum, suam gentem, suam ecclesiam deserturum? Nam cum olim finitimi Israëlitarum populi urbes majorum nostrorum ab hostibus [3]) solo exaequatas, templum direptum [4]) atque incensum, reliquias populi a Chaldaeis in servitutem abductas viderent, superba verborum contumelia Israëlem a Deo rejectum criminabantur. Sed Deus apud Hieremiam [5]) omni asseveratione [6]) confirmat, ratos coelestium orbium cursus ac rapidas siderum conversiones ante conquieturas, quam Israëlitarum obliviscatur. Idem, si poterit, inquit, coelorum amplitudo mensura designari aut terrae fundamenta exquiri, ego quoque populum meum Israël repudiabo. Et tametsi graves ac acerbas calamitates populo suo impendere [7]) minatur, si a sua lege desciscat, nunquam tamen sui cum Abrahamo foederis ac populi obliturum, gravi jurejurando [8]) confirmavit [9]). Ac revera nunquam suae gentis oblitus est, sed ubique terrarum dispersam amplexatur, quia in eadem lege divina exercemur, in qua majores nostri quatuor circiter annorum millibus acquieverunt, quod non modo sacri, sed etiam profani scriptores testificantur. Sic enim Tacitus: Judaei unum Deum, unum numen aeternum ineffabile, nunquam interiturum colunt, ac profanos habent, qui simulacra colunt ac [10]) venerantur. Ac tametsi Hebraei, Ismaëlitae, Christiani Abrahamum ecclesiae suae auctorem credere non dubitant, soli tamen Hebraei legem ac religionem semper sui similem coluere. Christiani vero et Ismaëlitae sectarum familias innumerabiles foverunt semper, Arianos inquam, Nestorianos, Sabellianos, Manichaeos, Donatistas, Ebionitas, Novatianos, Nazaraeos. Sed quid commemorem sectas circiter centum viginti, quas Tertullianus, plures etiam quas Epiphanius jam initio nascentis ecclesiae Christi scriptis suis dinumerat [11])? Neque vero Themistius, nobilis peripateticus, graviorem habuit causam, ut Valentem Augustum a profligatione et proscriptione Christianorum revocaret, quam quod asseverabat, trecentas amplius sectas a se invicem dissidentes Christianos fovere. Quaenam potuit igitur in tanta opinionum inter se discrepantium varietate ecclesia consistere?

---

1) Exod. 4, 23. 2) Exod. 19, 6. 3) Desunt alibi duo haec verba. 4) Alibi: dirutum. 5) Jeremiae 31, 37. 6) Alibi: assecuratione. 7) Alibi additur: hinc inde. 8) Alibi: juramento. 9) Levit. 1. 26. 10) Duo haec antecedentia verba desiderantur in alio codice. 11) Alii: dinumerant, vel: dinumerarunt.

quin etiam his quoque temporibus Helvetiorum ecclesia Romanam [1]), Augustana utramque, Catholici Anabaptistas, Puritani superstitiosos, Abyssini Graecos, Graeci Latinos refutant ac vicissim omnes ab omnibus refelluntur. Nec minor est varietas sectarum inter Ismaëlitas. Nam mortuo Muhammede Hali, sororis ipsius et Habitali [2]) filius, prophetam se ferens, sectam potentissimam excitavit, Muhammedistis infestissimam, quae duae sectae a discipulis incrementa sensim acceperunt, Lesharion scilicet et Imanian [3]), qui certant inter se capitalibus odiis; sed praeter utramque sectam sexaginta duae singulares enumerantur. Nam Elhosiba Albilaben Muhammedis multa abrogavit [4]). Octogesimo [5]) post anno Elhari Ibim novam sectam condidit, quae centesimo post anno capitalibus pontificis et Calipharum decretis et suppliciis est abrogata, deinde quinquagesimo post anno renovata ac rursus vigesimo post anno rejecta, nec aliter discordiae sedari potuerunt, quam Elgazuli theologus septem libris quasi arbiter pontifices quidem legum imperatoriarum sectatores, legis vero Muhammedicae castigatores appellaret [6]). Neque tamen licuit plebejis ordinibus hanc sectam sequi, sed eruditis tantum. Cur eruditis tantum? aut si Muhammedi lex ab angelo Gabriele data erat, ut quidem ille mentitur, quid humanis castigatoribus opus erat? Aliam quoque sectam creavit Esses Renardus [7]), aliam Isbofaridus [8]), qui omnes omnium religiones Deo gratas esse scripsit, si quem quisque Deum arbitretur, eundem sincera mente colat; Deos autem appellat sidera, coelos, elementa. Sed ne infinitus sim ac taedio vobis futurus, si omnes Ismaëlitarum sectas oratione complecti posse confidam, quas tamen Eleofanus theologus distincte libris septem, utcunque [9]) potuit, explicare videtur. Ex quo efficitur, nec Ismaëlitas, nec Christianos religionem certam, quam sequantur, ullam habere, multo minus ecclesiam certam in tanta varietate.

FRIDERICUS: Certissima ecclesiae et verae religionis argumenta sunt tum in doctrina Christi, legibus divinis consentanea, tum in legitimo sacramentorum usu perpetuaque electorum multitudine, unam et eandem Christi disciplinam constituente [10]); Christum vero Abrahami foedus explevisse [11]) et ejus beneficio gentes omnes felicitatem divinitus promissam adepturas, omnes fere confitentur, exceptis Judaeis, Paganis [12]), Epicuraeis. Ecclesia inquam [13]) Romana, Zwingliana, Augustana, Graeca, Abyssina, neque hi modo, sed etiam Ariani, Manichaei, Donatistae, Nestoriani, Sabelliani, Eutychiani, Pelagiani, neque hi tantum, verum etiam Agareni, a Muhammede instituti, Christum Messiam esse testantur. Nec solum isti, sed et bona pars Judaeorum, Apostoli inquam, Christi discipuli, reipublicae Christianae creatores.

---

1) Alius: **Helvetica ecclesiam Romanam.** 2) Alibi: **Habigali.** 3) Alius: **Leshariorum scilicet et Imaniarum.** 4) Alius: **Abilaben multa legibus Muhammedis subrogavit.** 5) Alii: **octuagesimo.** 6) Alius: **appellarat.** 7) Alii: **Romardus.** 8) Alii: **Ismofaridus.** 9) Alibi: **ut aeque.** 10) Alibi: **constituere.** 11) Alii: **explicuisse.** 12) Deest in aliis codicibus. 13) Alibi: **Ecclesiae, ut etc.**

Et quidem, si quis Judaeus in coetum arrogandum se dederit, prius Christum Mariae virginis filium [1]) verum Messiam confiteri necesse est [2]). Nec si quidem [3]) inter se Christiani dissideant, propterea inconcussam ac stabilem ecclesiam, quae [4]) invisibili electorum coetu conflatur, subvertendam inquam.

CURTIUS: Nullam omnino ecclesiam comperiemus, si levium etiam opinionum fibras computare [5]) velimus omnes. At ne vetus quidem illa Israëlitarum multitudo ecclesiae nomen mereretur, cum sectarios suos quoque haberet [6]), Nazaraeos scilicet, Pharisaeos, Sadducaeos, Essaeos, Samaritanos, Herodianos, Hemerobaptistas.

SALOMO: Sectarios ab haereticis dividere nos oportet; hi enim ab ecclesia penitus divelluntur, illi vero non item, sed puriore quodam vitae instituto a fece plebis segregantur, ut quos divina lex notat Nazaraeos [7]) i. e. separatos, quod [8]) ex voto dies aliquot aut menses aut annos aut perpetuam vini abstinentiam vovebant, quo tempore nec barbam nec crines circumcidere licebat. Atque haec una secta est, ab immortali Deo instituta, eorum qui caeteris sanctiores essent, qua quidem imitatione Pharisaei h. e. separati, et Essaei h. e. operatores, qui [9]) non simul actione ficta, sed operibus ipsis sanctissimam omnium vitam agebant. Seorsim enim collegia instituebant Essaei et victu communi utebantur, ut monachi, sine ulla vestitus commutatione [10]). Hemerobaptistae nihil aliud a caeteris differebant, quam quod corpora quotidie proluebant. Sadducaeorum nomen a צדק, quod justum significat, quod justiores caeteris haberi vellent Sadducaei, sed a plerisque ad ironiam trahebatur, ut Aegyptii reges, qui fratrem aut patrem aut matrem interfecerant, Philadelphos, Philopatres, Philomatros appellabant. Igitur intelligitis, homines istos [11]) omnes vitae sanctitate, non religionum varietate dissidere. Alioquin si haeretici illi appellandi sint, innumerabilium monachorum collegia, victu ac convictu discrepantia, haereticorum appellatione censeri oportet. Quantum ad Samaritanos attinet, nec Judaei genere sunt, nec religione, nec Ismaëlitarum coetu continentur; quippe Deorum turbam cum aeterni [12]) Dei cultu conjungunt, ut [13]) catholici Romani, qui ad unius aeterni Dei venerationem angelos ac Divorum ordines adjunxerunt, statuas etiam proni deosculantur et panis crustulas [14]) pro Diis habent, quod Zwingliani summae impietati tribuunt, Romani Catholici Zwinglianos, Augustanos, Graecos capitalibus judiciis ac flammis ultricibus prosequuntur [15]), quasi [16]) Deum faciant illi impietatis rei. Sed Hebraeorum purissima ac simplicissima religio nihil impuri admistum habet, nullas haereses adjunctas, nullum praeterquam unius Dei cultum agnoscit.

---

1) Addunt alii: et. 2) Alibi: habet. 3) Alii: quid. 4) Alius: ex. 5) Alius: amputare. 6) Alibi: haberent. 7) Alibi: Naziraeos. 8) Alii: qui. 9) Alii: quod. 10) Josephus, de jud. 2, 8. 11) Alii: hos omnes. 12) Alibi: aeterno. 13) Alii: et. 14) Alii: crustula, vel: crustulam. 15) Alibi: persequuntur. 16) Alii: Sunt autem hi aut illi impietatis rei.

CURTIUS: Quod Salomo gloriatur, Israëlitas singulari quadam Dei beneficentia selectos fuisse, demus illud; sed ab illa coelesti gratia sponte defecerunt [1]), quando Christum Deum et hominem humani seminis servatorem sibi oblatum, falsis testibus ac calumniis oppressum, supplicio contumeliosissimo dediderunt [2]). Itaque nihil mirum, si Deus, tanti sceleris immanitate commotus, centum amplius Judaeorum myriades, unius anni vertentis spatio, quo Vespasianus Hierosolymam obsedit et expugnavit, trucidari passus [3]) est, tum etiam urbes Palaestinae ac templum ipsum ferro ac flamma deleri, urbem funditus everti, populi reliquias in servitutem abduci ac toto terrarum orbe dissipari. Illud etiam divini furoris argumentum vel maximum est, quod de religione sanctissima non solum dejecti ac exterminati omnino fuerunt, verum etiam de principum fere omnium consensu interdictum illis est, ullam terrae glebam usquam gentium possidere, quare [4]) ingentes calamitates propter Christum supplicio affectum illis contigisse quis dubitet?

SALOMO: An non [5]) quingentos amplius annos quam Christus nasceretur, majores nostri multo [6]) graviora passi fuerant [7]) a Chaldaeis, qui templum, urbes, oppida caedibus ac flammis funestarant totamque regionem in vastitatem redegerant et populum in servitutem abduxerant. Postea vero quam postliminio redeuntes, oppida, urbem ac templum ipsum instauravimus, Antiochus cognomento Epiphanes, capta et direpta Hierosolyma, triduo nonaginta millia [8]) Judaeorum mactavit. Item Ptolemaeus, Lagi filius, rex Aegypti, tantam erga majores nostros crudelitatem exercuit [9]), ut etiam milites Judaeorum infantibus vesci cogeret, quae ducentos annos ante contigerunt, quam Christus nasceretur. Quanquam si religio propter hujusmodi calamitates rejicienda venit, nulla merito majore quam christiana rejici deberet, cum trecentos amplius annos continuae caedes, supplicia, tormenta, proscriptiones et crudelitates intolerabiles toto terrarum orbe in Christianos decernerentur.

FRIDERICUS: Illud quidem acceptum referebant Judaeis, quorum synagogas sentinam Christianorum persecutionum appellabat Augustinus [10]).

SALOMO: Quonam modo id fieri potest [11]), cum Judaei Romanorum hostes judicati sint ex senatusconsulto, primum Claudio [12]), deinde Trajano, post etiam Hadriano principe?

CURTIUS: Si vestrae, Salomo, religionis fides stabilis esset aut [13]) certa, aut si religio Christianorum non esset omnium certissima, cur apostoli Judaei seminis ac sanguinis, cur discipuli ac primi illi antistites, christianae religionis creatores, Christum ardentissimo amore amplexi sunt? Cur innu-

---

1) Alibi: discedunt, vel: desciverunt. 2) Alii: dederunt. 3) Alius: jussus. 4) Alii: quas. 5) Alibi: Ante. 6) Alibi: multa. 7) Alii: sunt. 8) Alii: novem millia. 9) Josephus, de b. jud. I. 10) Libro 1. de imitat. 11) Alibi: potuit. 12) Josephus de b. j. 13) Alius: ac.

merabiles vestri generis et nominis [1]) jam antea et his quoque temporibus se Christianis pontificibus adoptandos dederunt et summa cum sua laude verbis et scriptis Christum publice profitentur?

SALOMO: Imo potius mirum videri debet, cur tam pauci a nobis vel potius a Deo foedifragi deficiant [2]), cum tot contumeliis tantaque rei inopia premantur. Illas autem [3]) clades nostrae genti confitemur [4]) illatas primo [5]) a Chaldaeis propterea, quod a vero Dei cultu plerique desciverant, id quod prophetarum vocibus ac scriptis testatum habemus. Sic quoque arbitramur, majores nostros diram Romanorum servitutem pertulisse, quod ab immortali Deo ad hominem mortalem adorandum et colendum paucis exceptis defecissent.

CURTIUS: Sed cur sola Judaeorum gens ex omnibus tot ac tantas calamitates pertulit?

SALOMO: Deus ipse causam subjiciens: Vos, inquit [6]), filii Israël ex omnibus populis agnovi, ac propterea in vestra omnium flagitia animadvertam. Quod ab iis gentibus segregamur [7]), Dei cultus eo nos deducit, quod [8]) Bileamus, Chaldaeus vates, jam olim mente praeviderat, cum diceret [9]): Hic populus solus habitabit et [10]) inter caeteras gentes non censebitur. Item cum Deus caeteras gentes coelestium siderum virtutibus ac potestatibus subjecisset [11]), Israëlitas tamen exemit: Ne, inquit, adores solem, lunam, sidera, quae praeparavit Deus caeteris quidem populis, qui amplissimo sinu coeli coërcentur, vos autem adjunxit sibi et eripuit de fornace ferrea, ut esses populus hereditarius ac selectus [12]).

CORONAEUS: Haesi semper eo loco, nec intelligo [13]), quid Deus voluerit, cum diceret, caeteris quidem populis coelestia sidera [14]) attributa fuisse, Israëlem vero singulari quadam praerogativa sibi delegisse.

SALOMO: Hebraeorum theologi sic locum illum interpretantur, ut [15]) caeteros quidem populos siderum coelestium legibus ac potestate gubernari, solos Israëlitas et qui in eorum coetum ac societatem conscribi volunt [16]), legibus coelestium siderum solutos, Deum unum vitae ac felicitatis habeant auctorem nec metuant diras illas, quibus astrologi minantur, planetares trajectiones et concursus. Libet enim versibus accepta beneficia quodammodo commemorare:

Ipse ego [17]) crudeli servatus ab hoste triumphos
Saepe tuli faciles, nec quidquam sidera vires

---

1) Alibi: ordinis. 2) Alii: defecerint. 3) Alibi: enim. 4) Alius: confidimus. 5) Alius idem: primum. 6) Amos 3, 2. 7) Alii: segregantur. 8) Alii: adducit, et. 9) Numer. 23, 9. 10) Alibi: quod. 11) Alius: subjunxisset. 12) Deut. 4, 19 sq. 13) Alibi: intellexi. 14) Alibi: signa. 15) Alius: et. 16) Alibi: voluerunt. 17) Deest in alio codice.

Exercere suas in me, non aspera fata,
Haud [1]) metuenda bonis, non principis ira timendi
Terruit [2]) impavidum, mihi non nocuere latronum
Conjurata manus fusi sitibunda cruoris,
Non legio, magnam quae circumfusa per urbem
Sanguinolenta suos cives mactabat ubique.
Ac jam [3]) armata cohors, aditus ac limina quaerens,
Me circumsteterat, clara cum numen ab arce
Hostibus eripuit sensum mentemque fefellit,
Ac me coelesti clypeo, coelestibus armis
Protexitque opibusque suis cumulavit abunde.
Singula quid memorem? Sacro spiramine pectus
Afflavit, legis latebrasque imosque recessus,
In quibus aeternae spes est humana salutis,
Edocuit, volucri semper comitante [4]) magistro
Pro quibus aeternos iterum renovamus honores [5]).

CORONAEUS: Heroica profecto beneficia carminibus heroicis eleganter cecinisti. Sed cum erga Israëlitas tanta divinae bonitatis beneficia [6]) extent, eo graviora vos ac acerbiora supplicia manent.

SALOMO: Ut primum a nobis peccatur, ita repente Deus in nos animadvertit et [7]) ea pontificibus auspicari solet. Nam cum angelos scelerum ultores [8]) misisset: A sanctis meis, inquit, incipiatis [9]). Illud enim amoris divini erga nos argumentum vel maximum est, quod et assidue increpat, et continenter castigat. O beatum, inquit lyricus psaltes [10]), quem Deus castigat! In eos vero, qui ad verbera obduruerunt et collum obduxerunt, vim gravius exercet, et tandem contestatur, se illos deserturum, nec amplius castigaturum. Non amplius, inquit, coërcebo filias vestras, cum pudicitiam prostituerint, nec uxores vestras, cum sese adulteris submiserint [11]). Nihil enim a sapientiae magistro verius ac melius dici potuit, quam tormentis [12]) ac doloribus prudentiam comparari. Quis enim arbitraretur, Deum sic ultum [13]) fuisse Israëlitas, ut propter eorum flagitia non modo lepram corporibus, sed etiam vestibus ac aedium parietibus immitteret? Id autem interpretes divinae legis tradunt; nusquam terrarum lepram vestimentis [14]) aut parietibus adhaesisse, praeterquam in Palaestina [15]) idque Judaeis omnibus supra modum mirabile, caeteris populis incredibile videri, nisi diuturna experientia id compertum esset; quamquam clades et exitia majorum nostrorum maximas utilitates omnibus po-

---

1) Alibi: Non. 2) Alii: Terrent. 3) Alibi deest hoc verbum. 4) Alius: comitata. 5) Alii: tibi debeo grates. 6) Alibi: vestigia. 7) Alius: ut. 8) Alibi: vindices. 9) Alius: incipietis. 10) Psalm. 94, 12. 11) Psalm. 81. Jesaiae 1. Oseae 4. 12) Alibi: lamentis. 13) Alibi: ulturum. 14) Alius: vestibus. 15) Levit. 13 et 14. Leprae domorum ac vestium curationes aeque ac corporum traduntur.

pulis pepererunt. Nam ex iis secuta est initio nascentis ecclesiae Christi idolorum eversio, et cum toto fere terrarum orbe sidera, daemones, elementa, fruges, animantia pro Diis ubique colerentur, tandem post annorum tria circiter millia Judaeorum, qui christianam religionem cum domestica combiberant, concionibus ac doctrina coli desierunt, ac postremo Constantini dominatu conclusa fuere templa veterum Deorum; tum libri Mosis ac prophetarum, quos habemus communes cum Christianis, ab omnibus ordinibus ac populis pervulgari coepere, ut non immerito Chrysostomus Judaeam gentium matrem appellarit, quae [1]) salutem reliquis omnibus populis divino munere et concessu peperisset!

SENAMUS: Verius poëta lyricus: Judaea capta ferum victorem cepit.

SALOMO: In eo certe mirabilem Dei bonitatem ac sapientiam intueri licet, qui dum justas scelerum poenas a suis reposceret eosque procul a patriis sedibus amandaret ac juste profligaret, colonias Israëlitarum toto terrarum orbe deduxit, quae exteras nationes ab inanium Deorum ac daemonum cultu revocarent, deinde divinis legibus ac institutis [2]) informarent, tum ad unius aeterni Dei cultum ac metum assuefacerent. Ob id enim divina lege [3]) Israëlitas appellat regnum sacerdotale ac populum sanctum, propterea hujus populi precibus ac votis, quasi gentium omnium sacerdotis, florentissima quaeque imperia non modo ab interitu Deus servavit, sed etiam beavit et quasi sapientiae sale respersit [4]), ne penitus interirent. Sic Deus apud Jesaiam [5]): Dedi te, inquit, testem gentibus, principem ac praeceptorem populis. Huc etiam pertinet foedus illud [6]) cum Abrahamo percussum: In semine tuo, i. e. in posteris [7]) tuis, benedicentur omnes gentes, quia per hunc populum Deus universo terrarum orbi cognitus est, et hujus populi precibus caeteris gratior fuit, quin [8]) et Ismaëlis gentem illustrem fore Deus promisit Abrahamo [9]), quoniam, inquit, semen tuum est. Itaque Rabbi Johannes exclamat, gentes idolis deditas nesciisse, quantam jacturam sui facerent, cum templum illud Hierosolymorum [10]), in quo gentium omnium scelera expiabantur, inflammarent. Nam diebus festis, qui in tentoriis celebrari consueverant, hostiae septuaginta immolari jubentur, quod interpretes pro septuaginta populis factum tradunt [11]). Quod vero Curtius divini furoris argumentum putat, nos de majorum sedibus ac terra sancta dejectos ac dispersos, quasi ἀπωστικοὺς [12]) καὶ ἀνεστίους vagari, illud bonitatis divinae argumentum certissimum esse arbitramur, quod nusquam agri particulam possidere liceret. Ob id enim Deus Israelitas suam haereditatem appellat [13]),

---

1) Alii: quia. 2) Alibi pro verbis ac institutis legitur: institutos. 3) Alii: divina lex. 4) Alibi: sole respexit. 5) Jesaiae 55, 4. 6) Gen. 12, 3. 7) Alibi: liberis. 8) Alii: quoniam. 9) Alibi: Abrahae. 10) Alibi: Hierosolymitanum. 11) R. Levi et R. Salomo Ben Gerson in Levit. 23. 1. in Talmud. 12) In codicibus sine dubio false legitur: ἀπωλίδες. 13) Alius: pro haereditatis parte contingit.

quod ii, quibus coelum pro haereditate obtigit, terra non egent [1]) ac propria et eleganti voce sancti a Graecis appellantur: ἅγιοι i. e. sine terra ἄνευ τῆς γῆς. Sic enim Deus de Levitarum tribu, quam pontificali ac sacerdotali praerogativa ministerioque aedis sacrae donarat: Levitae, inquit, nullam terrae partem capiant, quia haereditas mea est [2]). Quod [3]) autem de Levitis inter Israëlitas, idem de Israëlitis inter omnes populos declaravit, cum diceret [4]): Benedictus populus meus Aegyptius et opus manuum mearum Assyrius, haereditas autem mea Israel. Falluntur [5]) igitur, qui hoc nostrum exilium et agrorum inopiam divinae erga nos ultionis conjecturam [6]) esse putant. Quanto rectius sapientes decreverunt, justorum initia esse castigationes, exitus vero prosperos et felices, contra quam improbis accidit, quorum prospera principia exitus habent valde calamitosos. Illud etiam praeclarius, quod cum ante proscriptiones et exilia Israëlitae, rerum omnium affluentia pingues et obesi, Deum aeternum minus, quam decuerat [7]), religiose haberent [8]) postea in extremas oras, procul a patriis sedibus in servitutem expulsi et abjecti, tam ardenter Deum adamarunt [9]), ut nec praemiorum magnitudine a proposita religione divelli, nec poenarum acerbitate terreri potuerint, quominus inter medios sui nominis hostes mundi conditorem purissimo cultu adorarent, atque inter omnes populos sui generis antiquitatem certissimam retinerent [10]), ipsiusque linguae sanctae majestatem inviolabilem servarent [11]); haec enim sola divino munere hominum generi concessa est, caeteras vero spurias et hominum arbitrio fictas videmus. Haec sola naturalis est lingua, quae rebus vocabula per naturam cujusque dicitur indidisse. Quae cum ita sint, quis dubitare potest, quin populus hic a Deo selectus verissima sit Dei ecclesia, fidelissimus rerum gestarum a Deo testis, sacrosanctae legis et oraculorum custos a Deo designatus [12]), a quo ad omnes populos salus dimanavit?

CURTIUS: Laudes quidem majorum vestrorum, prophetarum inquam et illustrium virorum, audio ac lego non invitus, sed eorum, qui prophetas, qui apostolos, qui Christum ipsum cruentis manibus interfecerunt, qui sacrosanctam ejus doctrinam contumeliis omnibus funestarunt, ferre non possum, multo minus sanctum ecclesiae nomen iis tribuere, quoniam vera Dei ecclesia in electorum coetu consistit, ac tametsi vocantur omnes, pauci tamen sunt electi. Electos autem esse oportet per [13]) fidem ab ipso Christo, qui ecclesiae caput est; qui quoniam hominibus incogniti sunt, ob id ecclesiam invisibilem esse tuemur. Caeteri, qui fidem Christi rejiciunt, sua se sponte albo

---

1) Alibi: egeant. 2) Alibi: sunt. 3) Alibi: Id. 4) Jesaiae 19, 25. 5) Alii: Fallunt. 6) Alii: objecturam. 7) Alius: docuerat. 8) Alibi: colerent. 9) Alii: adoraverunt. 10) Alibi: retinuerunt. 11) Alibi: inviolatam servarunt. 12) Alibi: designata. 13) Alibi: qui habent.

ecclesiae penitus [1]) exemerunt, Judaei inquam, Romani [2]), Ismaelitae, Pagani, Epicuraei.

SALOMO: Ecclesiae verbo coetus significatur, cujus acceptio duplex est: una, quae [3]) populum Israelis selectum a Deo continet, ut cum Moabitae et Ammonitae prohibentur in ecclesia populi Dei censeri, i. e. [4]) jure connubiorum cum Israelitide foemina uti. Altera acceptio latius patet, cum scilicet Ammonitae, Moabitae, Idumaei ac peregrini omnes, qui Dei foedus cum populo percussum amplecti et in pacti societatem venire voluerint, ecclesiae partem faciunt, caeteri eximuntur.

CURTIUS [5]): Neque vero ecclesiam invisibilem electorum probare possumus, ut qui ab ecclesia Romana defecerunt, sed visibilem tantum, a qua nemo nisi sponte segregatur i. e. qui Deum aeternum repudiat, ut res genitas amplectatur aut cum illis creatorem conjungat [6]).

OCTAVIUS: Veram Dei ecclesiam Ismaëlitarum esse facile [7]) convinci potest, sive amplitudine regionum, quae sunt infinitae, sive origine Abrahami, a quo Muhammedes Ismaëlita [8]) genus ducit, sive Dei aeterni cultu, quem unum sanctissime adorant, sive execratione idolorum ac imaginum, quas et publice et privatim abominantur, sive puritate doctrinae, quae inexplicabilium quaestionum latebras, quibus caeterae [9]) religiones misere conflictantur, suo splendore diluit, sive legis exsequendae facilitate, quae major esse non potest [10]).

CORONAEUS: Si veram ecclesiam latifundiis metimur, ecclesia Christi [11]) longe superior futura [12]) est, tum antiquitate temporis, tum multitudine populorum, tum principum pene omnium consensu. Nihil enim verius a Seneca dici potuit, quam pessimi argumenti esse turbam, ac propterea Pythagoras [13]) sequi vetuit viam popularem, i. e. ἐκτὸς λεωφόρου βαδίζειν. Et certe viam regiam ac latissime patentem ad inferos deducere, nunquam verius ac melius perceptum [14]) est, quam Noachi aetate, cum [15]) in ejus unius familia ecclesiam dei constitisse planum sit. Cum autem Christi cruore fundata sit ecclesia vera, quae in apostolorum, martyrum, confessorum, pontificum continua quindecim seculorum serie [16]) floruit ac praecipuam Romanae sedis dignitatem obtinuit, quis dubitare jure queat, hanc, quam Romani pontifices tuentur, verissimam ac sanctissimam ecclesiam, ut ne Lutherus quidem ipse dubitavit, sed aperte [17]) confessus est. Quamquam [18]) non video, quam ob rem Agareni de multitudine [19]) populorum aut regionum gloriari debeant,

---

1) Deest in aliis. 2) Alius: Sociniani. 3) Alibi: qui. 4) Alibi: et. 5) Deest in aliis codicibus. 6) Alibi: aut ..... amplectitur ..... conjungit. 7) Alibi: fere. 8) Alibi: Ismaëliticum. 9) Alibi: exterae. 10) Alii: possit. 11) Alii: Sathanae. 12) Alii: natura. 13) Laërtius in Pythagora; Clemens Alex. in Strom. 14) Alibi: praeceptum. 15) Desunt haec septem sequentia verba in alio codice. 16) Alibi: fere. 17) Deest alibi. 18) Sequentia haec verba ad finem usque interlocutionis desunt in alio codice. 19) Alibi: amplitudine.

cum religio christiana nostro saeculo propagata sit in omnes orientalis et occidentalis Indiae latissimas regiones, Europa triplo majores, et antea ignotas mundi plagas pervaserit.

FRIDERICUS: De quatuor religionum generibus, scilicet Judaeorum, Christianorum, Ismaëlitarum, Paganorum, plures unâ verae esse non possunt. Pagana quidem a se ipsa refellitur, Ismaëlitarum vero, quae Muhammedem conditorem arcessere[1]) solet, ineptior est, quam ut argumentis refutari mereatur. Itaque contentio nobis praecipua est cum Judaeis, qui de librorum sanctitate et antiquitatis origine gloriantur. Primo igitur abs te, Salomo, peto, si Christum verum Deum esse certissimis argumentis ac testibus omni exceptione majoribus demonstrari possit, num christianam ecclesiam, cujus caput est Christus, veram esse fatebere?

SALOMO: Quidni? sed hoc opus, hic labor est.

FRIDERICUS: Imo nihil facilius.

SALOMO: Non demonstrationem peto, sed probabile aliquod argumentum.

FRIDERICUS: Illud igitur quaero: Num Messiam venisse antea an[2]) venturum olim putes?

SALOMO: Confido equidem venturum.

FRIDERICUS: Fateri quidem non dubitas, cum extremo capite symboli Judaeorum, quod R. Moses pervulgavit, scriptum sit, Messiam esse expetendum. Id autem callidissimo commento factum est. Cum enim christiana aemulatione symbolum fidei totidem capitibus, quot Christiani, finxissent, caput extremum surrogarunt, scilicet Messiam venturum, ne quis crederet[3]), Christum Jesum esse Messiam. Sed si nondum venit, quando tandem venturum putas? Nam vester Abrahamus, is qui a vobis שַׂר i. e. princeps usurpatur[4]), astrologiae peritissimus, Messiam vestrum venturum spoponderat[5]) anno Christi MCCCCLXIV. Is tamen omnium opinionem fefellit. Nec ita pridem aetate nostra Judaeus quidam, cum se Messiam faceret, a praetore Bononiensi flammis tanti sceleris ultricibus exustus est. Alius in Judaea, cognomento Barcochab i. e. stellae filius[6]) Messiam sese ferens[7]), variis cladibus Christianos afflixit[8]). Non dubito, cum a nobis[9]) quaeritur, quid[10]) tamdiu moretur Messias vester, vos excusare[11]) solitos populi peccata, ut quidem in libris talmudicis legimus. Sed cum peritiores vestrae gentis intelligerent[12]), se inani spe laetari, a Judaeorum secta non modo[13]) desciverunt, verum etiam libros pro religione christiana scripserunt. Testis est liber fidei ab Judaeo, qui ad Christum accessit, testis est catechismus hebraicus Emanuelis Tremelli cum eleganti epistola ad fratres Hebraeos;

---

1) Alibi: agnoscere. 2) Alius: aut. 3) Alibi: ne qui crederent. 4) Alii: appellatur, vel: nuncupatur. 5) Alibi: spopondit. 6) Numer. 24, 17. (בַּר כּוֹזִיבָא). 7) Alibi: gerens. 8) Josephus de b. j. 9) Alibi: vobis. 10) Alius: quare. 11) Alibi: accusare. Alius: 12) intellexerint. 12) Alii: addunt: sponte.

tertius Isaacus Agrippinensis, vir eruditissimus; testis Paulus Paradisus, regius hebraicae linguae professor in academia Parisiensi; testis est Paulus Brugensis, testis Nicolaus Lyranus, bibliorum interpres acutissimus, atque innumerabiles vestrae gentis, qui etiamnum [1]) hac aetate Messiam Christum verum Deum et hominem amplectuntur.

SALOMO: Si merito laudantur Pythagoraei, quod κενοτάφια exstruerent iis, qui a sua doctrina defecissent, quasi mortuis hominibus, quanto aequius est, divinae legis desertoribus erigere monumenta? Miror tamen te, Friderice, verae religionis ac ecclesiae argumenta deducere ab iis, qui a sua defecerunt; qua quidem ratione et Arianos et Ismaëlitas veram religionem tueri dicemus. Hoc si nobis absurdum est, illud igitur absurdum videri debet. Cum enim majores nostri vitulum ex auro conflatum in deserta solitudine sibi erexissent ac pro Deo colerent, Deus Mosen interpellans: Tuus, inquit, populus violatis foederibus a me defecit; semper antea dixerat [2]): populus meus. Quod satis est argumenti, eos, qui aeterni Dei cultum penitus deseruerunt, ut mortuis inserviant, ab ecclesia Dei penitus excludi.

CURTIUS: Eodem igitur argumento concludemus, Judaeos, qui Christum verum Deum humani generis servatorem deseruerunt ac suppliciis acerbissimis cruciandum prodiderunt [3]), ab ecclesia vera se ipsos abduxisse [4]), ac tum primum veram ecclesiam in apostolorum et discipulorum coetu constitisse.

SALOMO: Prospiciendum nobis est, ne pro argumento [5]) assumatur, quod erat concludendum, scilicet Jesum, quem pro Deo colitis, esse Deum. Ac primum illud christianorum veterum theologos fefellit, quod non perceperunt vim Hebraicae legis, cujus ignoratione tam multa in legum divinarum interpretatione peccantur, ut quidem [6]) maxime non facile dici possit [7]). Argumento sit, quod Justinus Martyr [8]), cum ab homine Judaeo rogaretur, quid vellent Christiani, cum canerent Halleluja et Osianna, respondit [9]): Laudate concinne et magnitudo excellens, quo quid ineptius? Nam vox Hallelu significat: laudate, Jah: Deum, vox Hosia: serva, nah: quaeso.

CURTIUS: At D. Hieronymus, cum a Judaeis irrideretur, quod quid esset Hosianna nesciret, in Judaeam usque profectus, Judaeos ipsos in eo genere facile superavit.

SALOMO: Illud admonendum putavi, quod Messiae vox, quid significaret, veteres Latini et Graeci non satis intellexerunt [10]); est enim [11]) Messias nihil aliud, quam unctus, et quoniam reges ac principes inungi solebant, Messiae dicti sunt [12]). Quam vocem [13]) interpretes LXXII χριστὸν

---

1) Alii: extrema. 2) Alius ita: cum semper ante dixerit. 3) Alibi: tradiderunt. 4) Alii: subduxisse. 5) Addunt alii: id. 6) Alibi: quod. 7) Alii: potest. 8) In quaest. 10 ad orthodox. 9) Addit alius: significare. 10) Alius: intelligerent. 11) Alibi: autem. 12) 2 Regum 9, 1. 13) Alius: Quum vero.

reddunt[1]), non χρηστὸν, ut olim putabant Graeci. Ex quo adversarii, in contumeliam Christi, togati hominis statuam altero pede mancam et auriculis asino consimilibus[2]) fingebant vel librum manu tenentem, cum hac epigraphe: Christus! Quod vero Messiae vox populi principem significet, ex eo satis intelligitur, quod David Sauli satellites increpans: Cur, inquit[3]), praesidium Domini nostri[4]) Messiae deseruistis? Idem, iratus ei, qui Sauli ab hostibus caesi caput secuerat[5]): Non veritus es, inquit, inferre manum Messiae? Item cum Samuel Eliabum, Davidis fratrem primogenitum, intueretur: Certe, inquit, hic est Messias Dei[6]). Quin et Samuel et David se ipsos vocant Messias. Fuisse autem quam plurimos Messias, docet Nehemias in concione post reditum ab exilio: Tu, inquit[7]), populo tuo plures Messias dedisti, qui ab hostibus illum vindicarent. Nam vox משיח, quam interpretes LXXII reddunt χριστός, eadem usurpatur hoc versu: Ne attingite Christos meos, Messias meos[8]). Id[9]) autem explicat Samuel in maxima populi concione, priusquam regem designatum renunciaret: misit dominus[10]) ad populum Messias Jerubbahalem, Jephtham, Samuelem. Falluntur[11]) igitur, qui unum tantum Messiam esse aut fore arbitrantur. Omnium tamen[12]) errorum nullus fere capitalior est, quam eorum, qui putant, eum Messiam, quem venturum speramus, Deum fore; gravius tamen mihi peccare videntur, qui Messiam, quisquis fuerit aut venturus sit, humani generis servatorem appellant, cum tamen nihil aliud futurum[13]) speremus, quam hominem ex homine, ducem belli strenuum fore, qui Israëlitas, huc atque illuc dispersos ac dissipatos, in Palaestinam et avitas majorum sedes reducat[14]) et ab imperioso aliorum[15]) dominatu vindicet, quales fuere Moses, Josua, Maccabaei ac principes omnes, Dei munere majoribus nostris concessi. Nec desunt, qui Messiam ab Helia unctum iri putant. Ac tantum abfuit, ut Jesus vester majores nostros a servitute Romanorum[16]) vindicarit, ut etiam a praeside provinciae caussa cognita servili supplicio fuerit affectus.

CURTIUS: Illud est pingui Minerva Messiae arcanum ad principes et tyrannos adducere velle, quod quidem arcanum plane divinum nemo percipiet unquam, nisi id ei divinitus tributum fuerit[17]) et concessum. Nemo, inquit Christus, venit ad me, nisi pater traxerit eum[18]).

FRIDERICUS: Si Messiae verbum ad principes et tyrannos pertineret, cur igitur de promisso Messia, cur Moses Hardusam[19]) scriberet, magnum

---

1) Alibi: reddiderunt. 2) Alibi: consimilem, vel: similem. 3) 1 Regum 1, 84. 4) Alius: vestri. 5) 1 Regum 26, 9. 6) 1 Regum 26, 16. 7) Psalm. 6. 17. 83. 88. 8) Psalm. 105, 15. 9) Viginti haec proxima verba desunt in alio codice. 10) Alius: Deus. 11) Alibi: Fallunt. 12) Alii: autem. 13) Alii: venturum; vel deest hoc verbum. 14) Alius: educat. 15) Alibi: impiorum. 16) Deest alibi. 17) Alii: velit. 18) Joh. 6, 44. 19) Alius: Hardanam.

et ineffabile Dei nomen יהוה nihil aliud esse, quam Messiam, nisi Messias Deus [1]) esset?

SALOMO: Quia plerique nostrae gentis Messiam sensu secretiore intelligunt immortalem regem, non ducem mortuum aut moriturum.

CURTIUS: Valde mihi frigere haec videtur responsio. Sed ad gentis vestrae parentem veniamus, qui, jamjam moriturus ac liberis fausta precatus, ad Judam convertitur et oraculum proferens: Non auferetur, inquit, sceptrum de Juda [2]). Si enim reges ac duces omnes Messias fore putaret, nec Messiam illum humani generis servatorem singulari nota significaret, absurdum illud fuisset ac sensui plane contrarium, scilicet sceptrum de gente Judae non ante sublatum iri, quam Messias venturus esset, penes quem regnum populorum futurum sit. Vocem enim שֵׁבֶט sceptrum Onkelos Chaldaeus vertit שׁוּלְטָן Sultan, imperator, qua voce imperatores non Chaldaei tantum, sed etiam Arabes ac Syri significari solent, et pro voce שִׁילֹה reddit Chaldaeus: משיחא Messias, ut ambiguitatem [3]) explicaret. Eadem est interpretatio Targum Hierosolymitani, quem sequitur R. Salomo, et in Davidis gente imperium tantisper scribit futurum, dum venerit Messias. Et cum ab eo quaereretur, ubinam regnum Davidis? respondit: in Babylonia, ubi fingit superesse adhuc principes de gente sua [4]), qui populis illis exulantibus imperent; ridiculum, inquam [5]), an impium figmentum, sed ea saeculi barbaries erat. Floruit enim sub anno Christi MCC, ut mendacii non facile posset convinci, cum esset Gallia longissimis aquarum et terrarum spatiis a Babylone disjuncta [6]), quae tunc Arabum imperio ac dominatu crudeli tenebatur. Hanc porro interpretationem caeteri repudiantes, pro sceptro [7]) dignitatem ac praestantiam in gente Judae tamdiu futuram tradunt [8]), quo advenisset, qui mittendus erat, scilicet rex David, tunc enim potestatem illam in dignitatem regiam concessuram putant. Alii vocem Schiloh ad locum referunt, ubi erat arca foederis, quae inde translata est a Davide [9]). Alii ad Saulem unguendum in Schilo traduxerunt, quae interpretatio plane contraria est historiae sacrae, quia prius arca deducta fuerit a Schilo in urbem Kiriathjearim, ac ne Saul quidem unctus est in [10]) Schilo. Talmudici autem [11]) Messiae venturi nomen Schiloh fore tradunt, recentiores haec ad regem Chaldaeorum Nebuchodonosorem pertinere statuunt, quia regem Zedekiam interfecerit, nec ullus postea regnum adeptus est de stirpe Judae, quod falsum [12]) est, cum Zorobabel gentem [13]) postliminio reduxerit ad sedes avorum. Praeterea [14]) Senatus Judaeorum, de stirpe Davidis sub principibus Asmonaeis [15]) aristo-

---

1) Deest in alio codice. 2) Genes. 49, 10. 3) Alibi: dignitatem. 4) Alii: Juda. 5) Alii: dicam. 6) Alii: distincta. 7) Alibi: qui sceptri. 8) Alii: credunt. 9) 1 Regum. 7, 1 sqq. 10) Alibi: ad. 11) Deest in aliis codicibus. 12) Alibi: factum. 13) Alius: de gente regia populum. 14) 4 Regum 11, 4 sqq. 15) Alii: Ammonaeis.

cratiae speciem tuebatur[1]), quem senatum Herodes sustulit, caesis patribus praeter[2]) Semeam. Sub eadem fere tempora[3]) Jesus Christus Deus ac Dei filius ex Maria virgine natus est. Interpretes LXXII reddunt pro voce Schilo, reposita illi, quasi ex littera ש servili significet, quod vel quae et לה scriptum sit pro לך, cum litterae Echeri[4]) permutabiles sint[5]). Sed ista quidem vis est scripturae sacrae illata. Postremo David Kimchi, ut caeteris omnibus acutior videretur[6]), Schilo a Schiliath derivare conatur, quae vox secundinas significat, quibus involvitur Embryo, quasi diceret בנו i. e. filius ejus, scilicet matris, quam interpretationem miror Galatinum[7]) amplecti[8]) potuisse.

SALOMO: Videtis, hujus loci obscuritatem tantam esse, ut ne argumenti quidem species ulla probabilis elici queat ad Messiam eo tempore venturum[9]) quo natus est Jesus. Jam vero rex ultimus gentis Judaeorum fuit Zedekias. At tametsi Zorobabel a stirpe Davidis populo Judaeorum praefuit sub rege Persarum anno mundi ter millesimo 3432, ejus tamen posteri nulli fuerunt. Principatus vero erat penes pontifices ex Aaronis gente. Quin etiam Maccabaei ex eodem Aarone reipublicae dominatum una cum pontificatu tenuerunt usque ad Antigonum, ultimum Asmonaeorum, centum viginti sex annos. Hunc enim duplici nomine[10]) Christum i. e. unctum, quia rex et pontifex maximus erat[11]), Herodes, a senatu populoque Romano, rex Judaeorum appellatus, anno mundi ter millesimo octingentesimo quarto mactari jussit. Quadragesimo post anno natus est Jesus. Ex quo intelligitur, sexcentos circiter annos ante Christum neminem de gente Juda principatum Judaeorum tenuisse, nec posse vaticinium illud ad Jesum pertinere. Omitto multa, quae Galatinus ex talmudicis libris sensu plane contrario detorsit, ut[12]) cum Messiam tunc natum scribit, cum aedes sacra Hierosolymorum exscinderetur, eumque Messiam Romae latere, qui stato tempore appariturus sit. Quae imperitis fucum fecerunt, cum illam dicendi rationem allegoriarum plenissimam minus caperent.

CURTIUS: Planum est igitur, vos eo loco oraculo[13]) parentis vestri ita haesisse, ut nemo vestrum, qui hebraica et chaldaica tractatis[14]), sese expedire potuerit, quae ad Jesum translata luce clariora sunt. Caetera prosequamur[15]), ne uno tantum loco Judaei haesisse videantur, ad quem[16]), credo[17]), illud Esaiae oraculum spectat: Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabit[18]) nomen ejus Immanuel[19]). Hoc enim Lucas ad Christum pertinere docet[20]).

---

1) Alius: praeferebat. 2) Alius: propter. 3) Alibi: eodem ..... tempore. 4) Forte Ehevi (in margine unius codicis). 5) Locus vulneratus. 6) Alibi: videatur. 7) De arcanis catholicae veritatis l. 4. c. 4. 8) Alibi: complecti. 9) Alii: futurum. 10) Alibi: ratione. 11) Deest in aliis codicibus. 12) Alibi: et. 13) Alii: oraculis. 14) Alius: translantis. 15) Alibi: persequamur. 16) Alibi: ad quae. 17) Alii: cedo. 18) Alius: vocabitur. 19) Jesaiae 7, 14. 20) Lucae 1, 31 sqq.

SALOMO: Esaias nihil unquam de Jesu, multo minus de Maria [1]) matre ipsius suspicatus est. His enim verbis utitur: הִנֵּה הָעַלְמָה i. e. Ecce juvencula! Neque enim haalma virginem significat, sed eam, cujus vir amore fruatur, ut etiam nunc Christiani theologi [2]), qui modo hebraica intelligunt, confiteri coguntur. Nam ea vox usurpatur a Salomone in canticis amatoriis [3]) de iis, de quibus apud virgines disserere indecorum fuisset. Itaque amicam vel adolescentulam significat. Argumento est etiam, quod halmanah viduam appellant [4]), quasi a viro divisam aut quae [5]) virum amisit. At quoties in sacris litteris agitur de virginibus, agitur autem saepissime, proprium verbum semper usurpatur, scilicet בְּתוּלָה vel נַעֲרָה [6]) vel utrumque conjunctim [7]).

CURTIUS: Cur igitur vox haalma de Rebecca diceretur, priusquam nupsisset, erat enim pudicissima virgo?

SALOMO: At eodem capite בְּתוּלָה i. e. virgo diserte adjicitur, ut omnis ambiguitas tolleretur. Absurdum autem fuisset, Esajam virginis partum contra naturae leges significare et ambigua voce haalma, quae saepius unicam significat, in tanto ac tam stupendo prodigio uti voluisse. Historia vero ipsa aperte declarat, de uxore regis Achas Jesaiam scripsisse. Nam cum exercitus duorum regum, scilicet Samariae ac Syriae inferioris, totam Judaeam infestarent, vaticinatur prophetes, uxorem regis adolescentulam filium parituram ac paulo post utrumque regem de Judaea discessurum, ut contigit. Nam biennio post Abia [8]), regis uxor, sic enim Josephus [9]) appellat, peperit Ezechiam, religiosissimum omnium post Davidem ac fortissimum principem, ac paulo post urbis obsidio soluta est. Fuisset autem illa inanis spes liberationis ab hostibus regionem vastantibus, si in nativitatem Jesu i. e. in annum octingentesimum dilata fuisset.

CURTIUS: Cur igitur Jesaias signum seu prodigium pollicetur? Aut quid prodigii fuisset, mulierem parere?

SALOMO: Non dixit vates prodigium, sed signum illud ante liberationem futurum, quod regina masculum pareret. Nam tribus capitibus puelli nascituri historiam complectitur; septimo capite puerum nasciturum scribit et clamatum iri: Immanuel i. e. nobiscum Deus! Sequenti capite haec scribit: Acceptis testibus gravissimis Uria et Zacharia prophetis: Accessi, ait, ad filiam prophetae Zachariae (erat enim Abia regina filia Zachariae, uxor regis Achas), quae conceperat et pepererat filium. Et dixit Deus ad me: Voca nomen ejus Lamaher schalal chusch bas [10]) i. e. accelera praedam, festina direptionem, quia priusquam proferre possit! Abi, Immi, i. e. pater mi, mater

1) Deest alibi. 2) Hieron. Calvin. in cap. 9 harmon. 3) Cant. 1. 6. Proverb. 10. 4) Jesaiae 47 et Ezech. 9 et 44. 5) Alibi: quod. 6) Desunt haec duo verba in aliis codicibus. 7) Gen. 24. Levit. 20. Jer. 31. Deuter. 32. 22. Exod. 22. Judic. 19. 21. 2 Sam. 13. 1 Regum 1. 2. Psalm. 43. Jesaiae 23. 37. Amos 5. 8. Zach. 9. Thren. 2. 8) Alibi: Albia. 9) Antiq. jud. l. 13, 9. 10) Jesaiae 8, 1.

mea! tollentur copiae Damasci et Syriae ante regem Samariae, ante regem Assyriorum etc., quoniam Immanuel, nobiscum Deus est. Nono capite, cum jam puer Ezechias biennium attigisset, liberatis obsidione civibus: Puer, inquit, natus est nobis et vocabitur nomen ejus [1]) admirabilis, consiliarius, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis [2]). Quibus verbis aperte constat, ad Ezechiam regem omnia [3]) pertinere, nihil ad Jesum, quem veteres[4]) ex oraculo Immanuel vocari debuisse querebantur [5]); hic enim Christiani plerique haeserunt [6]), quanquam illud inexplicabile est, quod evangelistae tradunt, Jesum vocatum fuisse Nazaraeum [7]), ut impleretur, quod scriptum est apud prophetas: Nazaraeus vocabitur, cum nullus usquam propheta haec [8]) scripserit.

CURTIUS: Utrumque nomen et Jesus et Immanuel Christo [9]) aptissime[10]) congruit. Jesus enim salvatorem [11]) significat, quia genus humanum salvaturus esset [12]), ut evangelistes scripsit [13]). Ac ne quis haereat in eo, quod Hieronymus et Chrysostomus nihil [14]) a prophetis de nomine Nazaraeo [15]) scriptum reperiant [16]), ex quo suspicantur, aliquot prophetas Judaeorum fraude intercidisse, nihil ea de re suspicandum, quoniam Nazaraeus domicilii cognomen est, ubi erat educatus.

FRIDERICUS: Mihi videtur Osiander nomen Jesu non a verbo יֶשַׁע, quod servare significat, deducere voluisse, sed a sacratissimo Dei nomine יהוה, copulata [17]) salutari littera ש, hunc in modum יהשוה, ut naturam divinam cum humana tunc conjunctam fuisse intelligamus, cum Jesus nasceretur [18]).

CORONAEUS: Sed ut Salomo oraculi sententiam ad Ezechiam pertinere acutissime [19]) contendat, non video tamen, Ezechiam vocatum fuisse Immanuelem [20]), multo minus haec [21]) ei congruere: Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri saeculi, ut fulciat regnum Davidis in aeternum, quae verissime Christo Deo conveniunt, ut haec quoque [22]): Progerminabit virga de radice Jesse et flos de ramis ejus prodibit, super quem spiritus Dei, spiritus sapientiae, fortitudinis, scientiae, prudentiae conquiescit, quae tam dilucide ad Jesum pertinent, ut non futura, sed praesentia, non umbram, sed rem ipsam Esaias acu tetigisse videatur.

SALOMO: Quae Esaias praedixerat, filium regi nasciturum, biennio post contigisse videmus ex [23]) ipsius prophetae verbis, quando [24]) sequente capite: Puer, inquit, natus est nobis et filius datus est nobis

---

1) Alibi: ipsius. 2) Jesaiae 9, 6 sq. 3) Alibi: nomen. 4) Alius: veteri. 5) Justinus qu. 90. 135 ad orthod. 6) Alii: haesitarunt. 7) Matth. 2, 23. 8) Alii: hoc. 9) Luc. 1. 2. 10) Alius: apertissime. 11) Alius: servatorem. 12) Alius: servaturus. 13) Alibi: scribit. 14) Alius: nusquam. 15) Alibi: nomen Nazaraei. 16) Alibi: reperiri. 17) Alibi: copulatur. 18) Alii: natus est. 19) Alii: argutissime. 20) Alius: Immanuel. 21) Jesaiae 9, 7. 22) Jesaiae 11, 1 sqq. 23) Alius: in. 24) Alibi: quae.

etc. Neque enim lingua hebraica patitur eo loco praeteritum usurpari pro futuro, grammatici omnes Hebraeorum reclamant.

CORONAEUS: Cur igitur puerum Ezechiam Dei nomine appellaret?

SALOMO: Vox Hebraica אֵל nihil aliud significat, quam robustum et potentem. Declarat igitur Esaias, Ezechiam heroëm non modo magnanimum, potentem, pacificum ac prudentem in republica gerenda, sed et pium ac religiosum futurum, ut quidem [1]) princeps exstitit omnium post Davidem pietate, prudentia, consilio, virtutibus omnibus clarissimus.

FRIDERICUS: Mirum videri non debet, si Judaei oracula aliquantum obscura alio detorquent, cum ea ipsa, quae nihil obscuritatis habent, sed in perspicua luce posita sunt, argutiarum caligine obruere ac solis ipsius splendorem obvelare conentur. Quanquam innumerabilia sunt ejus rei oracula, quibus vaticinium illud Jeremiae [2]) confirmat: *Ecce, inquit dominus, veniet dies, ut excitem germen justum Davidi; regnabit rex prudenter ac juste imperabit, in diebus ejus servabitur Juda et Israël cum securitate florebit, et hoc nomen ejus, quo vocabunt eum Deus aeternus justitia nostra.* Utitur insuper [3]) sacratissimo nomine יהוה, quod nulli creaturae communicabile est, unde colligit acutissimus quidam theologus [4]) ex hoc Hieremiae loco, Messiam Deum futurum, quae [5]) ad Ezechiam nullo modo referri possunt, cum ante mortuus esset, quam Hieremias nasceretur.

SALOMO: Haec ad Zorobabelem, principem regiae stirpis, pertinere, sequentia declarant, quoniam hic populum de captivitate Babylonica in Judaeam reduxit. Id [6]) autem [7]), quod Fridericus subjecit ex Hieremia: *Vocabunt eum Deus aeternus*, nusquam in ullis exemplaribus legi: *Vocabunt eum*, sed vox יִקְרְאוּ h. e. clamabunt sive alta [8]) voce dicet populus: Deus est justitia nostra! Quae phrasis hebraica est frequens in sacris litteris et ab eodem Hieremia paulo post usurpata [9]): *In diebus illis*, inquit, *servabitur* [10]) *Juda, Hierosolyma otium colet et vocabitur Deus aeternus justitia nostra.* Nam utroque loco adjectum est nomen Jehovah. Quis autem tam ineptus est, ut Dei nomen urbi tribuat? Consimilis est locutio haec: Et vocavit [11]) Jacob aram: fortis Deus Israëlis [12]). Item apud Ezechielem [13]): *Et Hierusalem vocabitur Deus aeternus nomen ejus* i. e. יהוה per Mappik in ה, quod foemininum sonat, non masculinum. Videtis, in quos errores linguae sanctae ignoratio deploranda theologos christianos adegerit [14]).

---

1) Alibi: *quemadmodum*. 2) Jerem. 23 et 33. 3) Deest in alio codice. 4) Calvinus. 5) Alibi: *quae .... potest*. 6) Alibi: *Quod*. 7) Desunt duo haec verba in alio codice. 8) Alibi: *elata*. 9) Jerem. 33, 16. 10) Alius: *separabitur*. 11) Alibi: *vocabat*. 12) Genes. 33, 20. 13) Ezech. 25, 3 sqq. 14) Alii: *adegit*, vel: *redegerit*.

FRIDERICUS [1]): Mirabiles argutiae conflantur a Judaeis non tam ignaris, quam pervicacibus, ut perspicua scripturae sacrae loca quasi atramento sepiae [2]) suffusa delitescant [3]). Caetera videamus.

CURTIUS [4]): Locus est in libro psalmorum [5]): Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis; quo Christus ipse indominatam Judaeorum pervicaciam apte convincit, ut Messiam Deum esse doceret: Si David, inquit [6]), vocat Christum dominum, quomodo filius ejus esset? tunc enim [7]) obticuisse scribit.

SALOMO: Probabile est, illos obticuisse [8]), ne ineptire in re tam futili [9]) viderentur, primum quia hic psalmus non est Davidis. Sunt enim psalmorum auctores decem, quos enumerat R. David Kimchi in hebraicis commentariis ad psalmum primum. Hic autem psalmus est ordine CIX, ac in fine psalmi LXXII haec verba subjiciuntur: Finis orationum Davidis [10]). Ex quo intelligitur, consequentes psalmos non esse Davidis, nam in eo vim argumenti collocarunt, quod haec verba Davidis esse arbitrantur [11]).

FRIDERICUS: Cur igitur inscribitur psalmus Davidis?

SALOMO: Omnia exemplaria hebraica [12]) vacant hac epigraphe, ut psalmus centesimus trigesimus septimus, tametsi a Latinis inscribitur psalmus Davidis, nihilominus quingentesimo [13]) fere anno post scriptus est, i. e. post reditum ab exilio Babylonis, ut illa declarant: super flumina Babylonis. Sed cum inter decem autores psalmorum David caeteros dignitate superaret, inscriptio totius libri tributa ei est, tametsi de psalmis centum quinquaginta haud plures octodecim a Davide conscripti ferantur. Quanquam si psalmus ille Davidis esset, christiani tamen theologi argumentum illud Christi frigere [14]) tradunt [15]); quia fieri potuisse ajunt, ut Christus Jesus [16]) Messias futurus Davidem opibus ac potentia longe superaturus fuerit.

CURTIUS: Quae theologorum christanorum auctoritate probantur [17]), unumquemque probare oportet [18]). Qui [19]) profecto locis omnibus Christi deitatem asserunt et de hoc psalmo Davidis convincunt, vocem Adonai Deo soli convenire, ut de Messia tunc futuro illud interpretandum sit.

SALOMO: Vox Adonai per ◌ָ [20]) creatori tribuitur, per ◌ַ [21]) vero creaturae, ut grammaticis notum est. At in hoc psalmo nec patach nec kamez scribitur: sed hoc modo לַאדֹנִי, quae vox nunquam creatori tribuitur. Ac tametsi psalmi scripti fuissent hebraice sine vocabulis notis, cum interpretatio graeca prodiit [22]), ut ex infinitis locis intelligitur, ac potissimum ex psalmo

---

1) Alii: CURTIUS. 2) Alii: saepius. 3) Alii: deleant. 4) Qui habent antea CURTIUS pro FRIDERICUS, omittunt hic CURTIUS. 5) Psalm. 109 (110), 1. 6) Matth. 22, 40. 7) Addunt alii: Matthaeus. 8) Alii: obmutuisse. 9) Alius: subtili. 10) Addunt alii: filii Isai. 11) Alii: arbitrarentur. 12) Alii: Ebraeorum. 13) Alius: quinquagesimo. 14) Alibi: frigide. 15) Calvinus in harmonia (hom. ev.) in cap. 22 Matth. 16) Alii: sive. 17) Alius: Qui .... autoritatem probant, ubique etc. 18) Alii addunt: si probant etc. 19) Deest in aliis codicibus. 20) I. e. kamez. 21) I. e. patach. 22) Alii: cum interpretatione graeca prodiit.

trigesimo et quadragesimo sexto, nihilominus tamen ex ipsa prolatione [1]) nec kamez, nec patach in penultima syllaba percipi potest.

CORONAEUS: Quis melius psalmum interpretari aut [2]) scire potuit, quam Christus ipse?

SALOMO: Profecto quam plurima loca in sacris litteris in aliam sententiam imperite [3]) detorta videmus, ut illud: In omnem terram exivit sonus eorum [4]), quod apostolis tributum est, cum tamen de sideribus et coelis illic agatur. Et illud: Minuisti eum paulo minus [5]) ab angelo ad Christum referunt, qui tamen, si minor angelis fuisset, Deus nullo modo esse potuisset.

CURTIUS: Vox מֵאֱלֹהִים significat: a Deo, ut sit sensus: Christum, tametsi patri aequalis quoad divinitatem, eo tamen fuisse inferiorem sit quoad humanitatem.

SALOMO: Hanc interpretationem funditus evertit uterque Chaldaeus interpres, qui vocem hebraicam reddunt [6]) chaldaice מִמַּלְאֲכַיָּא מאלהים i. e. ab angelis, quam LXXII interpretes reddunt: παρ' ἀγγέλους, ut ambiguitas τοῦ אֱלֹהִים, quae in Deum et angelos convenit, omnino tolleretur. Agitur enim de hominis [7]) dignitate et praestantia, cui cum Deus omnia subjecisset [8]), angelis tamen paulo inferiorem fecit. Consimile est illud: Foderunt manus meas et pedes meos [9]), quae plane desunt Hebraeis [10]). Sic enim scriptum est: עֲדַת מְרֵעִים הִקִּיפוּנִי כִּי סְ בְבוּנִי כְּלָבִים כָּאֲרִי יָדַי וְרַגְלָי׃ i. e. Congregatio impiorum offendit me, sicut leo manus meas et pedes meos. Chaldaeus vero interpres Jonathan hoc modo reddidit: Congregatio impiorum obsedit me, mordentes sicut leones, manus meas et pedes meos. Vox enim כָּאֲרִי in כָּאֲרוּ mutata est, ut David Kimchi copiosissime docet, ut ad manuum et pedum confixionem crucifigi [11]) accommodarent.

FRIDERICUS: Imo verius est, a Masoretis recentioribus verbum כארו in כארי mutatum [12]) esse, propter litterarum affinitatem. Argumento sit, quod interpretes LXXII, qui jussu Ptolomaei Philadelphi regis ex Ebraeis biblia graeca fecerunt, verbum graecum ὤρυξαν i. e. foderunt, non inseruissent pro vocibus ὥσπερ λέων, quae nullam inter se affinitatem habent.

SALOMO: Agnosco illud utilitatis habere veterem interpretum LXXII interpretationem, ut quid in altera mutare licet, in altera non liceat, propter hebraicae et graecae linguae dissimilitudinem, ut cum Moses scripsisset, Israëlitas annos 430 in Aegypto transegisse, interpretes LXXII reddiderunt eundem numerum. Sed quia vox τετρακοσίων similis est voci τριακοσίων, plerique trecentos emendari putant oportere, quia vix annos 140 in Aegypto

1) Alius: interpretatione. 2) Alibi: ac. 3) Alibi: immerite, vel: impie. 4) Ps. 19 (18), 5. 5) Ps. 8, 6 (cf. Hebr. 2, 7). 6) Alibi: reddit. 7) Alii: hujus. 8) Alibi: subjunxisset. 9) Ps. 22 (21), 17. 10) Haec quatuor verba omittit alius codex. 11) Alius: crucifixionem. 12) Alius: corruptum.

transegisse videantur, si aetates cujusque colligas [1]). Nihil tamen immutandum venit, cum hebraicae dictiones integrae nullam sui diminutionem patiantur, sed a foederibus cum Abrahamo percussis et promissione ei divinitus facta usque ad exitum ex [2]) Aegypto numerus sibi constat, ut omnes intelligant, per Aegyptum secretiori sensu intelligi terrestre domicilium. Necesse est igitur, ad Hebraeorum fontes [3]), si quid ambigitur in Graecis, redire. Atque ex eo intelligitur, quanta fide et integritate majores nostri sacras litteras incorruptas nobis reliquerint. Nam cum antea vocalibus, punctis, accentibus ac versuum distinctionibus scriptura vacaret, theologi post extremum templi excidium ac potissimum Ben Asser et Ben Naphthali, principes [4]) Masoretarum, libros singulis capitibus, capita versibus, versus distinctionibus, distinctiones syllabis, syllabas vocalibus et accentibus denotarunt. Nec eo tamen [5]) contenti, versus omnes numero complexi sunt, et libri cujusvis medium designarunt, ne quid usquam addi aut detrahi posset, ut librum Geneseos versus 1534 [6]) complecti notarunt, ac libri medium in his verbis esse: In gladio tuo vives. Idem in caeteris libris fecisse videmus, in psalmis accuratius. In quatuor enim libros et illo in capita distinxerunt, et versum, qui medius est omnium librorum, notarunt [7]). Numerus autem versuum quinque librorum Mosis est 5845, prophetarum 9294 [8]), hagiographorum 8664 [9]). Ac ne quid additum aut detractum esse videri possit, Ptolomaeus Philadelphus sacras tabulas Hebraeorum in graecam linguam transferri maximis sumptibus mandavit, trecentis amplius annis antequam [10]) Jesus nasceretur, ad idque conficiendum viros LXXII ex duodecim tribubus selectissimos accessere non dubitavit. Accessit etiam triplex interpretatio Chaldaica, una Onkeli [11]), quem Latini Aquilam vocant, qui floruit ante secundi templi excidium, altera Jonathanis [12]), qui a Graecis eadem nominis significatione Theodotio detur et floruit ante Jesum annos quadraginta duo. Tertia est [13]) Hierosolymitana, post excidium templi, quae fusior est et cum paraphrasi, ut quod in scripturis obscure aut [14]) ambigue dictum erat, planius ac melius intelligeretur: ut immerito [15]) Hieronymus queratur, quaedam loca bibliorum, quae deitatem Jesu continebant, ab interpretibus LXXII omissa fuisse, ut gratiorem et acceptiorem redderet [16]) suam, quam veterem, a quibus omnia corrasit [17]), interpretationem. Quae autem ad hi-

---

1) Cahal cum patre Levi descendit in Aegyptum, vixit autem ille annos 133. Ejus filius Amram vixit annos 137. Moses, filius Amram, natus erat annos 80, cum eduxit populum. Demus, Cahal, cum in Aegyptum descendit, annum vigesimum attigisse, et cum genuit Amram, annum 30 explevisse, detrahendi erunt anni 100, qui absorbentur in annis Amram, quem si demus fuisse annorum 40, cum genuisset Mosen, summa erat annorum 140. (Theod. Beza.) 2) Alius: ab. 3) Alibi: fontem. 4) Alibi: princeps. 5) Deest in aliis codicibus. 6) Alibi: 1504. 7) Versus medius est in psalmo 77, 35: Deus excelsus redemptor eorum est. 8) Alii: 9224. 9) Alii: 8064. 10) Alii: quam 11) Alii: Onkelosi. 12) Alii: Jonathani. 13) Deest in aliis codicibus. 14) Alibi: et. 15) Alius: merito. 16) Alius: redderent. 17) Idem: corraserunt.

storiam pertinent, ut octo versus postremi librorum[1]) Mosis, a Josua scripti traduntur, ut duodecim versus postremi libri Josuae a Samuele, qui etiam librum Judicum ex antiquitate majorum collegit et Samuelis primum librum usque ad caput vigesimum quintum. Libros autem Regum magna sui parte Hieremiam scripsisse ajunt, scilicet duos posteriores, uti a majoribus collectos acceperat, ut Esdram librum Paralipomenon[2]), in quibus continentur libri Hananiae, Nathanis et Gadi prophetarum.

FRIDERICUS: Sed cum de sacris litteris agit Salomo, nihil de tabulis Novi Testamenti. At vetera Testamenta jubentur valere apertis Novi Testamenti tabulis, ut novis pactibus, novis legibus, novis foederibus vetera semper cessisse videmus.

SALOMO: Demus illud de testamentis ac foederibus, modo sit idem posterioris, qui prioris autor Testamenti, nec falsae sint aut suspectae tabulae. At Novum Testamentum Christianorum non est ejus, qui prima foedera in monte Horebi scripsit et promulgavit, non coram septem testibus puberibus masculis, sed coram sexcentis millibus testium praeter foeminas, servos et peregrinos. Novum autem Testamentum, qualecunque aut cujusque sit, nemo affirmare potest. In eo tamen tot ac tam multa detracta, addita, suspecta, commutata[3]) videmus, ut lectionum varietates habeat plus quam trecentas. Nec tantum litteris aut[4]) syllabis aut dictionibus, sed etiam periodis aut integris capitibus additis, mutatis, detractis. Argumento sit, quod Epiphanius scribit, exemplo Marcionis, Johannis discipuli, duo priora Lucae capita defuisse: in quibus tamen ea continentur, quae nusquam ab[5]) aliis scriptoribus prodita fuere, scilicet angeli legatio ad Mariam, partus virginis stupendus, magorum ab extremis oris profectio in[6]) Judaeam, stella praeeunte ad ea loca stabulorum, in quibus virgo peperisset. Fuit autem Marcio Johannis evangelistae discipulus, vir imprimis Christianorum studiosissimus, quippe qui sestertia quadringenta in ecclesiam christianam profudit, qui quo propius aberat ab elementis reipublicae christianae, eo minus a rerum gestarum veritate potuit aberrare. Is ergo totum[7]) Lucae evangelium ut plane corruptum rejiciebat, ut quidem Tertullianus[8]) scribit.

CORONAEUS: Marcioni, haeresiarcharum maximo, fides omnis jure derogatur, cum ab isto[9]) evangeliorum corruptore Manichaei errorum fontes ac flumina in universum orbem derivarint, ut non immerito Tertullianus scripserit, unam epistolam Pauli ad Philemonem[10]) falsarias Marcionis manus evasisse ob sui brevitatem, quam ab eodem corruptam esse querebatur Epiphanius.

---

1) Alibi: libri. 2) Vid. postremum (50) caput libri primi Paralipom. 3) Alius: subjecta, commentata. 4) Alibi: ac. 5) Alibi: nunquam de. 6) Alii: ad. 7) Alibi: omnino tum. 8) Contra Marcionem. 9) Alibi: ipso. 10) Desunt duo haec verba in alio codice.

SALOMO: Nihil ad Marcionis opinionem confirmandam valent illa duo priora capita Lucae, nec verisimile est, caeteros evangelistas legationem illam coelestem, partum virgineum, stellam magorum ducem[1]), denique res omnium maximas fuisse praetermissuros, cum levissima quaeque complectantur ac saepe[2]) iidem eadem repetant, usque ad dysenteriae et haemorrhagiae curationem. Aliud etiam est argumentum, duo priora illa capita Lucae scriptis adjecta fuisse, quod tertium caput, quasi totius historiae praefatio[3]), sic incipit: Anno quinto et decimo imperii Tiberii Caesaris, Pontio Pilato praeside Judaeae, Tetrarcha vero Galilaeae Herode, Philippi fratre Tetrarchae Barcoae et Abilenes, sub pontificibus Hanna et Caiapha factum est verbum domini ad Johannem etc. Haec initia sunt prophetarum ac historicorum fere omnia[4]) communia. Sic enim incipiunt Daniel, Ezechiel, Hoseas, Michaeas, Zephanias[5]), Zacharias, Esdras, quos imitatus Lucas, initium hoc futurae historiae fecerat, ut satis perspicuum, duo priora capita alterius esse potius, quam auctoris.

FRIDERICUS: Particula autem[6]) δὲ initio posita satis declarat, ad praecedentia pertinere[7]).

OCTAVIUS: Nihil habeo, quod ea de re statuere possim[8]), sed memini me in sacris litteris Alcorani legisse, legationem illam angeli ad virginem Mariam et ea, quae de partu virgineo feruntur, plurimum tamen a Lucae scriptis discrepantia. Sic enim Gabriel ad Mariam inducitur a Muhammede: O Maria, omnibus mulieribus ac viris[9]) splendidior, purior ac jucundior, tibi gaudium summi nuncio, cum verbo Dei, cui nomen est Jesus Christus, vir optimus ac sapiens ab universitatis creatore mittitur. Ad quem illa: Virum non attigi, Deus aeterne, quomodo pariam? Huic angelus: Omnia, inquit, Deo facilia sunt. Ipse filium tuum divina virtute augebit, librum legis, verum evangelium[10]) docebit, coecos et mutos curabit, leprosos mundabit, mortuos excitabit, vetus Testamentum confirmabit.

SALOMO: Fateor quidem, Muhammedem subjecta illa Lucae capita legisse forsitan aliter, quam scripta sint[11]), cum infinita sit scripturarum varietas. Sed quod attinet ad particulam autem initio capitis tertii, facilius fuit ei, qui duo capita subjecerat, inserere, quam virgineos conceptus et partus, repugnante natura, philosophis persuadere.

TORALBA: Non tam mirabilis mihi videtur partus virgineus, quam piscium, avium, reptilium examina, quae prius demonstrata sunt, sine patre repente prodire. Audistis Fridericum narrantem, daemonum ac foeminarum concubitus et amplexus foecundos, idque tam usitatum esse, ut non tantum

---

1) Alii: stellas ..... duces. 2) Alii: saepius, vel: saepissime. 3) Alius: prolusio. 4) Deest in alio codice. 5) Alii: Sophonias. 6) Deest alibi. 7) Addunt alii: ἴδει δέ. 8) Alius: Nihil ea de re statuere possum. 9) Alius: Omnibus utrique ac mulieribus. 10) Alius: librum legiferum et evangelium. 11) Alibi: sunt.

Augustinus[1]) impudentes judicet, qui dubitent, sed etiam Thomas Aquinas et caeteri fere theologi communi quadam sententia foeminarum partus a daemonibus conceptos ut rem omnium certissimam asseverarint, quae a Joanne et Francisco Pico[2]), philosophorum saeculi sui doctissimis, confirmantur. Quae si vera sunt, quid mirum, si virgo sine hominis concubitu, angeli officio concepit ac peperit? Accedit illud, quod non solum stirpes et animantia pleraque sine ullo semine ex intimo terrae ac sinu ac utero prodeunt, sed etiam id ipsum de hominibus pingui solo, calore coelesti temperato factum, Anaximander, Empedocles, Anaxagoras, Plato ac tota Arabum schola, auctore Avicenna, confirmant[3]); inter historicos auctores Diodorus Siculus, Pausanias, Justinus, Strabo, denique Aristoteles[4]) ipse in eadem sententia fuisse videtur, ut omittamus poetas, apud quos nihil frequentius. Quin etiam Maro, Varro, Plinius, Solinus, Justinus, Strabo, Columella, Silius Italicus[5]) equas Lusitaniae saepius sine maribus concipere ac parere, sed pullos ita natos triennium non excedere tradunt. Incredibilis est, inquit Varro, foetura in Lusitania, sed tamen vera, equos vento concipere, de quibus Maro:

Ore omnes verso in Zephyrum stant rupibus altis
Exoptantque leves auras et saepe sine ullis
Conjugiis vento gravidae, mirabile dictu.

Id quod Homerus antea de Achillis equis scriptum reliquerat. Non igitur tam mirabilis videri debet virginis partus.

SENAMUS: Demus haec, tametsi rarius accidunt, fieri tamen posse, non[6]) repugnante natura; sed contra naturam est, ut Christus natus sit utero virginis plane concluso, contra quam Tertullianus scribit, virginem patefacti[7]) corporis lege peperisse, quod omnes theologorum scholae coarguere non dubitarunt, quia Dei et hominis naturam in Christo unitam[8]) naturae lege solutam fecerant[9]).

OCTAVIUS: Ismaëlitae Christum nec Deum nec Dei filium fuisse asseverant. Sic enim in sacris Alcorani litteris scribitur: Multi mentiuntur, Deum habere filium. Item[10]): Dic illis constanter, Deum esse unum, incorporeum, qui nec genuit, nec genitus est, nec habet quemquam sui similem, Jesum virum optimum esse et faciem[11]) omnium populorum, qui etiam Ruach[12]) dicitur, quod[13]) ipsi spiritum et ventum Dei interpretantur. Illud tamen confitentur, Christum ex virgine natum, cujusmodi plures esse putant, quos vulgari sermone Nephlis Ogli, Britanni Merlinos, Germani Wechselkinder

---

1) De civ. Dei l. 18. 2) Joh. Picus in positionibus; Franciscus Picus l. 4 praelect c. 4. 3) Plutarchus de placitis philos; Plato in Protagora, Politico, Menexeno, Critia. 4) Probl. sect. 10 et l. 2 de republ. 5) Virgilius in Georgicis. Ovidius in Metamorph. Arrianus l. 3 de venat. Varro de re rustica. Plinius hist. nat. 1, 30. Solinus cap. 44. Columella 1. 6. 6) Deest in alio codice. 7) Alibi: patefactam. 8) Alibi: naturae in Christo unitae; vel: naturam in Christo unitam. 9) Alii: fecerunt. 10) Azora 121. 11) Alius: facem. 12) Alii: Ruella. 13) Alii: quem.

appellant. Quin etiam in Hispaniola[1]) occidentalis Indiae persuasum erat, Concotonem Deum cum foeminis concumbere et qui ex eo concubitu nascerentur, duplici corona insignes esse. Quae antiquissima opinio veterum videtur fuisse, ut superius Toralba disseruit. Sic enim Josephus[2]): Multi, inquit, angeli Dei mulieribus misti contumeliosos filios genuerunt, πολλοὶ γὰρ ἄγγελοι Θεοῦ γυναιξὶ συμμιγνύμενοι ὑβριστὰς ἐγέννησαν παῖδας.

FRIDERICUS[3]): Cur Ismaëlitae Christum ex virgine natum Dei verbum et spiritum appellant, si tantummodo putant, virum optimum fuisse?

OCTAVIUS: Christum quidem prophetis omnibus ac Muhammede longe superiorem esse, Ismaëlitae agnoscunt. Sic enim scribitur[4]) Deum Judaeis dixisse, Christum Mariae filium, cui dedimus evangelium, lumen et confirmationem Testamenti et rectam viam timentibus Deum, ad vestrae legis cumulum et consummatam perfectionem. Item in capite Elmeide: designavimus hominum vestigia per Jesum filium Mariae veracissimum eique dedimus evangelium, in quo est lux et veritas aperta.

CURTIUS: Si veritatem apertam in eo fuisse fatentur Ismaëlitae, cum aperte Christus dixerit[5]) Ego principium sum, qui loquor vobis, cur Deum esse negant?

OCTAVIUS: Haec verba negant a Christo prolata, sed a falsariis evangeliorum corruptoribus subjecta fuisse.

SALOMO: Profecto Jesus in synagoga majorum rogatus, cur se Dei filium jactaret: Nonne scriptum est, inquit, ego dixi, Dii estis et filii excelsi omnes?[6]) Quibus verbis expresse[7]) declaravit et quidem actu legitimo, non aliter se Dei filium esse arbitrari, quam caeteros mortales. Tamesti dictum illud Davidis אֱלֹהִים אַתֶּם vertit Chaldaeus interpres: אדין מלאכיא i. e. angeli vos. Deinde idem interpres corrupta voce Graecorum אַנְגְלִי usus est, scilicet: Vos quidem magistratus ac judices angelis nihilo vos inferiores esse arbitramini, omnes tamen ad unum usque ruere necesse est. Haec enim ad principum ac tyrannorum acerbam castigationem, non ad laudem dicta sunt, ut putat evangelistes.

CURTIUS: Justa quidem oratio Christi est ad Pharisaeos, ut illis eriperet criminandi occasionem, ad apostolos vero conversus: Vobis, inquit[8]), datum est nosse arcana Dei, caeteris autem parabolis, ut scilicet criminationem dilueret[9]), quae in eo potissimum exstitit, quod se filium Dei jactaret. Nam si vulgaris ea fuisset appellatio, qua quisque Deum parentem omnium communem agnoscit, inanis erat adversus eum accusatio. Fuit igitur in eo generatio quaedam sublimior ac divinior filii, qui ab aeterno tempore

---

1) Alius: Hispania. 2) Josephus libr. 2 Antiquit. Augustinus in c. 2 Genes. 3) Duae hae sequentes Friderici et Octavii interlocutiones desunt in alio codice. 4) Azora 12. 5) Johannis 8, 25. 6) Psalm. 82, 6. 7) Alii: aperte. 8) Matth. 13, 11. 9) Johannis 9, 16 sq.

genitus est, sic enim saepius usurpatur, ut hoc differat ab hominibus filio, quo nomine se ipsum appellavit, quia verus homo fuit et hominis i. e. virginis filius et verus Deus, ab infinita aeternitate a Deo genitus [1]).

SALOMO: Si ab aeterno tempore genitus est, originem illam non corpoream fuisse oportet.

CURTIUS: Ab aeterno quidem genitus est, incorporea generatione sine matre, postremis vero temporibus in utero virginis officio spiritus sancti genitus est sine patre,

SALOMO: Cur igitur ubique appellatur filius Davidis et filius Josephi? Frustra enim Matthaeus et Lucas stirpem Jesu a Davide usque ad Josephum derivarent, nisi filius Josephi extitisset; huc enim pertinet utriusque historia, ut illum de gente Juda et quidem de regia stirpe Davidis oriundum esse docerent [2]), alioqui Messias non futurus, ut ex oraculis prophetarum intelligitur, scilicet Davidis gentibus ac stirpi Messiam deberi. Quin etiam in ipsis Talmudicis libris Messias appellatur David, quoniam a stirpe Davidis germinaturus esset.

FRIDERICUS: Certe Suidas [3]) memorabilem historiam narrat, scilicet Jesum sacerdotem a collegio pontificum cooptatum fuisse, propter summam ejus eruditionem ac pietatem, et cum originem ejus exquirerent, tum a matre tum a propinquis et obstetricibus compertum esse, de virgine a spiritu sancto conceptum, prius angelo denunciante, filium Dei futurum, qui nasceretur, idque a sacerdotibus in acta publica relatum. Connubia vero cum agnatis et gentilibus jubente lege saepius contrahebantur. Itaque satis erat Josephi stirpem a Davide dici, ut intelligeretur, Mariae uxoris genus ab eadem stirpe deduci. Tamesti plerisque placet, Mariae genus ad Leviticam [4]) et Davidicam gentem pertinere.

SALOMO: Novum profecto est, foeminas gentem propagare, cum familiae finem faciant. Lex autem illa de maritandis ordinibus in eadem tribu, omnium fere consensu ac usu diuturno jam antiquata pridem erat, ut videmus, avum Davidis sibi despondisse Moabitidem uxorem pronpinqui viduam: ac Jojadam pontificem maximum Leviticae tribus, uxorem duxisse de tribu Judae regiae stirpis, quia legi vetanti satis cumulate fiebat, si praedia [5]) ex una tribu in aliam non traducerentur, quae sola fuit legis ferendae causa. Quis tandem fabrum regiae stirpis uxorem domum duxisse putet?

FRIDERICUS: Etiam regum nepotes ac posteros inopes a pecunia fabrilia tractare, quis dubitet? cum nec Dionysio tyranno de imperii culmine [6]) dejecto turpe fuerit, quod ludimagister esset, nec filio Persei, regis Mace-

---

1) Matth. 3. 4. 14. 17. 25. Marc. 1. 3. 5. 9. 15. Luc. 1. 3. 4. 10. Joh. 8. 13. 14. 17. Rom. 1. 8. Hebr. 1. 5. 7. 2) Matth. 8. 12. 13. 26. 29. Marc. 2. 6. 9. 13. 14. Luc. 6. 9. 12. 18. 3) In voce Ἰησοῦς. 4) Alius: regiam. 5) Alibi: praesidia. 6) Alibi: de imperio.

donum, aut [1]) Jubae regi, quod inter mancipia scribarum censerentur. Ita nec mirum debet videri, si posteri Davidis, in Chaldaeam exsules abducti, obsequia servilia victoribus praestiterunt.

SALOMO: At postliminio redeuntes posteri Davidis, quotquot fuere, honores senatorios [2]) adepti sunt. Quanquam Matthaeus et Lucas non modo cum historia, sed etiam secum ipsi discrepant, ut alter Jesum a Salomone, alter a Nathane [3]) infinita nominum varietate deducat; uterque enim tum a Philone Hebraeo [4]), antiquitatis auctore optimo, tum etiam ab historia sacra plurimum dissident; quod cum [5]) etiam argutus theologus [6]) ferre non posset, aperte scripsit, effici nullo modo posse ex Matthaei et Lucae scriptis, ut Jesus a Davide originem traxisse videatur. Ex duobus [7]) enim alterum fieri potest, ut utraque theogonia seu genealogia falsa sit, alterum non potest, ut plus una sit vera, cum utraque stirpites [8]) omnino diversas habeat, scilicet Salomonem et Nathanem fratres. Illud enim in tanta repugnantia proditum est, ab utroque evangelista Boas, Salomonis filium proavum esse Davidis, cum tamen inter utrumque intersint anni 372 [9]). Levius est etiam, quod Justinus Martyr [10]) scribit, contra quam [11]) caeteri sentiunt, Eli fuisse Josephi patrem adoptivum. Quod autem ad Suidae historiam attinet, ne Christiano quidem ulli praeter Suidam probatur, cum aperte pugnet [12]) cum omnibus scriptoribus evangeliorum. Electionem vero fieri sacerdotum apud Judaeos inauditum est, multo minus etiam de stirpe regia. Cui regulae [13]) cum derogare conaretur Usias rex ac pontificibus honores praeripere obsistentibus repente lepram contraxit, quia genti Aaronis tributum erat lege divina sacerdotium, idque extra sortem et suffragium, caeteris tribubus ab aditu sacerdotii exclusis.

CURTIUS: Erroris opinione falluntur, qui non vident, nomina propria in sacris litteris saepius commutari. Nam qui Azarias rex Judaeorum loco [14]) dicitur, idem alibi Ozias appellatur. Item Esdras mox Athiarsatha, mox Nehemias, mox [15]) Malachias vocatur, et qui saepius Artaxerxes, interdum Ahasverus et Asverus dicitur. Quare de nominibus minime laborandum est, modo rem teneamus, scilicet Christum ad Davidem [16]) genus referre, sive a Salomone vel [17]) a Nathane ducatur, cum uterque Davidis filius esset.

SALOMO: Sint haec Matthaei et Lucae μνημονικὰ ἁμαρτήματα, sed urgent graviora. Aut enim Josephus est pater Jesu, aut alius. Si non est pater Josephus, inanis [18]) est illa gentilium descriptio a Davide, vel etiam

---

1) Alibi: nec. 2) Alibi: nomen senatoris, vel: honores servatoris. 3) Alius addit: cum. 4) Lib. 1 de genealogia. 5) Deest in alio codice; alius: id cum. 6) Calvinus lib. 1 de harmon. 7) Legit alius codex ita: Ex duabus enim lineis non potest ut plus una sit vera, cum utraque stirpites omnino diversos habeat, scilicet Salomonem et Nathanem fratres. 8) Alibi: stipites. 9) Alii: 368. 10) Quaest. 131 et 133 ad orthodox. 11) Alii: quam. 12) Alii: nam ..... pugnat. 13) Alius: legi. 14) Alius: Judae uno loco. 15) Alius addit: etiam. 16) Alibi: Davidis. 17) Alius: sive. 18) Alius: vana.

ab Adamo repetita; sin est natura pater, nec Maria virgo sit, nec alia fuerit, quam caeterorum hominum origo. Sin Mariam stirpis Davidicae fuisse arbitrantur, de conjugio Josephi argumentum incertissimum [1]), tum quia usu contrario lex antiquata pridem erat, tum etiam quia Maria Elisabethae gentis Leviticae cognata vocatur.

CURTIUS: Tua te, Salomo, argumenta refutant. Nam si antiquata lex erat de maritandis ordinibus, quis dubitet Mariam paterno genere a gente Levitarum, materno vero a Davide stirpem traxisse?

SALOMO: Sed his omissis [2]) Messiam in oppido Bethlehem nasci oportuit ex oraculis prophetarum. At Jesus natus est in vico Nazaraeo [3]) regionis Galilaeae, quae fluminibus ac imperio divisa erat a Judaea. Hinc objectio illa, cum de Jesu ageretur: potestne Nazaretho aliquid boni esse? [4]) quam etiam in Actis confirmat: Ego sum, inquit, Jesus Nazarenus, quem tu persequeris [5]).

CORONAEUS: Vetus est illa objectio [6]) a theologis jam pridem confutata. Quis enim nescit, Josephum et Mariam a Galialea in Bethlehem oppidum concessisse census causa atque illic Mariam peperisse, Nazarenum tamen appellatum, quod illic educatus, ubi mater domicilium haberet [7])? Quin etiam Oregines contra Celsum et Justinus Martyr [8]) stabulum, in quo Christus natus est, in antro Bethlehem sua aetate a peregrinis visitari consuevisse tradunt.

SALOMO: Ita quidem existimant [9]), sed ratio temporis cum historia census Augusti convenire nequit. Augustus enim censum illum totius Romani imperii fecit anno sui dominatus penultimo, ut est apud Dionem [10]), quo tempore Jesus annum agebat [12]) quartum decimum.

CURTIUS: Descriptio duplex ab Augusto facta est. Sic enim dicit Lucas [11]): primum praeside Lyrorum Cyrenio, et quoniam [13]) in sua quemque civitate censeri oportebat, ob id Josephum e tribu Juda cum uxore Maria in oppidum Bethlehem profectum esse.

SALOMO: Id fieri nequit [14]), cum ex historia Josephi [15]) Quintilius Varus eo anno praeses esset, non Cyrenius. Idem Josephus scribit, Cyrenium Judaeae tantum descriptionem fecisse ac novem annos post Herodem mortuum. Et quia [16]) subtilius ista conquirunt theologi Christiani [17]), ex aetate Jesu colligunt, Quintilio Varo praeside natum esse. Huc accidit, quod illa Augusti descriptio civium Romanorum etiam peregrinorum et sociorum et vectigalium censum continebat, ut planum [18]) facit Eusebius, qui post Aegyptiacam victoriam censum civium Romanorum factum esse scribit, tum in urbe,

---

1) Alius addit: est. 2) Alibi: missis. 3) Alibi: Nazareth. 4) Joh. 1, 46. 5) Actor. 9, 5. 6) Unus false: occupatio. 7) Alibi: habebat. 8) In apolog. 9) Alii: existimo. 10) Lib. 36. 11) Alibi: attingebat. 12) Luc. 2, 1 sqq. 13) Alibi: quondam. 14) Alias: Id factum negatur. 15) L. 4 de bello jud. 16) Alius: qui. 17) Beza ad 3, 2 Lucae. 18) Alibi: plane.

tum in provinciis. Numerum autem civium fuisse 6560000 et Christo nascente 15820000. At Josephus non erat civis Romanus, alioquin Pontius provinciae praeses Jesum filium ejus, majestatis ac impietatis reum, Romam misisset, ut postea Festus, ejusdem provinciae praeses, Saulum civem Romanum (quia pater ejus civitatis jus emerat) Romam amandavit. Nec credibile est, si vectigales cum sociis censi fuissent, qui imperii Romani finibus continebantur, tantam hominum paucitatem futuram, quantam Eusebius ex libris censualibus in historiam retulit [1]). Ei [2]) tamen, repugnantibus historicorum scriptis, vectigalis quoque populos censos fuisse concedamus, qui tam acerbus et ineptus censor, qui subditos coëgit unquam ex civitatibus et provinciis emigrare census causa? Quodsi unquam factum est [3]), quis parturientes foeminas ad id compulisset? Ac tantum abest, ut parturientes eo necessitatis adigerent, ut ne foeminae quidem in censum venirent, ut videre est apud Livium [4]), qui quoties civium numerum ex censibus descripsit, haec verba fere subjicit: Praeter mulieres [5]). Ut libro [6]) septimo: Civium, inquit, qui puberes essent, supra centum decem millia, mulierum autem et puerorum servorumque et mercatorum et sordidas artes exercentium, si quidem Romano [7]) civi operosam artem tractare non licuit, triplo plus quam turbae civili. Nec vero [8]) Moses duplici censu, quem habuit [9]), nec David, cum populum censeri jussisset, foeminas aut minores annorum [10]) viginti complexi fuere. Jam vero, si census causa emigrandum fuisset, oportuisset Africae incolas, Romanorum subditos, cum uxoribus ac liberis totaque familia in Europam, ubi nati fuerant, et ab Asia in Africam traduci, non sine intolerabili molestia ac sumptu, quae nullis unquam Romanorum aut populi cujusquam institutis facta legimus, sed ubi quisque domicilium habuit [11]), illic censebatur, et censores coloniarum libros censuales Romam transmittere consueverant, ut Livius scribit. Quin etiam Caesar ipse dictator [12]) civium singulas domus urbis Romae adiit, quo censum faceret, ut scribit Tranquillus in Caesare. Itaque non mirum, si acutiores Christiani theologi nodum istum, quem solvere non poterant, secuerunt.

FRIDERICUS: Valde subtilis est haec, dicam an futilis, disputatio. Sed quaecumque occasio Mariam compulit, ut in oppidum Bethlehem concederet, satis constat, illic natum fuisse Christum, cum etiam magi ab oriente illuc profecti sunt ad infantulum adorandum, ut antiqua prophetarum oracula implerentur [13]): Reges Arabiae et Sabaeorum dona offerent et stella praeeunte perducti juxta stabulum, ubi virgo peperisse dicebatur.

---

1) Alibi: contulit. 2) Alius: Si. 3) Alii: esset. 4) Libro 2 Florus l. 27. 5) Desunt haec verba in uno codice. 6) Alii: lustro. Caeterum haec omnia, usque ad verba: quam turba civili, desunt in alio codice. 7) Alibi: nostro. 8) Alibi: etiam. 9) Numer. 20. 10) Alii: annis. 11) Alibi: habebat. 12) Alii addunt: ad. 13) Esaiae cap. 60, 6.

OCTAVIUS: Illud, opinor[1]), omnibus mathematicis ἀδύνατον videri necesse est, ut stella unius stabuli tecto verticalis sit, sed tractum plurimorum oppidorum ac regionum continere oportet, quia negant omnes theologi Christiani fuisse cometam, sed ἀστέρα i. e. stellam fuisse asserunt. Quanquam ne cometes quidem, qui spatio[2]) immenso abesse a coelo stellato, uni civitati, quantacunque sit, verticalis esse possit, quin latissimis quoque regionum verticibus immineat.

SALOMO[3]): Quomodo fieri potuit[4]), ut novam stellam Deus condiderit, cum ab omni opere, post hujus mundi fabricam, conquievisse dicatur? Quasi vero angelorum obsequiis ad reges ducendos caruisset[5]), aut stellam ad iter demonstrandum interdiu inutilem minimeque idoneam ac paulo momento interituram condidisset.

FRIDERICUS: Tametsi Deus populum per deserta loca deduceret, nihilominus igneam columnam creavit, quae populo semper dux itineris praeiret.

CURTIUS: Magos eo pervenisse, planum fit ex eo, quod Herodes regem futurum metuens ex stirpe Davidis, infantes conquiri ac mactari mandavit[6]). Cum autem caedes impuberum postularetur, omnes senatores stirpis regiae ac reliquos praeter[7]) Semeam interfecit[8]). Itaque Josephus, ut Lucas[9]) scribit, in somniis admonitus puellum in Aegyptum traduxit, ut illud ex oraculo veteri conveniret[10]): Ex Aegypto vocavi filium meum.

SALOMO: Oseas propheta hoc loco non futura denunciat, sed res duorum annorum millibus ante gestas, quam Christus nasceretur, scilicet Israëlem ad avitas majorum sedes Deum arcessere voluisse. Sic enim appellatur in sacris litteris: Primogenitus filius meus Israel[11]). Quanquam absurdum est, ut praenotionem sequatur res futura, quia praedictum sit, sed prospicitur ac praedicitur[12]), quia futurum est, ut Julianus Augustus Galilaeis ac Celsus Christianis saepissime objecerunt.

CURTIUS: Jam pridem haec omnia veterum haereticorum sophismata fregit autoritas Augustini, Hieronymi, Theophili, Chrysostomi, Cyrilli, ut nulla ratione possit evangelicae veritatis clarissima lux talium argutiarum caligine obscurari. At vero[13]) facilius est, stellam ad reges deducendos creari, quam solis et lunae cursum Josuae imperatoris arbitrio sisti.

SALOMO: Scriptae quidem veteris Testamenti tabulae certissimae sunt, certissima illarum testimonia, non modo Hebraeorum, sed etiam Christianorum et Ismaëlitarum summa consensione, sed evangelicis libris, quos Hebraei et Ismaëlitae merito rejiciunt, quae fides esse potest?[14])

---

1) Alibi: arbitror. 2) Addit alius: aëris. 3) Addit alius: Sed. 4) Alius: qui fieri potest. 5) Ut Tobiam et Habacuc per angelos deduxit. 6) Alii: mandaverit. 7) Alibi: propter. 8) Josephus de bello jud. l. IV. 9) Errat autor; scribit enim hoc Matthaeus 2, 12. 10) Oseae 11, 1 (Matth. 2, 15). 11) Exodi 4, 22. Jerem. 31, 9. 12) Alibi: praedicatur. 13) Alius: Et. 14) Alibi: possit.

CORONAEUS: Si evangelica testimonia rejicitis, perinde est, ut si principia scientiarum negaretis, sine quibus ne geometris quidem ulla demonstratio constabit.

OCTAVIUS: Principia scientiarum seu postulata omnibus omnium sensibus patent et animis imperitorum perspicua sunt; sed haec, quae contra naturam fiunt, quibusnam principiis niti possunt?[1]) quanquam evangeliorum scriptores tot ac tam multis locis a se ipsis dissident[2]), ut infinitum sit, ea persequi. At quod verum sit, plus uno esse non potest, caetera igitur falsa sunt. Sic enim Augustinus: Si scriptura, inquit, non continet ineffabilem veritatem et aliqua sui parte falsa reperitur, non est in ea certa[3]) fides, ut ei credatur, sed propter falsitatem una sui parte compertam tota suspecta habetur. Quum etiam in rebus ac rationibus hominum inter homines distrahendis, tabula[4]), quae una sui parte falsum continet, omnino rejicitur.

CURTIUS: Tantum abest, ut scriptores evangelici[5]) dissideant inter se, ut ex ipsorum concordia sacrae scripturae veritas eruatur. Si quaeris, inquit Ambrosius, quid Matthaeus scripserit? id quod Lucas, Marcus, Johannes. Quid Lucas? id quod Marcus, Johannes, Matthaeus. Quid Marcus? id quod Johannes, Matthaeus, Lucas. Quid Johannes? id quod Marcus, Matthaeus, Lucas, ut nullus tam sui similis sit, quam omnes omnium. Si quid est, inquit Augustinus[6]) quod repugnare videatur, nihil aliud, quam mendosum codicem, vel interpretem non satis assecutum, vel quod scriptum est, non percipi judico[7]). Idem Chrysostomi judicium de sacris scripturis fuisse videmus. Sed quemadmodum dementes putant, et solem geminum et triplices se ostendere Thebas, et imperiti rectos coelestium orbium cursus errare arbitrantur, cum tamen ipsi densissima caligine obruantur, sic quoque accidit iis, qui a recta via deflexerunt, ut[8]) alios aestiment errare.

OCTAVIUS: Quaenam evangeliorum et novarum tabularum tanta esse potest convenientia, quantam esse existimas? Cum Julianus imperator, si qui transfuga usurpatur[9]), nullum majus ad refellendos Christianos argumentum haberet, quam quod doceret, libros eorum plenos esse τῶν ἀντικειμένων, quam reprehensionem ut effugerent Christiani, decreverunt[10]) evangelia quatuor tantum probare, caetera omnia repudiare. Nam ex libro, qui inscribitur orthodoxographia et ex ipsius Originis, Epiphanii, Hieronymi, Ambrosii auctoritate colligimus, quindecim evangelia sacra, scilicet evangelium secundum Marcum, secundum Paulum, secundum Basilidem, secundum Matthaeum, secundum Bartholomaeum, secundum Lucam, secundum Thomam, secundum

1) Alibi: possint. 2) Alius: dissentiant. 3) Alibi: certe. 4) Alius: tabulae ..... continent ..... rejiciuntur. 5) Alii: scripta evangelica, vel: scripturae evangelicae. 6) Ep. 9 ad Hieron. hom. 1 in Genes. 7) Alibi: judicio. 8) Alibi: alios existiment aberrare. 9) Alius: appellatur. 10) Apud Cyrillum libro contra Galilaeos.

Nicodemum, secundum Johannem, secundum Matthiam, secundum Cerinthum, secundum Hebraeos, secundum Aegyptios, secundum Nazaraeos, secundum omnes apostolos. Idem acta S. Andreae [1]). Si tot evangelia vera exstitissent, minime rejicienda fuerunt; sin falsa aut inter se discrepantia, quaenam fides his aut illis habeatur? cum omnes hos [2]) autores inter divinos, praeter Cerinthum et Basilidem, relatos videamus a Christianis? Si mendacii et impietatis convicti, cur pro divis coluntur [3])? Si veraces ac sancti, cur eorum scripta ut falsa [4]) rejiciuntur?

SENAMUS: Ismaëlitas prudentius in hoc genere sibi consuluisse videmus, quam Christianos. Cum enim plures libri lectionum varietate inter se discreparent, Calipha quidam [5]) pontifex, Asiae maximus, coactis in urbe Damasco theologis ducentis, sacros libros collegit praeter Alcoranum, quibus ducentos camelos onustos fuisse legimus, ex quibus sex theologi concordibus sententiis totidem libros in unum volumen collegerunt, quod Zuna vocant, unde liber florum selectus est, ac ne quid addi aut adimi posset in posterum, caeteros omnes praeter emendatum dejici mandavit in lacum Damascenum, capitali poena subjecta, si uspiam alius quam ab exemplari vel ab exemplo Archetypi descriptus haberetur. Quo quidem arcano stabiliendae religionis haud scio an ullum majus habuerint pontifices Agarenorum. Alcorani vero, qui manibus teritur, Merbam filium Itha, quem auctorem esse plerique putant, qui etiam dicitur Elgah, sententias octoginta [6]) de Alcorano vero detraxisse, ac totidem subjecit. Primus autem ordine [7]) Homari successor recollegit ac distinxit Alcorani [8]) Azoras, qui propterea Alphurcanus in distinctione dici coepit. Ac ne humano consilio conscriptus videretur, Deum Azorae primum auctorem ciere et a Gabriele Muhammedi datum et carmine scriptum asserere non dubitarunt. Ac ne quid de litteris detraheretur, posteri typis excudi sanctissime vetuerunt. Quod edictum tanta severitate executum, ut cum mercator quidam civitatis hujus Alcoranum in hac urbe excudi et Constantinopolim transvehi curavisset, capitis postulatus sit; ac nisi legatus Venetorum, qui cum principe Turcarum societatis foedere conjuncti sunt, imperitiam typographi excusavisset, quoniam infinitis erroribus scatebat, supplicio capitali addictus fuisset, nec tamen aliter evasit, quam libris omnibus exustis et dextra manu truncata.

FRIDERICUS: Cum igitur Alcoranus ille non sit Muhammedis, cui non tantum ab re sua otii erat, ut carmine scriberet leges divinas, sed merae fictae fabulae vel potius rhapsodia metrica, id enim proprie vox arabica Coran significare dicitur, cur tantae auctoritatis est apud Agarenos?

OCTAVIUS: Non video, cur alterius, quam Muhammedis Alcoranus

---

1) Apud Epiphanium in l. contra haereticos. 2) Alibi: hi. 3) Alibi: colunt. 4) Desunt alibi haec duo verba. 5) Alibi: quidem. 6) Alius: octingenta quinque. 7) Alibi: ordinis. 8) Alius: Alcoranum in.

dici debeat, quod [1]) ab erroribus librariorum repurgatus, aut versibus scriptus sit, cum veteres fere legislatores omnia versibus scriberent, ne quid facile addi aut detrahi posset. Sic enim Draco, Solon, Terpander, Decemviri legum ferendarum, qui leges duodecim tabularum tulerunt, quas Tullius appellat carmina duodecim, ut ab omnibus etiam facilitate majore memoriae commendarentur et cum voluptate canerentur. Est enim carmen a canendo dictum. Quin etiam historia primis temporibus et physica versibus scribi consueverunt, ut Orphei, Hesiodi, Lini, Musaei, Parmenidis, Homeri, Empedoclis, Xenophontis [2]), Pherecydis, Thaletis, Davidis, Sibyllarum, Appollinis dicta versibus continentur ac potissimum divinae laudes. Ac tametsi Moses [3]) unus ex omnibus legislatoribus oratione numeris soluta [4]) scripserit, ne rerum gravissimarum pondera numeris inservirent, cantica tamen omnia carminibus usurpavit.

CURTIUS: Quia fabulae, quo gratiores sint, versibus scribi solent, liceat [5]) Muhammedi fabulas versibus conscribere et uno tantum volumine complecti, ne sibi contrarius unquam [6]) esse possit, evangelica vero et rerum a Christo gestarum fides nec versibus scribi decuit, nec ab uno, sed a pluribus. Atque utinam evangelia secundum omnes apostolos et eadem evangelia, quae modo commemoravit Octavius: secundum Aegyptios, secundum Thomam, cui quod incredulus esset, fidem sensibus ipsis fieri oportuit, secundum Nicodemum, secundum Matthiam, secundum Nazaraeos exstarent, ut veritas magis ac magis eluceret et eadem omnium, quae semper fuit, evangelistarum congruentia perciperetur.

SALOMO: Si quatuor tantum evangelistarum inter ipsos congruitas conciliari nullo modo potest a theologis christianis, quantam fore putatis, si quindecim illa, quae dixistis, evangelia exstarent? Nam qui harmonias evangeliorum scripserunt [7]), non minus discrepant, quam voces quatuor, quae harmoniam nullam efficerent [8]), nisi contrariae essent.

CURTIUS: Saepe videmus falsa veris tanta similitudine convincta, ut nulla sit imperitis assentiendi aut dissentiendi nota, acutius tamen intuenti nihil in sacris litteris dissentaneum videbitur.

SALOMO: Veterum quidem instrumenta tabularum [9]) nihil a se discrepant, sed novis tabularum legibus [10]) ita repugnant, ut raro similia utriusque loca reperiantur. Novarum autem tabularum inter ipsas discordia primo cuique intuenti facile perspicitur ac, ne singulos singulis conteramus, ne unus quidem sibi ipsi convenit de rebus iisdem scribenti aut eandem historiam bis

1) Alibi: qui. 2) Alibi: Xenophanis. 3) Deuter. 33. Exod. 14. Psalm. 90, qui est Mosis. 4) Alibi: orationem numeris solutis. 5) Alibi: libuit. 6) Alibi: usquam. 7) Calvinus et Gabriel a Puteo in Tentamine *). Carolus Molinaeus. 8) Alibi: efficiunt. 9) Alii: Veteris quidem instrumenti tabulae. 10) Alii: Novi Testamenti libris.

*) Tetrameno.

repetenti [1]). Nam Lucas [2]) Pauli comites attonitos ipsius casu stetisse scribit, neminem tamen videntes, sed solam hanc vocem audientes: Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris [3]). Idem paulo post comites Pauli coruscam lucem vidisse, nullam tamen vocem audivisse scribit. Quae loca nulli adhuc interpretum [4]) conciliari potuerunt.

CURTIUS: Actiones apostolorum graeca lingua scriptae sunt, dictionum autem φῶς et φωνή i. e. lucis et vocis affinitas efficere potuit, ut scriptorum [5]) incuria, qui ab archetypo descripserant, facile alterum alterius loco usurparint, ut veteribus Graecis contigit, Apollinis oraculum male interpretantibus, cum lucem h. e. φῶς sibi placere diceret, ipsi φὼς dici putarunt ὀξυτόνως i. e. hominem, unde [6]) mos mactandorum hominum apud Graecos dicitur inolevisse.

SENAMUS: Mirabile mihi videretur, si in tanta scriptorum varietate ac sectarum, quanta fuit primordio nascentis reipublicae christianae atque adeo in ipsis ecclesiae rudimentis, nihil in apostolorum ac discipulorum scriptis dissentaneum reperiretur, cum Epiphanius scribat, pontifices catholicos quaeri consuevisse, sacram scripturam ab Arianis [7]) depravari, ut [8]) Tertullianus [9]) acerbe quaestus est: Arianos contra praedicare, ab adversariis omnia evangelia scripta corrumpi. Quin etiam Origenes [10]) Marci evangelium erroris [11]) coarguere non dubitavit; Origenem autem Hieronymus ecclesiarum patriarcham ac lumen appellavit; ac Rufinus ipse in apologia Origenis scribit, Apellem et Marcionem jactare solitos, quam pluribus erroribus evangelia suo studio ac labore fuisse repurgata. Idem Marcio, Johannis apostoli comes et discipulus, actiones apostolorum, apocalypsin et epistolas Pauli, paucissimis quibusdam exceptis, ut suppositias rejiciebat, ut quidem [12]) Tertullianus [13]) scribit.

OCTAVIUS: Ob eam causam Ismaëlitae Novum Instrumentum penitus repudiant, ut a Christianorum veterum [14]) sectis plane corruptum. Tametsi multa peccantur etiam in historia, ut cum Zachariam filium Barachiae in templo caesum dixit Christus [15]), qui tamen caesus non est, sed Zacharias filius Jehojadae, pontifex maximus, qui annos circiter 400 antecessit Zachariam prophetam, cujus scripta exstant, qui filius Barachiae, filius Iddo appellatur, Haggaei prophetae aequalis [16]), qui cum Zorobabele postliminio Hierosolymam rediit, quo tempore templum nondum restaurari coeperat [17]). Alium quoque Zachariam filium Barachiae profert Jesaias [18]). Hic theologi

---

1) Alibi: in eadem historia bis repetita. 2) Actorum 9, 7. 22, 6. 3) Actor. 9, 5. 22, 8. 4) Alibi: interpretes. 5) Alius: scriptoris ..... descripserat. 6) Alibi: inde. 7) Alii: Arminianis. 8) Alibi: et. 9) De praescript. 10) Contra Celsum. 11) Deest in alio codice. 12) Alibi: idem. 13) In libro de praescript. 14) Alius: veteribus. 15) Matth. 23, 35. 16) Alius: filium Barachiae filii Jojadae appellant, Haggaei prophetae aequalem. 17) Zach. 1, 1. 7. Esrae 5, 1. 6, 14. 18) Errat autor et sine dubio scribere voluit: Esdra (Esdrae 8, 17).

conflictantur inter se, ut ea concilient, quae conciliari non possunt. Clemens Alexandrinus, qui ab aetate Christi proxime abfuit, Christum uno tantum anno conciones habuisse tradit. Epiphanius Clementem reprehendit ac duos annos concionatum testatur. Juniores annos quinque ex evangelicis scriptis enumerant [1]) a baptismo usque [2]) ad ejus supplicium. Tertullianus et Africanus anno trigesimo passum arbitrantur, alii quadragesimo, quos refellit Augustinus. Quaecunque autem de coena scripta sunt ab evangelistis, ruinam minantur, quoniam evangelistae omnes in eo consentiunt, mortuum fuisse Christum feria sexta hora nona, coenam vero paschalem ab eo factam feria septima incipiente, post solis occasum, ut semper fieri consueverat. Ut omittam, capitale fuisse, vetantibus legislatoribus [3]), aliter facere. Ex quo intelligitur, coenam paschalem Christum non fecisse nec si voluisset potuisse, cum die sexto ante solis ortum comprehensus ac luce sequente supplicio affectus sit. Nihilominus tamen in illo coenae instituendae ritu Christiani summam suae religionis ac salutis contineri putant. Item tradunt, Christum primo sabbathorum resurrexisse, eundem tamen tres dies totidemque noctes in sepulcro jacuisse. Sic theologi christiani non modo singuli a singulis, sed etiam omnes ab omnibus dissentiunt. Quos ut conciliaret Paulus Burgensis, genere Judaeus, feria quinta coenam paschalem fecisse scripsit, contra perspicua evangelistarum scripta. Inde mos inolevit in ecclesia Romana, coenam feria quinta recolere. Quae opinio non tantum testimonio evangelistarum, sed etiam efficacissimis argumentis refutatur a recentioribus [4]), qui agnum paschalem fecisse [5]) dicunt eo ipso die, quo cruci affixus [6]) est, anno 1. Olymp. 203. die 4. Aprilis, Luna 14. d. 6. Contra Mercator, historiarum ac temporum peritissimus, anno 4. Olymp. 202. die 13 Martii, feria 6. Lun. 15. mortuum tradit, Lucidus feria 6 Aprilis.

FRIDERICUS: Syllabarum aucupes et qui singulos apices nimis curiose consectantur, temporum ac lectionum infinitam varietatem ubique comperiunt. Sed qui lotis manibus et sincera mente accedunt, nihil dissentaneum vident. Quanquam quo anno, quo die, qua hora quaeque facta sint, nihil ad salutem.

OCTAVIUS: Haec igitur, quae leviora putantur, omittamus. Sed quonam modo excusari possit, quod apud Johannem legimus, quo tamen nihil esse gravius potest [7]), non video: T r e s s u n t, inquit [8]), i n c o e l o, q u i t e s t i m o n i u m p e r h i b e n t, P a t e r, V e r b u m e t S p i r i t u s s a n c t u s, e t h i t r e s u n u m s u n t. Hanc periodum antiquis omnibus exemplaribus interpretes gravissimi deesse quaeruntur, subjecta Cyrilli pontificis Hierosolymorum [9]) antiquissimi auctoritate.

---

1) Alibi: e m u n x e r u n t. 2) Deest u s q u e alibi. 3) Alius: s a c r a t i s l e g i b u s. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Exod. 12. Lev. 13. Num. 25. 4) Jos. Scaliger l. 6 de emend. temporum. 5) Alibi: e d i s s e. 6) Alius: c r u c i f i x u s. 7) p o s s i t. 8) Alibi: 1 Joh. 5, 7. 9) Alius: H i e r o s o l y m i t a n i.

FRIDERICUS: Desunt sane quibusdam exemplaribus, attamen Hispanus [1]) Codex eadem vocibus Graecis continet: Ὅτι τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατήρ, ὁ λόγος καὶ τὸ πνεῦμα, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι, quae catholicorum omnium consensu probantur.

OCTAVIUS: Quis putet, Cyrillum, Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum ac tam multos pontifices, cum Arianos refellerent, locum illum tanti ponderis ac momenti fuisse praetermissuros, cum levissimas quasque conjecturas, imo etiam syllabas et apices hujus argumenti consectari videamus? At ne Johannes quidem illius epistolae auctor id omissurus erat, cum ad evangelii scriptionem non prius accesserit, quam Cerinthus et Ebio Jesum nihil praeter hominem fuisse praedicarent, ut Epiphanius scribit.

FRIDERICUS: At illud est argumentum maximum, Johannem ea tam perspicue scripsisse, ut omnem praeciperet dubitandi occasionem.

SALOMO: Johannes, qui [2]) caeteros evangeliorum scriptores ut aquila dicitur superavisse, cum [3]) in multis sui oblitus videtur, tum in eo maxime, quod Jesum antequam moreretur ita loquentem inducit [4]): Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, filius hominis, qui est in [5]) coelo. At Jesus nondum in coelum ascenderat (si tamen ascendit), cum ne mortuus quidem esset.

CORONAEUS: Optimus quisque theologus [6]) sic interpretatur, ut utrique naturae simul tribuat, quod neutri seorsim conveniret. Alii duplicem ascensum fingunt, unum visibilem, alterum invisibilem, de quo agitur hoc loco.

TORALBA: At neque ascensus in coelum Deo convenit, neque homini.

CURTIUS: Utrique naturae convenit, quod seorsim alteri congruere non potest. Atque haec solutio latissime patet ad mirabiles Christi actiones, quae nec in hominem solum nec in Deum solum convenire possunt.

SALOMO: Idem Johannes Jesum ita loquentem inducit [7]): Si testimonium perhibeo [8]) de me, testimonium meum non est verum. Alibi [9]) tamen plane contrarium affirmat: Dum si testimonium, inquit, perhibeo de me ipso, testimonium meum est verum, quia scio, unde veni. Item de Christo scribens [10]): Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Cur suam appellat, si alterius est? Nam in eo ipso omnem deitatem [11]) a se abjecisse videtur.

CURTIUS: Alia fuit oratio Christi ad apostolos, alia fuit ad Scribas et Pharisaeos, qui sua dicta criminari consueverant, apud quos nihil aliud se quam hominem, i. e, phrasi Hebraea et Graeca τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου pro-

1) Alibi: Hispanicus. 2) Alibi: quidem. 3) Alius: tamen. 4) Joh. 3, 13. 5) Alibi: de. 6) Calvinus in harmon. 7) Joh. 8, 14. 8) Alibi: perhiberem. 9) Joh. 5, 31. 10) Joh. 7, 6. 11) Alibi: divinitatem.

fitetur, at in coetu apostolorum aperte se Dei filium esse et ab eo venisse affirmavit.

SALOMO: Idem Johannes [1]): Is super quem videtis spiritum descendere, is est baptisatus a spiritu sancto. At Matthaeus bene ac [2]) penitus Jesum Johanni Baptistae fuisse cognitum scribit his verbis [3]): Quin potius abs te baptizari debeo.

FRIDERICUS: Cognitus quidem erat Jesus ut propheta, non autem ut aeternus Dei filius, quia nondum audita Dei vox erat: Tu es filius meus dilectus.

SALOMO: Sed quoniam utriusque [4]) Johannis mentio incidit, jure mirantur [5]) etiam theologi christiani, quamobrem Lucas introduxerit Elisabetham colloquentem cum Maria, quasi [6]) foetum, quem utero gestabat, senserit eodem visitationis illius momento, cum tamen ante visitationem natus esset Johannes? Hanc absurditatem ut Graeci declinarent, visitationis illius diem fastis exemerunt, sed eo die festum colunt venerandae vestis Mariae virginis, in plachernis [7]) Syri vero et Graecos et Latinos aberrare praedicant ac propterea visitationis festum diebus septem ante Johannis Baptistae et hujus ante Christi natalem diebus septem collocarunt.

CURTIUS: Quasi vero dies feriarum, quas colimus, nondum institutos tam curiose veteres consectarentur!

OCTAVIUS: Gravius illud est, quod Johannes scribit [8]), Christum prius afflavisse apostolos spiritu sancto, quam ascenderet in coelum, qui tamen obtestatur, spiritum non [9]) venturum, nisi abiret ad patrem [10]).

FRIDERICUS: Hoc ita scriptum est, ut intelligamus spiritum a patre et filio prodire [11]), contra Graecorum opinionem.

SALOMO: Solutiones istas non moror, sed miror apostolos toties ac tam saepe labi, cum prophetas testes arcessere consueverunt, ut cum Matthaeus scribit, Christum triginta nummis argenteis divenditum fuisse [12]), ut prophetia Jeremiae [13]) impleretur: Appretiaverunt, inquit, pretium meum triginta argenteis, quae verba nec apud Jeremiam, nec apud ulles scriptores veteris instrumenti reperiuntur. Item, ut Messiam Deum [14]) de ligno suspensum iri docerent, illud ex psalmis corripuerunt [15]): Dicite in gentibus, regnavit a ligno Deus, ut quidem Justinus Martyr, Lactantius, Augustinus, Cassiodorus, Theodulphus, alii aliorum errorem secuti scripserunt, quae verba „a ligno“ Ebraeis, Chaldaicis, Graecis ac Latinis interpretationibus veterum deesse videmus, non modo in libris [16]) psalmorum,

---

1) Joh. 1, 33. 2) Deest alibi; loco verborum bene penitus alii legunt: ante. 3) Matth. 3, 14. 4) Alibi: utrinque. 5) Alius: merentur. 6) Alius: sicut. 7) Alius: glachemis. 8) Joh. 20, 22. 9) Loco duorum horum verborum alibi legitur: non prius. 10) Joh. cap. 14 et 15. 11) Alibi: procedere. 12) Matth. 27, 9. 13) Non Jeremiae, sed potius Zach. 11, 13. 14) Alibi: ducem. 15) Ps. 96 (95), 3 sq. 16) Alibi: libro.

verum etiam in libris Paraleipomenon. Sic enim Ebraica legimus: אִמְרוּ בַגּוֹיִם יְהוָה מָלָךְ, quae LXXII sic reddunt: εἴπατε ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὅτι κύριος ἐβασίλευσε, i. e. dicite in gentibus, Deus regnavit. Jam vero miracula stupenda sunt a Johanne [1]) descripta, quae a reliquis praetermitti capitale videri possit, ut cum milites praetoriani Jesum comprehendere conarentur, sola illius voce perterritos ac retrolapsos corruisse. Item Lazari resurrectionem tam stupendam solius Johannis [2]) testimonio niti videmus, cum caeteri levissimas etiam febrium curationes denotarint.

CORONAEUS: Nec ab omnibus omnia scribi potuerunt, cum nec omnes evangeliographi rebus gestis adesse, nec si affuissent scriptis omnia complecti, nec si omnia scriptis mandarent, mundus ea capere potuisset, ut Johannes ipse scribit, sed ea quae ab aliis vel omissa, vel obscurius dicta erant, recognovit, cum postremus omnium ad scribendum accesserit et ab ipsa deitate Christi auspicatus fuerit eo tempore, quo Cerinthus et Ebio Χριστὸν εἶναι φίλον ἄνθρωπον praedicarent: Tum, inquit Epiphanius, Johannes coepit εὐαγγελίζεσθαι.

SALOMO: Non capio, quae deitas in Christo esse potuerit, nam si post baptismum spiritu sancto afflari coepit, ut quidem Lucas [3]) asseruit, quonam modo a daemonibus agitatus est, ut modo supra pinnaculum templi, mox in montem altissimum subvectus sit? Consimile est illud, quod Johannes tradit, Judam apostolum accepto Christi corpore in coena, eodem momento a cacodaemonibus correptum fuisse [4]). At in eodem homine bonus et malus daemon simul stare non potuit. Nam cum Saul a Samuele rex est initiatus et unctus, ab angelo beari et afflari coepit. Et postquam Dei jussa sprevisset, desertus ab angelo coepit a cacodaemone agitari [5]). Jam vero cur tantum anno trigesimo Christus coepit afflari spiritu sancto? Nam ex eo planum est, antea spiritu sancto caruisse, quem tamen Deum fuisse affirmant.

CURTIUS: Utrumque stare potest, simul a bono daemone eundem agitari posse [6]) et cacodaemonem eundem exerceri [7]) posse. Argumento sit, quod Jobus, mortalium integerrimus, cum a malo genio torqueretur, non propterea tamen a bono genio desertus, sed ad breve tempus facta est potestas ejus vexandi Satanae, principi mundi hujus, ut probaretur.

SALOMO: Quid divina potestate alienius, quam Deum agitari a daemone? Quid item absurdius aut capitalius, quam appellare Satanam principem mundi hujus, ut Jesus loquutus [8]), vel aëris hujus, ut Paulus [9]) scribit. Hic enim Manichaeorum perniciosissimus [10]) error, qui Satanam rerum elementarium et corporum principem efficere tentarunt. Angeli quidem

---

1) Joh. 16. 2) Joh. 11. 3) Luc. 4, 36. 4) Joh. 13, 17. 5) 1 Sam. 12. 14. 6) Alibi: fuisse. 7) Alibi: excoecari. 8) Joh. 14, 30. 16, 33. 9) Ephes. 6, 11. 10) Alibi: perniciosus.

provinciarum principes ac urbium custodes et praefecti dicuntur in scriptura sacra [1]), Satan [2]) vero carnifex eorum et minister.

CURTIUS: Quando spiritum sanctum legimus Christum afflavisse post baptismum, non eo pertinet, ut eum [3]) antea ipso caruisse putemus, cum ipse Deus esset, sed quia tum maxime virtus divina, quae antea humanitatis specie contenta delituerat, foras prodire coepit et actionibus plane divinis implicari.

SALOMO: Si spiritu sancto ita caruisset, ut putatur, cur his verbis uteretur: Spiritus sanctus, cum venerit, docebit vos omnia [4])? Ex quo [5]) intelligitur, ea quae spiritui sancto nota erant, illi fuisse ignota, aut ea noluisse [6]) aut non potuisse carissimos discipulos docere, quae in Deum nullo modo convenire possunt.

CORONAEUS: At in eo ipso Christi deitas elucet, qui tametsi apostolos summa caritate complecteretur, eaque [7]) doceret, quae pro illorum captu percipi poterant; arcana tamen diviniora ac sublimiora, nisi Deus illos spiritu suo afflavisset, non magis intelligi [8]), quam colores sine luce videri potuissent. Hoc igitur beneficium distulit post suam in coelum ascensionem. Atque illud est, quod rex Salomo eleganti allegoria fingit de amica interpellante Amasium, i. e. de mente sapientiae avidissima: Trahe me, inquit [9]), post te et curremus. Ita Christus non obscure aut ambigue, sed aperte dixit: Nemo venit ad me, nisi pater traxerit illum [10]).

SALOMO: Nisi evangelia magna vi distorqueantur, negari non potest, Christum multa ignorasse: Diem, inquit ille [11]), et horam judicii, ne angeli quidem sciunt, sed pater ipse solus, ac propterea spiritum Christi diviniorem coelitus evocandum fuisse. Si Jesus erat ipsissima patris aeterni sapientia, qui fieri potuit, ut aliquid ignoraret, cum ignorationem theologi ab originis sordibus ac peccatis derivari putent?

FRIDERICUS: Haec ambiguitas bifariam dilui potest [12]), scilicet filium nescivisse judicii diem, ut evulgaret: aliud enim est nescire negative, aliud ignorare privative, ut scholasticis verbis utamur, vel quatenus homo nescivit, non quatenus Deus. Quo pertinent illa [13]): Proficiebat aetate ac sapientia. Item [14]) didicit per ea, quae passus est, quae ad mentem humanam referuntur. Neque tamen Ambrosii sententia probatur, qua secundum carnem scientia et sapientia impleri coepisse scribit.

SALOMO: Fames, sitis, dolor, tristitia, metus, formido, consternatio, quibus Christus conflictabatur, corpori et animae inferiori communia sunt, quae tametsi aliena a sapienti a forti viro dicantur, hûmana tamen esse [15])

---

1) Dan. X., 12. 2) Alii: Satanas. 3) Alibi: illum. 4) Joh. 14, 26. 5) Alius: eo. 6) Alibi: non voluisse. 7) Alius: eosque. 8) Alibi: intelligere ..... videre. 9) Cant. 1, 3. 10) Joh. VI., 44. 11) Matth. 24, 36. 12) Cyrill. l. 9. Thess. cap. IV. 13) Luc. 2, 44. 14) Hebr. 13. 15) Alibi: ei.

fatemur, quia corporis contagionem quandam cum anima inferiore significant. Sed scientia, prudentia, sapientia mentis solius propria sunt, quae mens, si divinitati conjuncta fuit, nihil potuit ignorare, tametsi affectiones humanas illi tribuunt, ejusmodi, ut nullum nisi voluntarium fuerit perpessus, quod quidem si verum esset, quorsum diceret: *Anima mea turbata est?* [1]) Cur item in horto supplicia deprecanti sudores sanguinis aqua despersi [2]) diffluerent? cur in haec verba prorumperet [3]): *Pater! si fieri potest?* An illa Dei vox est? num potius hominis dolore et desperatione fracti? Quid extrema illa declamatio [4]): *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Nonne [5]) satis significant hominis abjectissimi vocem et alium a se Deum confitentis?

TORALBA: Cum Zeno Eleates et Anaxarchus [6]), variis uterque temporibus, in mortario malleis ferreis tyrannorum jussu tunderentur, magno ac forti animo dolores acerbissimos pertulerunt, atque etiam verborum [7]) majestate crudelitates omnes aspernati superaverunt. Quis igitur Christum, quem totius [8]) divinae sapientiae fontem appellant, tam abjecti et fracti animi fuisse arbitratur?

SALOMO: Memorabilis est historia septem fratrum Ebraeorum apud Josephum περὶ αὐτοκράτορος λογιςμοῦ [9]), qui Antiochi crudelissimi tyranni jussu laceratis artubus cum flammis torquerentur, ne porcorum esu contaminati legem divinam violarent, non lacrymas, non suspiria ex intimo pectore duxisse aut vultum mutasse feruntur, sed invictum animi robur adversus omnia tormenta prae se tulisse.

TORALBA: Fuit igitur in Christo metus futurae mortis necessarius, aut non fuit metus, quia fingit metuere, qui volens metuit. Si non fuit metu mortis perterritus, cum tanto ardore et impetu exclamaret, certe metum simulavit, cum esset in ejus potestate, non metuere, non angi, non dolere, non mori, non cruciari et simulatione quadam inanes illas rogationes effudit, ut pater eum crudelissimo supplicio [10]) liberaret, cum nihil pateretur.

CORONAEUS: Non simulatione fictus, sed erat verus [11]) metus, verus cruciatus, verus dolor, vera mors, alioquin tot loca scripturae de acerbissimis Christi doloribus, morte, cruciatu pro generis humani salute falsa fuisse fateremur, quasi nihil hominis habuisset Christus, si tum nihil pateretur: *Sed tamen oblatus est*, inquit David, *quia voluit.*

CURTIUS: In eo tantum quaestio vertitur, an vero metu conflictaretur, an omnino metu vacaret? Metu caruisse putant plerique. Sic enim Paulus [12]): *Cum in diebus carnis suae precationes et supplicia omnes funderet ad* [13]) *illum, qui a morte servare poterat, cum cla-*

---

1) Matth. 26, 38 sqb. 2) Alibi: *respersi.* 3) Alibi: *erumperet.* 4) Matth. 27, 46. 5) Alius: *Num.* 6) Diog. Laertius in vitis philosophorum. 7) Alius addit: *magnanimitate* 8) Alibi: *toties.* 9) 4 Maccab. 7, 6 sqq. (cf. Euseb. hist. eccles. 3, 10). [N.] 10) Alibi: *cruciatu.* 11) Alibi: *vere.* 12) Ebr, V, 7 sq. 13) Alibi: *apud.*

more valido et lacrymis, exauditus est a metu. Sic enim illa verba; ἀπὸ εὐλαβείας interpretantur [1]), ex Ebraica phrasi [2]) et praepositione מן. Est enim epistola hebraice primum scripta.

SALOMO: Certe cruciatum deprecabatur et mortem his verbis [3]): Si fieri potest, transeat a me calix iste, i. e. cruciatus et mors ipsa cruciatum secuta. Si est exauditus, sine cruciatu et morte supplicium evasit, si dolorem sentit ac mortem, non est exauditus.

OCTAVIUS: Ismaëlitae exauditum fuisse constanter affirmant ac Dei bonitate hostium manibus ereptum, ex Alcorani Azora secunda, Simeonem vero quendam cruci affixum. In qua sententia legimus Hilarium [4]), Simeonem magum, Celsum, Marcionem, qui fatentur quidem cruci affixum, nullos tamen pertulisse dolores. Habuit Christus, inquit Hilarius, ad patiendum corpus idoneum, sed non ad dolendum, ut telum, ignem et aquam penetrans. At neque Christiani, neque Ismaëlitae Christum probant habuisse corpus ἀλλοειδὲς [5]) καὶ φανταστικόν, neque enim verus homo fuisset, si spectri corpus impatibile ei fuisset.

FRIDERICUS: Illud quidem est Mahummedis teterrimi perniciosissimum figmentum, scilicet Christum supplicio mortis ereptum, ne homines in Christi veri Dei ac hominis morte salutari fiduciam ac spem collocarent. Oporteret enim omnia omnium [6]) sanctorum scripta una littera inducere. Mortuus est, inquit Paulus [7]), propter scelera nostra et resurrexit propter justificationem nostram. Mortalem fuisse quis ambigere potest, qui hominem fuisse fateatur? At enim resurgens verum corpus recepit. Itaque tum apostolis se contuendum praebens, ut verum corpus esse doceret: Spiritus, inquit [8]); carnem et ossa non habet, contrectate, videte loca clavorum et vulnerum cicatrices.

OCTAVIUS: Celsus is, qui septem libros contra [9]) Christianos effudit [10]), Christi resurrectionem plane similem dicebat resurrectioni Cleomedis Astypalaei, quem ex Apollinis oraculo resurrexisse veteres scripserunt, nec postea in sepulcro repertum. Idem Celsus [11]) valde absurdum sibi videri scribit, quod unius meretricis testimonio resurrexisse credatur is, qui pridie populis spectantibus in cruce mortuus erat.

FRIDERICUS: Celsum Epicureum fuisse constat; nulla autem est pietatis nota melior, quam ab Epicureis irrideri.

SENAMUS: Si ex utero Christus conclusa vulva prodiit in lucem, ut omnes Christiani fatentur, si adversariis illum lapidare cupientibus disparuit, ut est apud Johannem capite octavo, si aedibus conclusis in coetu discipulo-

---

1) Beza in cap. V ad Ebraeos. 2) Alius: voce. 3) Matth. 26, 39. 4) Lib. 1 et 10 de trinitate. Epiphan. contra haereses. 5) In codicibus false: αὐγοειδές. 6) Deest alibi. 7) Rom. V, 6. 8. 8) Luc. XXIV, 39. 9) Alibi: adversus. 10) Origenes l. 3 contra Celsum. 11) Orig. c. Celsum. Lib. III.

rum visus est [1]) ac saepius hominum obtutum ut Gyges effugit, si maria sicco pede calcavit, profecto spectrum fuisse aut inane corpus habuisse fatendum est, quia verum corpus sive osseum sive aëreum nullam penetrationem admittit.

SALOMO: Demus illud, corpora corporum nullam penetrationem pati, videmus tamen angelos veris corporibus assumtis, imo et sortilegos transvectos saepius apparuisse ac disparuisse, saepe quoque aquis subvectos nullis voraginibus immergi potuisse, ut judicibus omnibus compertum est, eos tamen veris corporibus indutos constat. Ita quoque Jesum verum corpus habuisse et cruciatus acerbissimos ipsiusque mortis duritatem cum dolore pertulisse confitendum est. Sed illud me angit, cur mortis et supplicii veniam tam ardenti supplicatione flagitaret is, qui si Deus esset, nullo negotio a se impetrare potuisset?

CURTIUS: Ut omnes intelligerent, Christum non modo Deum verum, sed [2]) etiam hominem verum esse, nec utramque naturam in eo fuisse confusam.

OCTAVIUS: Ismaëlitae constanter negant, Christum deitatem sibi arrogavisse. Nec rapinam, inquit Paulus [3]), arbitratus se esse aequalem Deo. Atque ejus rei sempiterna testimonia in evangeliis exstare videmus. Cum enim quidam Christum compellaret his verbis [4]): Magister bone! Tum ille: Cur me, inquit, dicis bonum, cum nemo bonus sit nisi unus Deus? Hic non modo deitatem procul a se rejecit, verum [5]) etiam peccatorem se confitetur. Item, cum rogaretur, cur se Dei filium appellaret, reposuit illud [6]): Nonne scriptum est: Ego dixi, Dii estis et filii excelsi omnes? Item illud: Vado ad patrem meum et ad patrem vestrum. Nec satis habuit, se cum caeteris hominibus eadem originis societate conjugare, verum etiam cum caeteris Deum unum agnoscere omnium communem, nec modo illud, sed etiam sui reditus causam subjiciens. Quia pater, inquit [7]), major me est. Quo loco Tertullianus contra Praxeam: Pater, inquit, alius est a filio quia major. Item illud [8]): Haec est vita aeterna, ut cognoscant, te unum Deum verum et quem misisti, Jesum Christum. Hic omnem omnino divinitatem exuit, ut acutissimis [9]) quibusque [10]) theologis placet. Item [11]): Qui in me credit, non in me credit, sed in eum, qui misit me. Item: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Item: Pater, quia hoc abscondidisti sapientibus [12]). Paulus vero locis omnibus Christum appellat dominum, sed a Dei appellatione semper segregans: Benedictus, inquit [13]) Deus domini nostri Jesu Christi, et cum de

---

1) Marc. 16. Luc. 14. Joh. 21. 2) Alibi: verum. 3) Phil. II, 6. 4) Marc. X, 17. Lucae XVIII, 18. 5) Alibi: veram. 6) Joh. 10, 34 sq. 7) Joh. 14, 28. 8) Joh. XVII, 3. 9) Calvinus: Cap. XX Joh. 10) Alibi: quibusdam. 11) Joh. 12, 44. 12) Matth. 11, 27. 13) 2 Cor. 1, 3.

Christo multa scripsisset ad Timotheum, subjicit haec verba adversante particula [1]): Regi autem seculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria! Item: Unus est dominus. unum baptisma, una fides, unus Deus [2]). Item appellat Christum imaginem Dei [3]), ut Moses initio libri originum hominem ad imaginem Dei conditum scribit: res autem ab imagine tota natura differt. Item [4]): Deus autem pacis, qui reduxit a mortuis dominum nostrum Jesum Christum. Item [5]): Gratia in vobis [6]) augeatur per agnitionem Dei et Jesu domini nostri. Item [7]): Unus est Deus, ex quo omnia, et unus Christus, per quem omnia. Item [8]): Sciat omnis ecclesia, quod Christum hunc Jesum facit Deus. Item: Qui custodiunt mandata Dei et fidem Jesu [9]). Vox autem domini nihil aliud Ebraeis quam doctorem [10]), paedagogum ac magistrum significat. Itaque Lucianus [11]), Christianam religionem professus, Christum μέγαν σοφιστὴν honoris causa vocat, ut Plato Protagoram.

CURTIUS: Quid mirum, si Lucianus Atheorum ter [12]) maximus Christo, quem turpiter ac impie ejuraverat, deitatem eripere conatur? Qui autem Christum a Paulo [13]) Dominum tantum, non etiam Deum, appellari ajunt, illud opinor non legerunt: Ex Judaeis est Christus, quantum quidem ad carnem, qui est in omnibus Deus laudandus.

OCTAVIUS: Haec verba antiquis exemplaribus defuisse testantur Cyrilli et Epiphanii scripta, ut illud: Petra autem erat Christus; et infinita prope loca, quorum partem maximam Epiphanius denotavit. Sed qui fieri posset, ut qui sit Deus, alteri sapientiam, sanctitatem acceptam ferat: Pater, inquit, clarifica filium! [14])

FRIDERICUS: Bona fide, Octavi, caetera subjungere oportet: clarifica filium claritate, quam habuit prius quam mundus hic fieret! Quis autem exstitit prius quam mundus hic fieret, nisi Deus ipse? Hoc igitur loco superiora facile diluuntur, quae tamen veteres ad personarum distinctionem traxerunt.

OCTAVIUS: Sed juniores theologi veterum dicta refutant, cujusmodi est illud: principium qui et loquor vobis; quod veteres ad deitatem referri putant oportere. Et illa Jesaiae verba: generationem ejus quis enarrabit? [15]) Quae veteres ad deitatem pertinere tradunt. Apertioribus, inquit Calvinus [16]), scripturae locis contentos esse oportuit, ne se Judaeis deridendos praeberent. Exceptio enim erat in promtu, prophetam de Christo non cogitasse. Idem, quod Petri concionem refellit, qui haec verba [17]): Exci-

---

1) Timoth. 6, 15 sq. 2) Eph. 4, 5. 3) Col. 1, 15. 4) 1 Petri 1, 2. 5) 2 Petri 3, 18. 6) Alibi: nobis. 7) 1 Corinth. 8, 6. 8) Ephes. 3, 10. 9) Apocal. 14, 12. 10) רַב, רַבִּי, רַבּוּנִי 11) In Peregrino. 12) Alius: derisor. 13) Rom. 9, 3. 14) Matth. XX. Marc. X. Joh. V. 15) Jesaiae cap. 53, 8. 16) Calvinus in Joh. 5 et 8. 17) Deuteron. 18, 15. Act. 3, 23.

tabit Deus vobis prophetam de fratribus vestris, mei similem, ipsum audite, ad Christum pertinere diceret, qui cum Petrus Christum Mosi similem fuisse praedicat, illi eripit deitatem. Muhammedes vero legislator Deum ita loquentem inducit, Azora tertia: O Jesu Mariae fili, tu persuades hominibus, ut Dei loco te matremque tuam Deos habeant ac venerentur. Ad haec Jesus ita respondit: Absit a me, Deum esse mentiar, tu scis, me hominibus semper suasisse, ut te Deum meum et suum adorent.

FRIDERICUS: Aliud est, eripere Christo deitatem, aliud negare, Christum se pro Deo gessisse. Publice quidem Dei appellationem rejecit, apud suos autem quis et qualis esset aperte declaravit, sic tamen ut divinae illius majestatis decus humana imbecillitate ac specie vetaret. Sed cum multa de Christi deitate occurrant, tum vero duo gravissima ipsius Dei patris de coelo testificantis oracula exstant [1]): Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit, ipsum audite! Item illud [2]): Et clarificavi et clarificabo. Item illud Thomae clara voce confitentis [3]): Dominus meus et Deus meus! Nam utrumque in Christi persona conjunxit; quanquam testimonio Johannis ipsius, qui [4]) ab intimo Christi pectore divinam sapientiam expressit, nullum clarius esse potest. Sic enim [5]) auspicatur spiritus sanctus illud evangelium [6]): In principio erat verbum et verbum erat apud Deum et Deus erat verbum.

SALOMO: Tametsi ecclesia nihilo plus et certe minus apud nos ponderis habeat, quam apud Israëlitas, nihilominus ea quae Christiani firmissima putant divinitatis Christi fundamenta veteribus exemplaribus deesse videmus. Nam Epiphanius haec verba [7]): Audita est vox de coelo: tu es filius meus etc., Marcionis archetypo deesse scribit, et illud [8]): In Christi morte sol obscuratus est; item illud [9]): hodie mecum eris in paradiso; item illud [10]): Petra erat Christus; et illud: finis legis Christus, in salutem omni credenti [11]); item illud: Quaeritis viventem, resurrexit a mortuis et totum resurrectionis caput [12]). Item illud [13]): Ut sciatis, quod filius hominis potestatem habeat dimittendi peccata. Quid, ducenta circiter loca commemorem, quae Marcionis exemplari defuisse Epiphanius denotavit [14]).

CURTIUS: Si quid a Marcione haeresiarcha detruncatum, si quid ab Arianis detractum, addictum, mutatum, inversum, perversum, an propterea fides evangelicis scriptis deroganda venit? Nam ex eo maxime Christi deitas colligitur, inquit Theophylactus [15]), quod peccantibus ignovit, cum solius Dei sit proprium, crimen abolere.

---

1) Matth. 3, 17 et 17, 5. 2) Joh. 12, 28. 3) Joh. 20, 28. 4) Desiderantur haec octo sequentia verba in uno codice. 5) Alius: etiam de Christo Jesu. 6) Joh. 1, 1 sqq. 7) Matth. 3, 17. 17, 5. 8) Matth. 24, 29. 9) Luc. 23, 43. Caeterum desunt haec verba in uno codice. 10) 1 Corinth. 10, 4. (cf. Exod. 17, 6. Psalm. 78, 15 sq. 105, 41. Jesaiae 48, 21. Sapient. 11, 4). 11) Rom. 10, 4. 12) Coloss. 2, 16. 13) Matth. 9, 6. 14) Alibi: notavit. 15) Alius: Theophilus. (Theophylactus in cap. 1. Luc. Cypriani serm. de laps.

SALOMO: Illud quidem assentior, atque ita Dei propium esse, ut ne angelis quidem tanta sit ab Immortali tributa potestas, ut Rabbi Joseph notavit. De omnibus autem impietatis generibus, quae multa sunt, nullum detestabilius est, quam homini ab homine illud ignosci, quod in Deum peccatur [1]).

CURTIUS: At nihil saepius in sacris litteris occurrit, quam illa formula Christi in curatione languentium: Remittuntur tibi peccata tua [2]). Et cujus est, mundum judicare, nisi Dei solius proprium? At Christo mundi judicium datum esse constat. Quis igitur de illius deitate dubitare possit? Quae cum ita sint et cum omnia non modo argumenta, sed etiam argutiarum sophismata, divinis oraculis facillime diluantur, constanti ac stabili assensione Christi, veri Dei et hominis, divinitatem tot ac tam multis seculis confirmatam, sic teneamus oportet, ut nunquam nos a suscepta fide divelli patiamur.

CORONAEUS: Rectissime tu quidem, Curti, sed non satis est docuisse [3]), Christum verum Deum et hominem esse, ut nobis persuasum est, nisi intelligamus, quae qualisque sit unio utriusque naturae, quod sequenti disputationi relinquitur nobis asserendum.

Quibus dictis singuli, peracta solita [4]) gratiarum actione, discesserunt.

LIBER SEXTUS.

Die consequenti tardius solito convenerant, quoniam dies erat Veneris jejunio sancta, qua non nisi semel cibum capiebat Coronaei domus. Qui tametsi frugalissime viveret propter jejunium, diutius tamen aliquanto prandium protraxerat, ut mihi [5]) tragoediam coeptam perlegere licuerit ad extremum, quo Muphtes [6]), maximus sacrorum antistes ac divini juris interpres, pro trium principum caede veniam a Deo precatus expiavit. Et cum laudatorio Davidis cantico simul Deo gratias egissent, ut consueverant: Vos, inquit CORONAEUS, lautioribus ferculis excepissem, si per leges pontificias carnibus vesci licuisset.

1) Psalm. 130, 4. 2) Matth. 9, 2. 3) Alibi: non satis docuisti. 4) Alius: cum solita. 5) Alibi: nisi. 6) Alius: Mystes.

SENAMUS: Nunquam jucundius epulari soleo, quam jejuniorum diebus, quibus exquisita fercula piscium nobis apponuntur ac poenitentia scelerum vescimur cibis, quibus olim reges summa voluptate fruebantur i. e. piscibus, cum nulla prope carnium fercula principum mensis apponerentur, nisi quis forsan turdos aut lepusculos intulisset, aut aprum grandiorem delicatissimis avibus [1]) plenum, quem equum Trojanum et ἐχεδώρον [2]) appellabant [3]). Et certe Augustus Caligula, ut natalia ineunte imperio magnifice celebraret, totum mare mediterraneum expiscari jussit, ut piscium optimorum lactes in urbem inveherentur ac praecipue mulli, rhombi, muraenae, siluri, qui mensis cum triumpho apponi solebant.

OCTAVIUS: Sunt ista insanientis libidinis argumenta. Quae cum M. Cato Censorinus multis ante saeculis prospiceret, eam civitatem [4]) diutius stare posse negabat, in qua pisces bove carius emerentur. Nam veteres gregibus et armentis epulas parabant, iis etiam sacra faciebant, nulla enim fere piscium sacrificia reperiuntur.

CURTIUS: Antiqui ea Diis offerebant, quibus affluebant, ac potissimum porrigebant molas, i. e., ut scribit Homerus, ex hordeo, sale et aqua confectas, unde [5]) vox immolandi. Postea porcos caeterasque pecudes sacrificare licuit, rarius aves. Accolae maritimi, nautae, piscatores maximum quemque thynnum Neptuno mactabant, ut scribit Athenaeus, qui mullum Dianae, cytharum Apollini, phocas Mercurio, apros Veneri, pompilum [6]) Marti sacros fuisse scribit. Sed eo processit amentiae [7]) Caligula, ut sibi quasi Deo phasianos, rhinocerotas [8]) et pavones mactari juberet.

TORALBA: Si praestantissimum immortali Deo quoque gratissimum, et quo praestantius, eo gratius est donum. Profecto nihil piscium sacrificio inter animantia [9]) gratius debet videri, si puritatem sive [10]) sanctitatem animantis illius, seu morbis omnibus vacua corpora sive vitae diuturnitatem spectes, qua caeteris longe praestare mihi videtur.

FRIDERICUS: Ego quidem pisces caeteris animantibus puriores esse duco, tum quia in elemento purissimo vivunt, tum etiam quod maris puritate sordes omnes non modo corporum, sed etiam animorum elui atque expiari putantur. Sed quod vitam terrestribus diuturniorem aquatilia ducant, vix est, ut mihi persuaderi possit, cum Elephantos centum annos supra viginti vivere consuesse proditum sit de Juba rege, rerum naturalium acerrimo venatore.

OCTAVIUS: Immo vero Apollonius Tyanaeus elephantum in India vidit, ut est apud Philostratum [11]), qui ab Alexandro Magno ad sua

---

1) Alius false: civibus, id quod sine sensu est. 2) Alii: ἀσχεδῶρον. 3) Athenaeus, l. V. deipnos. 4) Alius: eam aviditatem. 5) Alibi: quae. 6) Piscem quemdam maritimum, quem alibi appellant nautilum. Plinii hist. natur. 32, 54. 9, 20 et 47. 7) Alibi: dementiae. 8) In codicibus: phaerincopteros. 9) Addit alius codex: bruta. 10) Alibi: i. e. 11) Lib. 7, in vita Apollonii Tyanaei.

usque tempora vitae trecentos annos superarat[1]). Quod Aristotelis opinioni quodammodo congruit; is enim tradit, nullum animal homine vivacius esse post elephantum.

FRIDERICUS: Certe vivacissimum esse animalium hominem, ex sacris litteris constat, scilicet primos illos humani generis creatores nongentos amplius annos vixisse ac nonnullos proxime ad annum millesimum accessisse.

SENAMUS: Quid est igitur, quam ob rem diuturna vita tam brevi curriculo[2]) conclusa sit, ut etiamnum Moses[3]), qui libros originum et vitas diuturniores litteris mandavit, conqueratur, hominum robustiorum vitam vix ac ne vix quidem octogesimum annum superare.

FRIDERICUS[4]): Scio plerisque Epicuraeis[5]) libros originum incredibiles videri et ea potissimum, quae de hominum diuturna vita prodita fuere. At Josephus, antiquitatum interpres optimus[6]), ut ea, quae Moses scripserat, confirmaret, duodecim historias ab omnibus fere populis summae antiquitatis ac auctoritatis testes arcessere non dubitavit, scilicet Berosum Chaldaeum, Mochum, Hestiaeum, Hieronymum Aegyptium, Nicolaum Damascenum, Homerum, Hesiodum, Hecataeum, Hellanicum, Ephorum, Theopompum, Acesilaum[7]), Xenophontem, qui homines aliquot non modo quadringentos et sexcentos annos, sed et nongentos excessisse prodiderunt. Quin etiam majorum[8]) nostrorum aetate historicis nobilitatus est Miles, qui quod annos 369 explevisset, Johannes de Temporibus usurpatur[9]). At nostra aetate, i. e. 1519, Franciscus Aluaresius[10]) in Aethiopicis scripsit, Marcum Abnuam[11]) pontificem maximum Abyssiniorum, anno centesimo quinquagesimo aetatis nondum senium prae se tulisse. Ex quo intelligitur, eos aberrare, qui longissimam hominis vitam post aquarum eluviones centum ac viginti circumscriptam fuisse putant, cum id tempus[12]) hominum generi ad poenitentiam ante diluvia Dei concessu data esset[13]).

SALOMO: Illud philosophis constat inter ipsos, non modo certum vitae tempus omni animantium generi ab ipso conditore circumscriptum fuisse, verum etiam singulorum hominum annos, menses, dies, horas, momenta definita esse[14]), quae tum virtutibus augeri, tum etiam flagitiis circumcidi sacra oracula declarant, sive in hoc cadaveris gurgustio, sive cadaveribus erepti. Sic tamen interpretor, ut hominis spirantis vita non excedat annos 969, quoniam Methusala is, qui vitam mortalium omnium longissime protraxit, non diutius vixit[15]).

TORALBA: Vitam hanc diuturnam non naturae vi, sed procuratione

---

1) Alibi: superabat. 2) Alibi: circulo. 3) Ps. 90, qui est Mosi tributus. 4) Alius: SALOMO. 5) Alibi: Epicuraeorum. 6) Antiq. lib. IV., 5. 7) Alius: Acasiceum. 8) Alii: majori. 9) Alibi: vocatur. 10) Alius: Mauretius. 11) Alibi: Albanum, vel: Atanam. 12) Alibi: id. 13) Genes. 6, 3 sqq. 14) Deuter. 6. 3 Regum 3. Josuae 14. 21. 29. Psalm. 14. 60. 72 et 108. Proverb. 6. 15. 28. 15) Alibi ulterius non vixerit.

divina primis hominibus tributam fuisse existimo, ad artes et scientias constituendas ac praesertim ad coelestium motuum cognitionem.

CURTIUS: Principio quidem ad generis humani propagationem potius, quam ad scientiarum et artium investigationem, hominibus vitam diuturnam opinor fuisse concessam, postea vero, cum [1]) longe lateque dissipatum est hominum genus, vita brevius contracta est, alioqui terrarum orbis, quantus est, populorum vim capere nullo modo potuisset. Sic autem natura comparatum est, ut frequentissimi sint partus eorum animantium, quorum vita brevior est, et rari foetus eorum, quibus vita fruenda diutius conceditur. Videmus enim biennio vitam polyporum definiri, quo genere piscium est nullum foecundius. Item lepores, quorum vita septimo anno circumscribitur, terrestrium omnium foecundissimi sunt.

TORALBA: Haec partim vera, partim in conjectura posita sunt. Neque enim, opinor, foecunditas leporibus aut polypis tanta [2]) tributa est, quod illis breve curriculum vitae concederetur, sed summa Dei procuratione, ut alteri voracium piscium [3]) alimentis [4]), alteri terrestrium belluarum et hominum venationi et pabulo sufficerent. Foecunditatem enim et profusionem seminis sequitur vitae brevitas. Rapaces autem alites ac belluas terrestres ac maritimas [5]) infoecundas esse videmus, quae tamen caeteras vitae diuturnitate vincunt, maxime tamen aquatiles, neque enim immanis illa balaenarum [ac justi ceti] [6]) vastitas, quae interdum est octo jugerum, usque eo excresceret, nisi plurium seculorum spatio. Nam Juba Rex in commentariis ad Augustum scribit [7]), balaenam captam tantae magnitudinis, ut trecentos pedes latitudinis et sexcentos longitudinis haberet. Nullum autem longaevae vitae [8]) argumentum majus est, quam quod pisces nullis omnino morbis corripiantur, praesertim marini.

FRIDERICUS: Certe quidem Fridericus II. imperator Germanus piscem Lucium in lacum Helpruntium [9]) injici curavit [10]), innexo prius branchiis annulo aetatis indice, qui captus est anno 1497, i. e. anno post 267, quam in lacum justa magnitudine injectus erat, ea [11]) tamen vivacissimum constabat ac diutius victurum, nisi violenta morte praereptus esset [12]). Ac nostra aetate Cyprini ab avorum memoria usque ad nepotes centum viginti annos amplius superarunt. Ut omittam, quod Seneca [13]) scribit, piscem Apolliona [14]) anno sexagesimo postquam in piscinam grandis illatus fuerat exspirasse, duobus ejusdem aetatis superstitibus. Ex quo intelligitur [15]), belluas marinas in aqua salsa puriore et salubriore largissimam omnium ani-

---

1) Alibi: quam. 2) Alibi: ita. 3) Alibi: avium. 4) Alius: alimento. 5) Alibi: marinas. 6) Desunt haec verba in uno codice; alii legunt: ac mysticeti. 7) Relatum apud Plinium ex Jubae commentariis l. 32, 1 et 9, 3. 8) Alius: longitudinis vitae. 9) Alibi: Heilbrunnium. 10) Munsterus in descript. Gall. de aequalit. et Conr. Gesnerus cap. de Lucio. 11) Alibi: eum. 12) Alibi: fuisset. 13) Lib. de long. vit. cp. II. 14) Alibi: Apolloniam. 15) Alius: intelligo.

mantium vitam protrahere. Nec invitus ab Aristotelis [1]) et Theophrasti opinione discedam, quippe qui scripserunt, aquatilium quam terrestrium et volatilium vitam esse breviorem.

TORALBA: Invideo tantam mercedem Aristoteli, quantam ab Alexandro Magno accepisse dicitur, i. e. octingenta talenta, ut in re tam perspicua tam graviter peccaret.

CORONAEUS: Facit igitur et [2]) vitae longitudo et explorata valetudo piscium, ut alimentis hominum utiliores quam animantia terrestria videantur, sed ex his solidiora sunt, quam ex illis alimenta: quae ratio fecit, opinor, ut Romani pontifices ciborum delectum et ad victus puritatem et ad libidines coërcendas, suis decretis adhiberent, jejuniorum diebus et eo potissimum die quo Christus cruci affixus est, ut ἀπὸ τῶν ἐμψύχων sive terrestrium sive volatilium abstineamus; qui religiosiores, etiam a piscibus et somno abstinent, quidam vero horas viginti quatuor uno pede nituntur, coelum intuentes; qui religiosissimi, non modo abstinent ab his quae diximus, sed etiam collo tenus in aquis diem jejunii peragunt, ut accuratius vigilando somnus coërceatur. Idem [3]) Aethiopibus Christianis consuetum esse, Franciscus Alvaresius [4]) scribit, ac potissimum die sexto expiationis, προπαρασκευῆς.

SENAMUS: Jejunium die sexto Christiani commodius, quam Ismaëlitae, qui eundem diem solenni festivitate colunt, cum tamen eo die Muhammedes ab hostibus graviter vulneratus sit ac fugatus; melius etiam Christiani, qui solennia festa colunt eodem die, quo Christus a morte dicitur resurrexisse.

CURTIUS: Primordio nascentis ecclesiae Christiani die resurrectionis jejunare consueverunt: die Paschae, inquit Tertullianus, quo publica jejunii religio est, merito deponis osculum pacis; postea tamen eo die jejunium vetitum est.

SALOMO: Si de generis humani libertate ac salute laetandum omnibus est, profecto Christianis exultandum esset eo ipso die, quo libertatem animorum ac salutem sibi partam confidunt. Sic enim divina lege cavetur [5]), ut diem illum, quo primogenita omnium animantium caesa sunt in universa Aegypto propter Israelitas, et eorum greges, festivis agri paschalis epulis jucundissime coleremus, quoniam cladi superstites durissima Aegyptiorum servitute liberati sumus. Nullum autem jejunium nobis imperatur praeterquam die decimo mensis septimi, ad exsecrationem et expiationem nefandi sceleris, quo majores nostri vitulum ad colendum sibi conflassent. Illud autem jejunium auspicamur a vespera ad vesperam consequentis, quo nec cibum nec potum capere, nec in cubilibus [6]) jacere, nec ullum opus moliri, nec ullis negotiis implicari licet, sed peccatorum poenitere, deinde corpore et vultu

---

1) Lib. IV cp. 14 de caus. plantar. 2) Alibi: ea. 3) Alibi: Id enim, vel: Id etiam. 4) In Aethiopicis. 5) Alibi: cautum. 6) Alibi: cubili.

terram contegente [1]) apud Deum misericordem de peccatis confiteri ac nos ipsos affligere jubemur. Est enim vox Ebraica תענית (Thaanith) nihil aliud, quam afflictio et moestitia. Praeter jejunium illud legitimum expiationis indicta sunt jejunia viginti quinque, partim propter occasus illustrium prophetarum Mosis, Aaronis, Josuae [2]), Samuelis, partim propter excidium urbis et populi defectionem, quae in libello Tahamith explicantur. Non desunt, qui Mosis et Eliae exemplo quadraginta diebus [3]) jejunant. Sanctissimi totum vitae tempus, praeter Sabbatha et Novilunia solennia, semel tantum interdiu cibantur, ut de Juditha legimus [4]).

CURTIUS: Origenes contra Celsum [5]) scribit, veteres Christianos quarta sextaque die jejunia coluisse, sabbathis vero ac dominicis illud non licuisse.

OCTAVIUS: Ismaëlitae dictum Empedoclis usurpare consueverunt, scilicet a vitiis jejunandum, i. e. νηστεύσαι κακότητος, summa tamen religione colunt jejunia Elmeidi, menstrua paschalia jejunia nec nisi post occasum solis cibantur. Sunt tamen qui singulis mensibus tria jejunia sibi indicunt, sub luna tredecim, quatuordecim, quindecim, quos ipsi candidos vocant, quod his diebus luna, copioso lumine aucta, reddit animantium corpora multum vegetiora et ad jejunium aptiora. Eadem fere ciborum religio, quae Judaeis, nam utrique ab esu sanguinis et suillae carnis sibi temperant, ut lex divina jubet.

FRIDERICUS: Multa multis religiosa sunt, quae aliis valde profana aut impia aut superstitiosa judicantur. Nam Judaei et Ismaëlitae aeque ac veteres pagani velato capite sacra faciunt, ut illa significant:

Purpureo velare comas adopertus amictu [6]).

Quin etiam religiosum erat flaminibus, aperto capite sub Dio versari; ut Saturnus, quia velatus erat, nudo vertice colebatur, Christus [7]) tamen [8]) aperto capite precatur.

SALOMO: Sabaeorum quidem [9]) et Arabum foeminae nudatis corporibus choreas agitabant, oriente sole, ut illi gratularentur, et qui sacra faciebant Bahali Peori, impudenter pudenda revelabant, quo idolo nullum detestabilius divina lege execratur, qua quidem lege pontifex sacrificans caput velare jubetur [10]).

OCTAVIUS: Mos hic omnium populorum, qui religiosius colebant, communis erat; nam Prusias Bithyniae rex, operto capite adoratis Curiae liminibus divinos senatui honores dicitur exhibuisse. Item [11]) Lucius nescio quis adulator Caligulam, qui se Deum ferebat, adoraturus capite obvelato canis in modum circumvolutus, ad pedes principis procidebat.

SALOMO: Quid Moses? Audita primum Dei voce, non modo verticem,

---

1) Alibi: conspiciente. 2) Addunt alii: Mariae. 3) Alibi: dies. 4) Judith 8. 5) Libro V. 6) Virg. Aen. III, 405. 7) Alii: Christiani ... precantur. 8) Alibi: tantum, vel: autem. 9) Rabbi Moses Rambam l. 1. 10) Levit. 20, 10. 11) Alibi: Ita.

sed vultum quoque operuit, quia verebatur, inquit scriptura sacra, Deum intueri. Item Helias cum Dei vocem audisset in eodem monte, quo Moses, pallio caput ac vultum obtexit.

CURTIUS: Saepe [1]) contrariis itineribus eodem pervenitur. Nam ut Asiae populis principem intueri nefas habetur et ab ejus conspectu discedentem retrocedere oportet, ne illi terga obvertantur, ac velato capite alloqui aspectu in terram demisso: ita quoque flagitiosum est in Europa, praesente principe [2]) capita velare, quin etiam ad edicta regis Abyssiniorum non modo caput aperire, sed etiam corpus usque ad pudenda nudare necesse est. Olim saltatio in sacris faciendis omnium fere populorum communis erat, quae nusquam terrarum nunc usurpatur [3]). Et quemadmodum capitale esset apud Genevates et Helvetios in templo saltare, quod religiosissime fiebat apud Judaeos; sic enim Davidem legimus, cum arcam deduceret, accepta lyra saltasse aliquanto altius [4]), quam uxori Michalae decorum videretur, ac si quis ullum munus altaribus sacris oblaturus veniret, hunc alacri gestu saltare mos erat [5]).

SENAMUS: Saltationes et choreas sacris omnium populorum solennes fuisse constat. Nec tantum Salii sacerdotes Martis a saliendo dicti sunt, sed etiam Jovis ipsius ludis praesultor ad numerum et modum choream agebat [6]). Et cum senatori cuidam Jupiter in somniis visus esset, qui ludos instaurari juberet [7]), quod praesultor indocte saltaret [8]), deque ea re ter admonitus neglexisset, duorum filiorum morte perterritus senatui rem aperuit, qui ludos instaurari jussit. Ex quo etiam planum fit, quod ante diximus, etiam paganorum sacra negligentius peracta immortali Deo displicuisse, omissa clades et excidia populis invexisse.

CORONAEUS: Existimo nostros bufones, qui clypeis et gladiis nudi saltant, Salios veterum [9]) omnino imitari vel etiam saltatorem illum, qui quod bovem Jovi [10]) apud Athenienses mactaret [11]), βουφόνος dicebatur.

CURTIUS: Christiani primum nascente ecclesia saltationes sacras intermiserunt, ut scribit Justinus Martyr [12]), quippe qui cogebantur nocturna sacra metu suppliciorum obire. Sed Constantino Magno dominante, sublato metu, choreas frequentes et choros [13]) agere coeperunt, qui mos nondum ab ecclesia Romana plane desertus est. Nam quae processiones ab ipsis appellabantur, saltando fiebant, non ambulando. Nec ita pridem cantores duo, qui [14]) canticum in medio choro incipiunt, ab occasu ad ortum, deinde ab ortu in occasum saltabant, tum utrique in medio choro, alter quidem Austrum, alter Aquilonem spectans, aliquamdiu immoti stabant. Quae ratio fuit [15])

1) Alibi: Saepius. 2) Alibi: pontifice. 3) Franc. Alvaresius in Aethiopicis. 4) 2 Reg. 6, 14 seqq. 5) Rabbi Kimchi in Ps. 42. 6) Plutarchus in Nicia et Alcibiade. 7) Valerius Maximus, Livius, Plutarchus, Dionysius Halicarnasseus. 8) Alibi: saltarat. 9) Alibi: veteres. 10) Alii addunt: Bulaeo, vel: Poleo, vel: potentissimo. 11) Alibi: mactarat. 12) Ad orthodox. qu. 7. 13) Desunt alibi duo haec verba. 14) Alius: quod. 15) Scholiastes Pindari.

a citharoedo in sacris ludis antiquitus observata, ut coelestium orbium ac Deorum in coelis choreas agentium motus ipsiusque Terrae matris Deorum stationem imitarentur. Illud tamen singulare fuit in Christianis, quod cantores duo in choro, ne Diis infernis aut idolis gratulari saltatione viderentur, ut [1]) pagani, dextram in coelum attollebant, et quia molestum erat diutius elatam dextram habere, baculos argenteos, qui in manum argenteam desinebant, gestare coeperunt, ac summis pedum digitis modestius niti, ut modestius saltarent. Sed cum imperitis hujusmodi [2]) sacerdotia ac munera quaestuose tribuissent, non amplius saltare, sed deambulare coeperunt, inde proverbium de ignaris, qui [3]) nec canere didicerint [4]) nec saltare. Ita paulatim ambulationes pro saltationibus desertis ab ecclesia Romana susceptas videmus.

SALOMO: Moderata saltatio in laudibus divinis efficacissima semper nobis visa est, illud enim psaltes lyricus voluit, cum ipse coram Deo caneret ac saltaret: Colite Deum cum timore, exsultate ei cum [5]) tremore [6])! Est enim exsultare altius saltare, quia fieri non potest, ut qui saltat ac gestit [7]) animi quadam alacritate erga res divinas, ut non etiam ardentissimo Dei amore in eum rapiatur, mente vero tristi Deum laudare nefas est. Itaque pontifex Aaron, repentina adhuc filiorum morte saucius, sacrum convivium obire recusavit, cum diceret [8]): Quomodo gratus essem Deo, mente lugubri [9])? et qui laeta mente affectus est erga Deum, hunc etiam oportet non modo ab omnibus sceleribus abhorrere, verum etiam summa integritate ac innocentia vivere. Ita saepius in psalmis occurrit vox illa Selah, quam Symmachus et Theodotion vertit [10]) διάψαλμα, Latini interpretationem omiserunt. Nam Chaldaeus interpres putat, verbo Selah aeternum significari, quem Origenes et Hieronymus [11]) sequuntur. Sed Abraham AbenEsra interpretatur אָמֵן i. e. vere; διάψαλμα vero significare mihi videtur distinctionem modulationis et varietatem quandam silentio interjecto. David Kimchi Selah vocis elationem significare putat, ego vero vocis ac totius corporis subsaltationem fuisse video, quam in sanctis canticis usurpare etiamnum solemus, ut laetitiam erga Deum et intimi animi gaudium testificemur. Laudationes vero divinas non modo saltationibus et canticis, verum etiam omni genere instrumentorum ab immortali Deo instituta fuisse, gravissima Nathanis et Gadi testimonia declarant, a quibus admonitus David 285 Leviticae tribus cantores peritissimos ad divinarum laudum modulationes adhibuit [12]), quos partim vocibus, partim fidibus, partim fistulis [13]) explicabat, quod ex initio psalmi cujusque facile intelligitur, מִזְמוֹר fidibus tantum [14]), ubi שִׁיר sola voce canebatur, ubi utcunque, voces fidibus miscebantur. Interdum tuba cornea, quae Sophar, vel metallica, quae Halsopherat

1) Alibi: aut. 2) Alius: hujus mundi. 3) Alibi: quod. 4) Alius: didicerant. 5) Alibi: in. 6) Ps. 2, 11. 7) Alibi: petit. 8) Alibi: dicens. 9) Levit. 10, 19. 10) Alii: vertunt. 11) Hieronymus in epist. ad Marcellum. 12) 1 Paral. XXV, 1 sqq. 13) Alibi: fibulis. 14) Alibi: tamen.

dicebatur, adhiberi solebat et metaltaim sive cimbala et mahol tibia. Sed quia Judaei aeque ac populi australes fidibus magis delectantur [1]), et aquilonares tubarum ac tibiarum sono [2]), propterea cantica Davidis Psalmos appellarunt. Est enim ψαλμός, ut scitis [3]), carmen fidibus expressum, psalterium autem vas in clypei quadrati formam, decem chordis [4]) aptum. Propria tamen appellatione laudes ab Ebraeis appellantur cantica Davidis תְּהִלִּים, ut omnes intelligant, brevissimis quidem precibus, sed laudibus assiduis intentos esse oportere. Nihil autem [5]) frequentius in psalmis occurrit, quam vox הַלְלוּיָהּ i, e. laudate Deum.

CORONAEUS: Ego vero existimo, ecclesiae Romanae organa [6]), quae Constantinopoli circa annum Christi 700 inventa, fistulis plumbeis conflantur, omnium antiquorum instrumenta musica longo intervallo superare, nec satis mirari possum, eos, qui Romanae ecclesiae ritus deseruerunt, organorum genus illud penitus abjecisse, cum nihil modulatius fieri possit.

CURTIUS: Hoc ideo factum opinor, ne plebs illecebris modulationum divinas laudes obliviscatur. Ac propterea Justinus Martyr [7]) instrumenta illa musica puerorum esse ac de templo rejicienda putat, comprobante Theodoreto pontifice [8]), eoque magis, si lingua peregrina utantur sacerdotes, quam imperiti non capiunt [9]), quo nihil absurdius nec ullius populi moribus, praeterquam Romanorum, id probari posse opinor.

CORONAEUS: Id certe casu contigit; cum enim Ebraei, Graeci, Latini et caeterae quoque gentes lingua populari Deos colerent, usu tamen diuturno factum est, ut antiqua carmina sacrorum Polybii aetate non amplius intelligerentur, mutatione scilicet latinae linguae, neque tamen usitata carmina propter venerationem antiquitatis ac religionis mutare fas erat. Ita quoque ecclesiae Romanae cantica tunc [10]) a Gregorio latine sunt instituta, cum ab omnibus omnia perciperentur, paulatim lingua latina peregrinorum undequaque in Italiam adventu et concursu mutari et corrumpi coepit, carmina tamen usitata sine gravi incommodo mutari nequeunt.

CURTIUS: Non video, quid incommodi sequatur, pulcherrimas illas Davidis laudes linguis omnibus usurpare. Si tamen instrumentis musicis etiam sacris utendum sit, ut quidem ex oraculo divino Nathanis et Gadi prophetarum jubemur [11]), fidibus praestaret, quam fistulis plumbeis uti, quibus voces sono fistularum confuso tanta vi erumpunt ut verba nullo modo percipiantur; soli enim Britanni, opinor, organa fistularum plumbearum vocibus musicis miscere consueverunt. At nihil tam necesse est, quam psalmos ac laudes divinas ab omnibus intelligi, ut omnes erudiantur.

SENAMUS: Mirum mihi saepe visum est, Judaeos, Christianos, Ismaë-

---

1) Alibi: delectabantur. 2) Alius: sonitu. 3) Aristophanis scholiastes in Avibus. 4) Alibi: fidibus. 5) Alii: enim. 6) Ammonius l. IV. et XVI. 7) Qu. 157 ad orthodox. 8) Libro de sacrific. 9) Alibi: capiant. 10) Deest alibi. 11) 1 Paralip. 25, 1 sqq.

litas, Helveticos, Romanos, Germanos, tanta [1]) religionum varietate discrepantes, in psalmis tamen Davidicis omnes omnino conspirare atque iis quotidie gratias immortali Deo gratissimas ubique terrarum agere.

SALOMO: Non debet illud mirum videri, cum hi omnes unius aeterni Dei nomen ac numen se colere nec plures uno esse profiteantur. Laudationes autem Davidis ad aeternum Deum omnes spectant, nulla Jovis, Apollinis, Dianae, Martis, Herculis, Saturni numina, nihil de Venere et Baccho, nihil de Jesu Nazaraeo, nihil de Muhammede aut Maria virgine, nihil de myriadibus innumeris [2]) Divorum, quos sibi Christiani non tam ad imitandum, quam etiam ad colendum proposuerant, sed unius sempiterni rerum omnium opificis laudes ac gesta commemorantur.

TORALBA: Quid est igitur, quam ob rem [3]) in tanta populorum innumerabilium multitudine soli [4]) Christiani Christum pro Deo cum infinita divorum multitudine laudant, precantur, adorant, qui tamen Deum unum mundi conditorem prae se ferunt?

FRIDERICUS: Quia [5]) Christus non alius est quam Deus ipse, aeternus Dei filius.

OCTAVIUS: Si Christus idem est, quod [6]) Deus aeternus, cur Petrus in concione ad populum his verbis utitur [7]): Sciat totus domus Israël, quod dominum et Christum hunc Jesum fecerit [8]) Deus?

FRIDERICUS: Hac oratione Petrus naturam humanam a divina distinguit, ut homo Jesus a Deo sit factus et quatenus Deus ab aeterno genitus a patre, sic utraque natura in uno Jesu coaluit, ut Dei et hominum mediator esset, quia mediator unius esse non potest [9]), Deus autem unus est.

TORALBA: In natura quidem universa quoties ex duabus naturis inter se repugnantibus [10]) tertium quoddam ab utraque diversum conflatur, perit utraque natura propter conflationem formarum. Si ergo in una Christi natura coalescit simul humana ac divina forma, utramque perire oportet, et ex utraque tertium quoddam et diversum ab utraque conflari, ut ex aqua et melle videmus hydromel componi, corrupta utriusque natura.

CORONAEUS: Natura duplex in Christo sic copulatur, ut non sit confusa, sic distinguitur, ut non sit divisa.

OCTAVIUS: Cur ergo [11]) Athanasius in libro de incarnatione non duas in Christo naturas, sed unam tantum agnoscit?

CORONAEUS: Ne quis putet, Christi divinam esse adorabilem, non item humanam. Ac propterea Gregorius Nazianzenus et Cyrillus [12]) duas

---

1) Alibi: tam. 2) Deest alibi. 3) Alibi: ac. 4) Desunt haec novem sequentia verba in aliis codicibus. 5) Alibi: Qui, vel: Si. 6) Alibi: qui. 7) Actorum II., 36. 8) Alibi: fecit. 9) Gal. 3, 20, et 1 Timoth. 2, 5. 10) Alibi: repugnatis. 11) Alibi: vero. 12) Libro 9 cp. 31 in Joh.

in Christo naturas agnoscunt. Sed quia post humanitatis assumtionem facta divisio non est, una et eadem esse praedicatur.

CURTIUS: Quod [1]) Toralba de forma naturali ad divinam traduxit, non congruit [2]) metaphysica tractantibus ad physica trahere disputationem.

TORALBA: Christus quatenus homo physicae subjectum est, metaphysicae vero, i. e. theologiae, argumentum verum et quidem [3]) proprium Deus est. Si ergo naturalibus omissis de Deo disputandum sit, nihil profecto est in universa natura, quod de Deo affirmari queat, sed omnia commode negari, quia quicquid est praeter Deum, aut substantiam aut accidens esse oportet [4]), Deus autem neutrum est, nec ullus est naturae conceptus Deo et creaturae communis, quia nihil una voce de finito vel infinito dici potest, nec ullum genus est infinitum aut indifferens ad finitum et infinitum. Itaque cum de rebus omnibus quaeri soleat, quid sit? de Deo quaeritur, quid non sit? Ex quo sequitur, theologos omnes, qui Deo substantiam aut hypostasin aut personam tribuunt, impropie loqui. Quae res impulit Simplicium [5]), ut primam omnium causam diceret nomine vacare, i. e. τοῦ παντὸς αἰτίου, ὑπὲρ πάντα ὄντος τὰ ὄντα, οὐδέν ἐστιν οἰκεῖον ὄνομα. Proclus vero Academicus Deum ob id ineffabilem esse scribit, i. e. ἄῤῥητον, quia unus est, vel ut Parmenides ἀγράμματος. Et cum multa de Deo dicantur improprie, ipse tamen dici non potest ac ne cogitari quidem. Sed qui minus inepte loquuntur, essentiam aeternam appellant, eamque unam, puram, simplicem et ab omni corporum contagione [6]) liberam, infinitae bonitatis, sapientiae, potestatis. Atque in eo Academici, Stoici, Peripatetici cum Ebraeis et Ismaëlitis conveniunt quodammodo, quasi proprium [7]) illud in omnium hominum animis ac mentibus ipsa natura insitum [8]) esse videatur.

SALOMO: Ebraei decem habent [9]) nomina Deo in sacris litteris tributa, epitheta vero LXXII omnia creatori cum [10]) creaturis quodammodo communia praeter sacratissimum nomen tetragrammaton, quod sui proprium esse dixit, scilicet יהוה, i. e. aeternus, quia nihil praeter Deum est [11]) aeternum. Hujus unius cultum, caeteris omnibus repudiatis, quemque sibi proponere debere contendimus. Caetera quae tum in coelo, tum in elementis ac mundi totius compage cernimus, tum etiam beatas mentes cadaveribus superstites et angelos utriusque naturae, sensibus hominis abditos, colere ac ullis precibus ac veneratione prosequi nefas esse arbitramur, ac multo magis nefarium ulli creaturae [12]) Deum incorporeum copulare [13]).

SENAMUS: Ego veteres Jovem a tetragrammato duxisse opinor, propter utriusque nominis similitudinem.

---

1) Alius: Quid. 2) Alibi: convenit. 3) Alibi: quodammodo. 4) Dionysius Areopagita de divin. nomin., Moses Rambam l. 3. 5) In libro de singulari Deo. 6) Alius: concretione. 7) Alius: principium. 8) Pro quatuor his antecedentibus verbis alibi legitur: institutum. 9) Alibi: Hebraeis decem sunt. 10) Alius: ac. 11) Alii: potest esse. 12) Alibi: nefandum ullam creaturam. 13) Alibi: computare.

SALOMO: Qui Jova aut Jehova pro sacro nomine יהוה pronunciant, hujus linguae vim non tenent. Neque enim ratio Ebraeae linguae patitur nomen illud ita pronunciari. Ac tametsi vocabulis subscriptis saepius יְהֹוָה legamus, fallunt tamen qui sic legi putant oportere, nec intelligunt, majores nostros, qui primi vocales litteris affixerunt [1]), arcanum illud reddidisse varietate scribendi, mox יְהֹוִה, mox יֱהֹוִה. Cur autem abdiderint arcanum illud, causa est in promtu, quod lege divina capitali supplicio plectendus est [2]), qui diserte nomen illud denuntiarit [3]). Itaque nunquam nomen illud in ore habemus, sed nomine Elohim vel Adonai uti solemus, quoties in sacra scriptura legentibus occurrit.

CURTIUS: Mei sensus, Salomo, cum tuis sensibus congruunt, nec alia mihi mens est, nisi quod Deum illum opificem ac moderatorem rerum omnium humanam naturam induisse persuasum habeo, ut hominum scelera morte sua expiaret. Caetera Deorum inania [4]) ac divorum numina nihil moror, ac [5]) ne angelos quidem, qui proxime ad immortalis Dei numen accedunt, ullis precibus aut [6]) veneratione coli volo.

CORONAEUS: Ego vero duodecim fidei Christianae capita cum Curtio amplector, ac praeterea [7]) corporis ac sanguinis Christi sacrificium expiatorium, tum etiam angelorum ac divorum mentes sacris rogationibus eliciendas censeo, ut Deum propitium habeamus, item purgatorios ignes, quibus animorum labes ex animis eluantur.

OCTAVIUS: At [8]) ista ratione populus Deorum innumerabilium cum immortali Deo admittatur necesse est.

CORONAEUS: Caetera quidem suis quaeque locis. Sed illud prius Salomoni persuaderi oportet de Christi deitate, quo si persuasus erit, facile Octavium et Toralbam in suam sententiam adducet.

SALOMO: Istud quidem Toralbae difficilius quam meis popularibus persuaderi posse video, quoniam multa constanter credimus, quae philosophi omnino repudiant, ut Lyricus ille de nostris [9]) loquitur: Credat Judaeus Apella, non ego [10]).

TORALBA: Ut pervicacis animi est, perspicuis argumentis acquiescere nolle, ita summae levitatis, temere omnibus omnia assentiri. Non desunt etiam, qui minutorum theologorum multitudine nos obruere conantnr, sed non ego credulus illis [11]), vel ut Siculi pastoris [12]) oratione utar: ἐγὼ δέ τις οὐ ταχυπειθής. Ecquis enim est tam angusti animi et ingenii, cui probari possit, Deum aeternum post sexcenta millia saeculorum, imo post infinitum tempus incorporeum fuisse, eundem tamen non ita pridem coëlo delapsum in mulierculae intimis visceribus novem menses delituisse, tum carne, ossibus

---

1) Alibi: affinxerunt. 2) Levit. 24, 6. 3) Alii: denuntiavit. 4) Alibi: Caeteros Deorum inanium. 5) Alius: at. 6) Alibi: ac. 7) Alibi: propterea. 8) Alibi: Ac. 9) Alibi: nobis. 10) Horatius. 11) Alibi: ullis. 12) Theocriti.

ac sanguine concretis indutum ac natum utero clauso, paulo post etiam turpissimo supplicio affectum ac terra conditum revixisse et [1]) corpoream illam molem, antea coelo invisam, illuc vexisse? Quod haec tam nova tamque insignis mutatio in Deum cadat, omnes Ebraeorum et Ismaëlitarum populi, omnes [2]) philosophorum familiae constanter negant. Imo gravis illa et coelestis vox obstat: Ego Deus aeternus et non mutor [3]). Quae verba non modo ad essentiam pertinent, verum etiam ad ea, quae illi accidere putantur.

SENAMUS: Salomoni caetera quidem assentior, sed illud [4]) non capio, si Deus etiam [5]) mentis habitu immutabilis est, cur toties irasci et placari, toties poenitere facti dicatur?

SALOMO: Ista quidem oratio est quasi parentis optimi cum infantibus balbutientis, ut cum Deus Samueli dixisset [6]), se pigere Saulis, quod regem eum [7]) renunciari jussisset, eodem tamen capite haec verba subjicit [8]): Deum facti nunquam poenitebit, quia non est homo, ut ulla [9]) facti poenitudine ducatur [10]). Aut enim illa tanta Dei mutatio in hominem, sive assumtio hominis Deum facit meliorem aut deteriorem, alterum dicere scelus, alterum cogitare nefas est. Nam cum ab infinita temporis aeternitate optimus maximus fuerit [11]), melior aut beatior seipso fieri non potuit, alioquin optimus et beatissimus antea non fuisset. Deteriorem factum esse, tanta sui status ac conditionis conversione fateri oportet [12]), quo nihil capitalius cogitari potest.

CORONAEUS: Nec melior nec deterior factus est, ac ne mutatus quidem ab illo, qui semper antea exstiterat, qualis semper futurus est. Consimili fere argumento Proclus [13]) mundum aeternum statuebat, ne si principium ortus haberet, Deus ab alta quiete ad motum, ab otio ad negotium excitatus videretur.

SALOMO [14]): Illud quidem constat ex abditis legum divinarum arcanis, Deum perpetua mundorum creatione ac recreatione gaudere nec quicquam sub sole novum esse [15]), quod antea non fuerit, nec fuisse, quod non sit futurum, nec propterea Deum sui status ullam pati conversionem aut mutationem, sed eundem humanae naturae copulatum et carneam massam induisse, non ita pridem, i. e. paulo ante saecula quindecim [16]), non modo contra Dei naturam et essentiam est, verum etiam contra suae majestatis decus.

FRIDERICUS: Incredibile quidem est incredulis, sed iis quos divinus intellectus afflaverit [17]), facillime [18]) persuaderi potest.

---

1) Omittuntur haec novem sequentia verba in alio codice. 2) Alius: omnis ... familia. 3) Jes. XLIV, 6. 4) Alius: illum. 5) Alius: ratione. 6) 1 Sam. XV, 11. 7) Alius: illum. 8) 1 Sam. 15, 29. 9) Alibi: nulli. 10) Alius: poeniturum dicatur. 11) Alibi: fuit. 12) Alibi: cogeretur. 13) Philoponus in libris, quos adversus Proclum scripsit. 14) Omittitur in aliis. 15) Eccles. 1, 9. 16) Deest in alio codice. 17) Alibi: afflavit. 18) Alius: facile.

OCTAVIUS: Certe graecae et latinae initio nascentis ecclesiae christianae non ita difficile fuit persuadere, ex homine Deum fieri, quippe qui Deorum et hominum amplexus et puerperia ita crediderunt, ut non modo agrestibus et imperitis hominibus, sed etiam Graecorum et Romanorum [1]) disciplinarum omnium laude florentibus quasi certissimum quiddam et exploratissimum haberetur. Argumento sit nobilis historia [2]) de Mundo, cive Romano, qui summa pietatis specie sacerdotum detestabili lenocinio matronae pudicissimae stuprum intulit, cui persuasum erat aeque ac marito, Herculem ipsum in templo, ad stirpis divinae propagationem, cum ea concubuisse. Comperta fraude, quam Mundus celare non potuit, Tiberius Augustus templum solo aequari et sacerdotes ultricibus flammis exuri jussit. Itaque nihil mirum, si Christum, qui vitae integritate ac miraculorum multitudine clarus exstiterat, de Deo ac virgine natum paganis, consimili [3]) Deorum generatione jam imbutis, persuaserunt.

SENAMUS: Certe puerperia Deorum ac Dearum non modo θεογονίαν, verum etiam imperatoribus et pontificibus Romanis mirabiles ἀποθεώσεις invexerunt: quas Bessario Cardinalis cum Romae fieri vidisset [4]), veterum divorum historias valde sibi suspectas esse praedicabat.

TORALBA: Imperitis illa non persuaderi, eruditis potuisse miror. Nam si cognitis extremis media non propterea cognoscuntur, etiamsi fuerint essentiali causarum ordine cohaerentia, quis Christum, quem ex humana divinaque natura constare dicunt, animo percipere queat, cum Deus homini nullo naturae ordine cohaerere ac multo minus quam coelum terrae uniri possit? [5])

CORONAEUS: Veteres Academici hominem coelestis et elementaris mundi vinculum esse tradunt ac propterea solum ex omnium animantium genere ad Dei similitudinem et imaginem conformatum. Quae cum ita sint, quis naturae ordinem turbari putet, si Deus homini uniatur in Christo?

TORALBA: Comprehensio infinitae rei est infinitum quoddam [6]), quod naturae finitae congruere nequit. Neque enim verum est, quod theologis quibusdam video placuisse, scilicet mentem humanam infinitorum intelligibilium successionum capacem esse, oportet enim mentem hominibus aeternam aut certe sempiternam esse suapte natura, contra quam superius demonstratum est. Quodsi mens humana ne cogitatione quidem Deum infinitum assequi possit, qui fieri possit [7]) ut infinitam Dei essentiam capere eique actu et re ipsa uniri queat?

FRIDERICUS: Quod humanae mentis imbecillitas assequi non possit, Christi mirabiles actiones et stupenda facta praestant.

---

1) Alius: Graecis et Romanis. 2) Josephus in Antiq. jud. lib. 18 et 4. 3) Alibi: consimilium. 4) Alibi: vidissent. 5) Alibi: potuerit. 6) Alius: quiddam. 7) Alius: potest.

OCTAVIUS: Si miracula Deos faciunt, quid obstat, quin maximus quisque magus Deum se ferat? Quid enim sortilegi non moliuntur? Quid sagarum turba non [1]) facit? Cujus tam [2]) perspicacis oculos non perstringit? Testes sunt magi Pharaonis, Orpheotelestae, Medea, Circe, Cleomedes Astypalaeus, Apollonius Thyanaeus. Atque hic tanta prodigiorum varietate mirabilis exstitit, ut veteres illum non modo ipsi Christo, verum etiam omnibus Christianorum Diis longe anteferrent. Is enim dicitur a mortuis complures excitavisse, morbos populares sedavisse, saepe moribundos curavisse, saepius futura praedixisse, saepe daemones sua praesentia fugavisse, semper ab esu animantium, quamdiu vixit, abstinuisse, eruditione ac sapientia [3]) clarissimus exstitisse [4]), sapientiae praeceptis divinissimus fuisse, verbo lamias frequentes abegisse, Ephesum exitiali peste liberavisse, paenulatum [5]) senem lapidibus obrui jussisse, obrutum detegi, detectum leonem mortuum demonstravisse, annos 140 in terris vixisse, et ex ipso Dianae templo in coelum abreptum ascendisse, ab ipsis arboribus curvato cacumine ac voce diserta loquentibus salutatus esse, denique ab universa Graecia et Asia pro Deo habitus fuisse memoratur. Profecto tanta laudum contentione [6]) acceptus est ab antiquis, ut ex ejus [7]) statuis oracula quasi ab ipso Apolline peterentur. Nec tantum paganis, sed etiam Christianis clarus et admirabilis exstitit, atque inprimis Hieronymo et Justino Martyri [8]), quod maris tempestates, ventorum impetus, murium populationes, incursiones ferarum istius Apollonii dictatis prohiberi tradit [9]).

FRIDERICUS: Multa quidem Philostratus de Apollonio, sed ea tantum quae a Damide audierat, Damis item ab Apollonio ἀκροάσει [10]) ἐκ τῶν ἄλλων ἀκροαμάτων. Ea tamen octo libris ab Eusebio Caesariensi ut fabulosa refelluntur [11]). Hic autem magia quam doctrina fuit clarior, cum velare sagarum in modum et vincula ferrea daemonum ope perrumpere consuesset, ac propterea Domitiani Augusti jussu depilatus ac nudus causam dicere coactus est, cum reus magicae impietatis argueretur [12]).

OCTAVIUS: Videtis tamen istius magi tantum valuisse miracula, ut aliquot saeculis pro Deo coleretur et Christianis objiceretur, Apollonium rerum gestarum miraculis longe superiorem Christo fuisse; fuit enim Christo [13]) fere aequalis aut non multo junior [14]).

SALOMO: Foecundissima profecto fuit aetas illa magorum ubertate et copia; nam praeter Apollonium peperit etiam Dositheum, Theudam, Judam Galilaeum, Simonem Magum, qui divinitatis nomina et opinionem sibi asse-

---

1) Deest alibi: non. 2) Alibi: etiam. 3) Alius: doctrina. 4) Desunt alibi haec quinque antecedentia verba. 5) Deest in aliis codicibus. 6) Alibi: consensione. 7) Alii: ipsius. 8) Philostratus Lemnius. Justinus Martyr qu. 245 ad orthodox. Hieron. ad Rufinum. 9) Alibi: tradunt. 10) Alii: ἀκροάματα. 11) Alibi: referuntur. 12) Alibi: teneretur, vel: haberetur. 13) Alius: Christi. 13) Alius idem: minor.

ruerunt [1]). Quin etiam in Arabia quidam magus [2]) cum se pro Messia ferens quam plurimos stupendis prodigiis ad se pellexisset, rex Arabum rogavit, quo miraculo se probare Messiam vellet: Caput meum, inquit, truncari jube, tum ni reviviscam, ne Messiam me arbitrere. Rex accepta conditione caput hominis spectante populo amputari jussit, nec [3]) revixit tamen.

CURTIUS: Tanta fuit amentia dicam an impietas multorum, ut non modo deitatis famam sibi vindicarent, verum etiam Deum ipsum de coelo praecipitem deturbare conarentur, ut olim conjurati coelum conscendere fratres. Quin etiam Heraclides Ponticus [4]) Pythiacos sacerdotes pecunia corrumpere non dubitavit, ut se Deum esse praedicarent, ac serpentem in feretrum, quo elatus est, imponi jussit. Sed fraude comperta, non qualem se vellet, sed qualis erat, judicatus est. Talem quoque fuisse tradunt Psaphonem Africanum [5]), qui aviculas haec verba proloqui docuerat: Psapho Deus est; deinde volare patiebatur. Sed omnes omnium fraudes Simon Magus superare videtur, quia portentis ac prodigiis famosissimus non modo a mortuis plures excitavit, sed etiam se ipsum in frusta concisum tertio die erexit, atque ita sublimis in aëra sublatus est, populo Romanorum ac principum spectante corona, eoque prorupit hominis istius impudentia, ut se Deum appellaret, ac in hunc mundum [6]) venisse jactabat, ut qui ab angelis corrupti [7]) fuerant, emendaret et eos, qui in se crederent, ab interitu sempiterno, non meritis cujusquam, sed sua gratia servaret.

FRIDERICUS: Qualem igitur exitum habuit, nisi quod ex aëre sublimi dejectus praecipiti casu crepuit!

SENAMUS: Si casu crepuisset, cur senatus populusque Romanus, cur collegium pontificum annuente imperatore statuas ei cum inscriptionibus divinis erexisset? Nam ejus statua inter utrumque Tiberis pontem, imperante Claudio Augusto, collocata hunc titulum prae se ferebat: Simoni Mago Deo, quam Justinus Martyr [8]) se vidisse confitetur. At in Deorum numerum nemo referri poterat sine senatusconsulto, ut Tertullianus de Christo scribit, scilicet Tiberium imperatorem ad senatum scripsisse, cum suffragio sui praerogativa, de Christo, ut inter Deos censeretur. Noluit Senatus vel quia non probabat [9]), vel quia pigebat, hominem Judaeum supplicio affectum in albo Deorum inscribi. Tiberius tamen, ut est apud Tertullianum, in sententia mansit. Ex quo intelligitur, Simonem Magum rerum gestarum et miraculorum stupendorum magnitudine Christo videri clariorem.

OCTAVIUS: Nemini dubium est, quin magus ille caeteros praestigiorum vanitate [10]) superarit, haec tamen omnia daemonum ope facta esse, quis

---

1) Alibi: asseverarunt. 2) Moses Rambam in epistola ad astrologos. 3) Alibi: non. 4) Laërtius in Heraclidis vita. 5) Clemens Alexandrinus, Irenaeus, Justinus Martyr. [Philosophumena Origenis. N.] 6) Alius: modum. 7) Alii: quae ... corrupta. 8) In apolog. I. 9) Alibi: nihil probaverat. 10) Alibi: varietate.

non videt? Nihil autem mirabilius videtur, quam a mortuis excitari [1]) et in sublime ferri, utrumque tamen necromanticis usitatissimum est. Nam Apollonius [2]) ab extrema [3]) Aethiopia et [4]) Nili fontibus Romam brevi delatus est, quo se imperatoris Domitiani jussu acciri sciebat, inde momento Corinthum et ex Smyrna [5]) Ephesum. Item Pythagoras [6]) a Thuriis Metapontum advolavit, nec aliam ob causam Romulus in Deorum numerum relatus est, quam quod in coelum, exercitu et senatu spectante, sublatus ab hominum conspectu disparuisset. Idem Aristaeo [7]) Proconnesio, idem Cleomedi Astypalaeo contigisse, veteres historici scripto prodiderunt [8]). Hos omnes sortilegorum impietate ac scelere obligatos fuisse constat.

CURTIUS: Ita quidem si daemonibus seipsos sponte [9]) mancipaverint, sed interdum divino concessu viri pietate atque integritate clarissimi exercentur et cruciantur, ut de Jobo dictum est, item de Christo, qui tametsi totius pietatis ac divinitatis exemplar esset, a daemone tamen in templi pinnaculum, inde in montem transvectus est, ut de illius virtute ac praestantia periculum proderetur; sed explorata Christi constantia, pietate, divinitate cacodaemon fractus discessit. Itaque Christus jam inquit [10]): Princeps mundi hujus ejicietur foras, nullum triumphum de me laturus.

CORONAEUS: Ut simia purpura induta, sic magus, qualemcunque se ferat, sibi semper similis futurus est. Nam Vespasianus imperator etiam arti magicae deditissimus fuisse dicitur et Christum imitari voluisse, in prodigio coeci a nativitate, cui visum dedit, oculis sputo ac luto leviter oblitis, spectante populi Alexandrini corona; sic enim Tranquillus et Tacitus historicorum probatissimi scripserunt [11]). His etiam artibus addictissimum fuisse Neronem Plinius scribit. Sed ad veram religionem dijudicandam argumentum certius nullum est, quam quod Gamaliel praescripsit [12]). Cum enim Christiani apostoli a magistratibus et pontificibus impietatis postularentur, quod Christo divinitatis aliquid tribuerent, Gamaliel ad populi concionem: Attendite, inquit, ad ea quae decreturi estis; antea exstitit quidam Theudas, qui cum multa de se jactaret ipso, 400 circiter discipulos ad se pellexit, non multo post tamen cum toto comitatu caesus est. Alius item impostor Judas Galilaeus, qui plebem aliquamdiu seduxerat, tandem cum suis omnibus prostratus est. Nolite igitur in homines istos saevire. Nam si est ab hominibus haec disciplina, brevi dissolvetur, si a Deo, frustra illius voluntati obsisteremus! Hac oratione persuasi ponti-

1) Alius: mortuos excitare. 2) Philostratus l. VI. 3) Pro his duobus verbis legitur alibi: ex. 4) Addit alius: a. 5) Alibi: exinde. 6) Dionysius Halicarnass., Livius, Plinius l. VII, Plutarchus in Romulo. 7) Alibi: Anithaeo. 8) Plinius, Hugo Floriacensis de comit. Martyr. 9) Alibi: sponte se. 10) Joh. 12, 31. 11) Tranquillus in Vespasiano: Tacitus histor. IV, 83. 12) Act. V, 34 sqq.

fices apostolos periculorum metu liberarunt. Quid enim profuit Apollonio, quid Simoni Mago, quid Cleomedi Astypalaeo, quod a mortuis se ipsos excitavissent? Quid [1]) Empedocli, quid Romulo, quod in coelum abrepti fuisse feruntur? Sed cum Christi doctrina toto terrarum orbe divulgata sit, ac jam saeculis amplius quindecim, renitentibus populis ac principibus, altissime radices egerit nec ullis suppliciis aut tormentorum crudelitate aboleri potuerit, nullis haereticorum innumerabilium flatibus everti, quis dubitet, quin omnium religionum optima sit ac divinissima?

SALOMO: Nihil renitente Deo fieri posse confido, nec dubito, quin omnes religiones, quae Deum auctorem non habent, tandem aliquando sint interiturae; sic enim majores nostri quasi communi consensu testatum reliquerunt.

SENAMUS: Adversus Deum immortalem nulla temporis diuturnitate praescribi potest, ut olim Themistocles Athenis [2]) ac M. Cato Censorinus pro concione populi Romani dixisse feruntur [3]). Nam qui sola vetustate ac diuturnitate religionis praestantiam metiuntur, paganorum religionem optimam esse declarant, cum jam inde usque a Belo et Nimrodo annorum fere quatuor millibus toto terrarum orbe claruerit [4]) atque his etiamnum temporibus apud Indiae populos orientales floreat. Illis enim sol, luna, sidera, ignes, boves, elephantes, statuae mortuorum hominum pro Diis coluntur. Nec ita pridem apud Americanos [5]) occidentalis Indiae populos altaribus daemonum homines mactabantur. Et quidem avorum memoria in Brasilia [6]) regione viginti amplius hominum millia eodem anno sacrificari visa sunt. Quo nihil usitatius Amorrhaeis et Ammonitis fuisse legimus, neque his tantum, sed etiam Latinis, Graecis, Germanis, Gallis, Afris. Ac tametsi Darius Persarum rex vetuisset edicto, Carthaginienses humana carne vesci et humanas hostias immolare; atque item eo foedere, quod Gelo percussit cum Carthaginiensibus ad Himeram [7]), uno capite cautum sit, ne Poeni deinceps humanas hostias sacrificarent, nihilominus cum ab Agathocle jussi [8]) essent, ut Deos sibi propitios redderent, ducentos nobilium liberos Diis mactarunt [9]). Ac ne Romani quidem ipsi ab humanis sacrificiis abstinuerunt, ante Cornelii Lentuli et P. Crassi consulatum. His enim consulibus cautum est, ne amplius humano sanguine litaretur. Galli vero non ante desierunt, quam dominatu Tiberii [10]), qui primus hoc vetuit. Si tanta impietas toto terrarum orbe, tot saeculis, religiosissima visa est, quis temporum diuturnitate religionis veritatem probari posse putet?

CORONAEUS: Paulatim haec impietas omnis sublata est et christiana

---

1) Omittuntur haec cetera interlocutoris verba in alio codice. 2) Alibi: Atheniensis. 3) Plutarchus in Themistocle et Catone Censorino. 4) Alibi: claruit. 5) Alius: Americos. 6) Alius: Messina, id quod forte emendandum esset: Mexicana. [N.] 7) Alius false: Smyrnam. 8) Alii: victi. 9) Justinus in historiis. Plinius h. nat. l. 7. Cicero pro Fontejo. 10) Addit alius: Augusti.

religio in utramque Indiam longe lateque dissipata, ut nunc iisdem finibus quibus solis cursus contineatur, quod verae religionis maximum est argumentum, i. e. catholicae Romanae ecclesiae, quam utraque India sponte suscepit.

CURTIUS: Optimae religionis argumenta posuimus in ecclesia vera, veris tabulis, veris oraculis, veris rationibus, vera pietate; non in temporis diuturnitate, aut immensitate regionum, aut ceremoniarum multitudine, aut numero Deorum. Ac forsitan cum utraque India commodius ageretur, si christianarum sectarum, quae plurimae sunt, simplicissimam ac purissimam, i. e. Helveticam, Hispani eo detulissent [1]). Praeclari quidem illi, quod deterrimas hominum mactationes sustulerunt, quod ἀνθρωποφαγίαν crudelissimam vetuerunt, quod execrandas inferias daemonibus fieri prohibuerunt, quod statuas daemonum dejecerunt, sed probare non possum, quod idola idolis commutarunt.

OCTAVIUS: Cum Franciscus Pizarrus intimos Indiae Peruvianae recessus nostra aetate penetrasset, incolae Deum praeter solem nullum fere adorabant [2]). Et cum Franciscanus quidam ad Christum oratione sua pertrahere Athabalibam [3]) regem et a cultu solis revocare conaretur, illudque saepius ingereret [4]), Christum pro generis humani salute mortuum esse, hic Athabaliba: Itane vos, inquit, Deum mortalem et supplicio crucis affectum colitis? At ego Deum illum immortalem ac sempiternum (solem indigitans) non suspensum adoro. Et quemadmodum post aeterni Dei majestatem nihil sole admirabilius in hac rerum omnium universitate, nihil praestantius, nihil divinius, non mirum est, si omnes ubique terrarum populi solem adorare necdum plane destiterunt [5]). Ac siquidem ulla idolatriae excusatio est, minus certe peccant, qui pulcherrimum illud divinae majestatis simulacrum, quam qui hominem mortuum adorant, ut Christiani; sed ab hac superstitione jam pridem Asia et Africa pene tota, magna pars Europae recessit, Muhammedis saniorem ac meliorem amplexata disciplinam, quae jam mille circiter annos floret et florebit aeternum. Quantum vero antiquitati religionum tribuere debeant Christiani, docuit religio antiquissima paganorum. Quis enim hoc tempore non admiretur, Jovem nescio quem Cretensium tyrannorum parricidiis [6]), incestibus, ac stupris delibatum hominem, toto [7]) terrarum orbe pro Deo, tot annorum millibus creditum atque adoratum fuisse?

SALOMO: Semper excipiendi sunt Israëlitae [8]), qui non solum monstrum illud scelerum, Jovem inquam, exsecrati, sed etiam eorum, qui in tanta superstitione acquieverant, miserti pro iis in templo sacratissimo quantum licuit expiaverunt apud Deum immortalem, quem unicum ab orbe condito ad haec usque tempora colendum nobis majores nostri proposuerunt. Ex

---

1) Alibi: deduxissent. 2) Alius: nullum coluerunt. 3) Alius: Atabalippam. 4) Alius: urserit. 5) Alibi: desierunt. 6) Desunt sex haec sequentia verba in alio codice. 7) Idem alius: isto. 8) Alius: excusandi .... Ismaëlitae.

quo intelligitur, Israëlitarum [1]) religionem antiquitate, veritate, constantia, caeteris [2]) omnibus longe superiorem esse, quae nec Jovem nec Christum nec Muhammedem, sed Deum aeternum sui auctorem habet. Quam quidem religionem olim amplexaturi sunt omnes terrarum populi, ut Deus ipse apud Jesaiam contestatur, gentes omnes tandem aliquando sacra facturas Deo Israëlis [3]).

FRIDERICUS: Putasne, Salomo, Deum immortalem tot annorum millibus passurum fuisse, ut Christus ab omnibus pro Deo coleretur, nisi Deus esset?

SALOMO: Eadem ratione atque iisdem argumentis daemonum atque demortuorum hominum cultus in Deum regeri oportebat, si temporum diuturnitate ac decursu [4]) annorum veritatem religionis metiri fas esset. At istam impietatem Deus clara voce exsecratur: Perditio, inquit [5]), tua ex te, salus autem ex me est, Israel! [6]).

TORALBA: Exitium hominum hominibus ipsis, non creatori tribuendum sic interpretor, quod homines a lege naturae, quae unius aeterni Dei cultum continet, sponte discesserunt et errore cognito ad officium revocari non patiuntur. Et quidem intuenti mihi Christianorum cum Ismaëlitis et paganorum inter ipsos infinitam prope sectarum varietatem, nulla veritatis certior norma videtur, quam recta ratio, i. e. suprema naturae lex [7]) hominum mentibus ab immortali Deo insita, qua nihil stabilius, nihil antiquius, nihil melius fieri ac ne cogitari quidem potest. Et cum hac lege naturae ac religione vixerunt [8]) Abel, Sethus, Henochus, Noëmus, Jobus, Abrahamus, Isaacus, Jacobus, qui summam pietatis, integritatis ac justitiae laudem gravissimo testimonio Dei aeterni, quem unum coluerunt, retulerunt [9]), ea inquam religione nullam ex omnibus video meliorem et antiquiorem.

CURTIUS: Si naturae leges sequimur, christiana religio maxime omnium naturae consentanea videri debet, quia non alium nobis ad colendum et imitandum proponit, quam Deum illum aeternum, mundi parentem, qui ad salutem hominum hominis naturam assumserit.

CORONAEUS: Video nos ad quaestionem, quam pridie hujus diei proposueramus, de unione et conjugatione utriusque naturae, scilicet divinae et humanae, sensim delapsos [10]), quae propter argumenti dignitatem diligenter a nobis est explicanda.

TORALBA: Sed priusquam de utriusque naturae, divinae et humanae, conjunctione disseramus, explicandum illud est, an necesse fuerit ad humani generis salutem, Deum aeternum carne convestiri? Nam si nihil necesse fuit [11]), longe facilior est exitus disputationis de unione utriusque naturae.

---

1) Alius idem: Ismaëlitarum. 2) Alius: veteribus. 3) Jesaiae 60, 1 sqq. 66, 23. 4) Alibi: discursu. 5) Hos. XIII. 6) Deest hoc verbum in aliis. 7) Alibi: lege. 8) Alibi: vixerint. 9) Alius: consecuti. 10) Alibi: dilapsos. 11) Alibi: non necesse fuerit.

FRIDERICUS: Cur facilior?

TORALBA: Quia nihil statuendum est in natura universitatis, quo non [1]) posito nihil perfectionis desit universitati ac summae felicitati [2]). At [3]) nihil perfectionis vel summo bono vel universitati deerat, antequam Deus hominem, ut vultis, induisset. Igitur Deus frustra sanguine concretum hominis exuvium induisset, quia nihil erat necesse. Pluralitas enim natura nunquam admitti debet, nisi necessaria. Illud autem in universa natura perpetuum est, nec deesse necessaria, nec abundare superflua.

CORONAEUS: At prius Toralba demonstravit, potestatem divinam ita liberam esse, ut nulli subjungatur necessitati [4]). Potuit igitur Deus ea, quae non fuere necessaria, facere [5]), itaque restaret illa quaestio: an Deus voluerit [6]), quod potuit.

TORALBA: Deum noluisse personam divinam producere [7]) argumento efficacissimo planum est, quod scilicet creatura sola potest esse et non esse, non item persona divina, quae ab aeterno tempore fuit, ante id omne, quod esse potuit. Igitur Dei voluntas fuit producere creaturam tantum, non etiam personam divinam increatam [8]), quia theologos inter ipsos illud convenit, duas tantum personas productas ab una producente ut [9]) ab auctore. Quod argumentum ut declinarent quasi scrupulum [10]), necessariam productionem in Deo acutissimi quique theologi posuerunt [11]).

CURTIUS: Ista quidem nimis argute ac subtiliter, cum arcana Dei inquiri quidem, non tamen inveniri possint nisi ab eo, cui declaraverit [12]) Deus ipse [13]). Sed ex iis, quae facit opifex, satis intelligitur, quid voluerit [14]). Itaque magister sententiarum [15]): Pater, inquit, in divinis genuit filium, non necessitate, cum non cadat in Deum necessitas aut coactio, non voluntate, cum [16]) non cadat in Deum mutatio: dicitur tamen Deus genuisse filium voluntate praecedente aut antecedente, quasi prius voluerit [17]) aut postea genuerit, ut haeretici posuerunt. Haec ille.

TORALBA: De duobus tamen alterum [18]) necesse est, quia tertium nihil est ac [19]) ne cogitari quidem potest, quin [20]) personarum productio divina quadam voluntate aut necessitate facta sit. Quod si neutrum exsistit [21]), sequitur, nullam in essentia divina, sui natura simplicissima, personarum productionem esse potuisse.

FRIDERICUS: Omissa divinae potestatis ac voluntatis disputatione, quae mentis humanae imbecillitatem excedit, his utamur rationibus, quae ad

---

1) Deest in alio codice. 2) Aristot. libr. 1. phys. 3) Alibi: Ut. 4) Alius: potestati. 5) Deest in alio codice. 6) Alius: noluerit. 7) Desunt in alio codice proxima haec triginta sex verba. 8) Addit idem codex: corpus creatum assumere patet. 9) Alius: et. 10) Alius: scopulum. 11) Scotus quaest. 6 in prolegom. sentent. l. 1. 12) Alius: declaravit. 13) Rom. 5 et 9. 14) Alibi: noluerit. 15) Lib. 3 distinct. 6. 16) Desunt sequentia haec duodecim verba in alio codice. 17) Alibi: noluerit. 18) Alii: alterutrum. 19) Alibi: at. 20) Alius: quam. 21) Alii: exstitit, vel: sit.

humanum captum propius accedunt [1]). Si cuiquam obtigerit ea facere, quae uni tantum Deo conveniunt, hunc profecto Deum esse fateamur. At uni mortalium omnium, Christo, obtigit aequalis Deo potestas, essentia eadem, summa [2]) sanctitas, admirabilis sapientia, bonitas infinita. Hunc [3]) igitur Deum confiteri oportet.

TORALBA: Si verum antecedens, profecto necessarium erit consequens. Sed illud assumitur, quod concludi oportet. Itaque a destructione antecedentis sequitur ruina consequentis, quoniam creatura creator esse non potest, igitur Christus, cum verus homo, vera creatura fuerit, sui ipsius creator esse non potuit. Neque enim natura permittit, neque ratio admittit, ut, qui ab alio est, sit idem ipse, a quo est. At Christus est creatura tum ratione carnis, quia conceptus in utero foeminae, tum ratione animae creatae, ut Christiani theologi confitentur, tum ratione productionis secundae personae, quae primam sequatur necesse est. Non potest igitur idem, qui creatus est, creator esse, et quemadmodum caetera quidem, quae lucida sunt, ab ipsa luce solis splendorem ac lucem habent, nihil tamen horum aut lux aut sol esse potest: sic etiam angeli, sidera, mentes humanae virtutis ac lucis intellectualis participes sunt, Dii tamen ut sint, nullo modo fieri potest, quia principium aliud suae originis habent. Sic enim Plato divinus a solis, Dionysius ab ignis similitudine ad Dei cognitionem quodammodo manuduci rectissime judicarunt.

FRIDERICUS: Quis ambigit Deum, quatenus creator sit, creaturam esse non posse, sed quoniam in uno Christo natura duplex est, etiam in eo contradictoria simul vera sint oportet, ratione diversâ. Christus, inquit Damascenus [4]), est creatus et increatus, patibilis et impatibilis, creator et creatura propter idiomatum communicationem.

CORONAEUS: Labyrinthum inexplicabilem video nos subire ac prope dixerim praecipitium profundum. Melius enim ex ipsius Christi actionibus, qui qualisque fuerit, quam ex argutiarum subtilitate intelligitur, i. e. ex vitae instituto, sanctitate, doctrina, miraculorum stupendorum multididudine atque ex ipsius Dei immortalis testificantis voce, quae mortalium nemini contigisse videmus.

SALOMO: Quae fuerit vitae sanctitas in Christo, quis affirmare potest, cum ex apostolorum scriptis appareat [5]), illum cum sceleratis et meretricibus familiare contubernium [6]) habuisse. Et quidem Origenes scribit [7]), hanc Celsum scribendi occasionem adversus Christianos arripuisse, quod Barnabas Christi discipulus in epistola quadam ad catholicos diceret, Christum discipulos sceleratissimos ac nequitia ipsa nequiores sibi ascivisse. At sapientum omnium summa confessione nihil gravius praecipitur [8]), quam a sceleratorum

1) Alibi: accedant. 2) Alibi: divina. 3) Alius: Tunc. 4) Ep. 50 et 97. 5) Matth. 9 et 11. Marc. 11. Luc. 5. 6. 15. 19. 6) Alius: commercium. 7) Libr. 1. contra Celsum. 8) Eph. 5. Rom. 1.

consensu, contubernio, convictu quam longissime recedere, quod psaltes lyricus principio laudationum: O beatitudo, inquit [1]), illius qui non abiit in consilium impiorum et in via peccatorum non stetit et in consessu derisorum non assedit [2]).

CURTIUS: Id quidem crimini dabatur Christo, quod cum flagitiosis ac sceleratis conversaretur, quam criminationem honesta oratione refellens [3]): Non veni, inquit, vocare justos, sed peccatores. Quam vero innocenter vixerit, satis Pilatus Pontius praeses declaravit, cum diceret, nullam sibi accusationis causam compertam esse, quam ob rem illum damnaret [4]), dicitur tamen verberibus caesum populo ad spectaculi fructum exhibuisse, ut quacunque ratione accusatores ad commiserationem excitaret. Quod cum obtinere nequiret, majestatis crimen, quod sibi propter Christum ingerebatur, metuens, tandem morti addixit.

OCTAVIUS: Ita quidem theologi christiani, sed in eo peccant, quod non intelligunt, Romanorum moribus supplicio affici consuevisse neminem [5]), quin prius verberibus ac fustibus caederetur. Prodigia vero Christi tribus fere generibus continentur, scilicet resuscitatione duarum foeminarum, (nam de Lazaro nemo praeter Johannem testificat), ejectione daemonum et curatione aliquot morborum. Postremum est, quod super aquas deambulasse et in coelum abreptus esse dicitur.

SENAMUS: Omittis, Octavi, primum omnium ac solenne prodigium [6]) μεταμορφώσεως aquae in vinum, cum exhaustis cantharis reliqui nihil esset.

SALOMO: Commodius mihi facturus fuisse videtur, si ad sobrietatem convivas assuefecisset. Haec omnia tamen atque his multo plura Simonem Magum, Apollonium et innumerabiles id genus facere ac saepissime ex aridis stipitibus vinum forma, colore, odore, sapore elicuisse. Galenus vero, ubi agit de hermetica medicatione, miratur, quamplurimos curari aliter non posse, quam si certissimam habeant fiduciam salutis, qui curari cupiant. His enim verbis utuntur sortilegi: Crede et sanaberis, fides tua te salvum fecit [7]).

CURTIUS: Inanes et pudendas Judaeorum calumnias, qui Christum daemonis ope et opera uti criminabantur, efficacissimis argumentis refutans ipse: Si a daemonibus, inquit [8]), daemones fugerentur, daemonum vim atque potentiam brevi ruituram videretis, non aliter quam familiae et imperia quaeque maxima bellis intestinis collapsa dissipantur.

SALOMO: Argumentum istud levissimum esse experientia diuturna saepissime comprobavit. Nihil enim frequentius, quam a daemonibns obsessos

---

1) Psalm 1, 1. 2) Alii: cedit, vel: stetit. 3) Matth. IX., 13. Luc. V. VI. XV. XIX. 4) Joh. XIX, 8 sqq. 5) Dion. Halicarn. l. II. VI. et VII. Tranquillus in Nerone. 6) Joh. 2, 1 sqq. 7) Matth. 9, 22. Marc. 5, 34. 10, 52. Luc. 7, 60. 8, 48. 17, 19. 18, 42. 8) Matth. 9, 33 sqq.

magorum verbis liberari, aut levi contactu, aut circulo in fronte descripto, aut susurro in aurem illato. At saepius daemones obsistere aut reniti simulant; sed Polycrates [1]) hanc simulationem refutans: Mali daemones, inquit, faciunt sponte, quod inviti facere videntur, et simulant se coactos vi exorcismorum, quos fingunt in nomine trinitatis, eoque illudunt [2]) hominibus, donec crimine sortilegii poena damnationis involvunt. Haec ille. Item Leo Afer de magis Africanis scribit, saepissime daemones a sortilegis fugari circulo in fronte. Quanquam daemonum ejectiones plus nocuisse, quam profuisse videmus. Ut cum daemones e corporibus exirent, misit eos Jesus in greges porcorum, quos daemones eodem momento praecipites egerunt in aquas, non sine magno domesticae rei ac publico detrimento. Non aliter dives quidam nobilis sortilegus apud Anglos, cum in Belgio Hispanum daemoniacum liberaret, misit in armenta boum, quae seipsos mutuis vulneribus contrucidarunt, pastoribus etiam occisis, deinde a magistratu ad supplicium conquisitus disparuit.

FRIDERICUS: Sed Christus vitae sanctitate ac integritate mirabili omnes omnium criminationes facile refellit, quanquam Josephum, Mathatiae filium, testem omni exceptione majorem, rejicere non possunt, sic enim de Christo scribit: quasi de homine sapientiae studiosissimo, si hominem appellare fas est.

SALOMO: Caput illud Josepho tributum est, sed adjectitium esse et brevitas ipsa et scribendi ratio docet. At Josephus, Gorionis filius, qui eandem quam ille historiam scripsit et iisdem temporibus, ne verbum quidem ullum de Christo, quia scilicet hebraice scripsit, nec Latini potuerunt, nec Graeci hebraicae veritatis fidem imperitia linguae hebraicae violare.

TORALBA: Quando curationes morborum, ejectiones daemonum, suscitationes mortuorum, volatus in aëre sublimi caeteraque id genus sortilegis usitata sunt, non modo ad deitatis probationem, sed etiam ad impietatis conjecturam magnum habent argumentum.

OCTAVIUS: Ismaëlitae Christo non deitatem quidem, sed divinitatem tribuunt, ut Mosi, Heliae, Samueli, quin etiam his omnibus et Mahummede majorem fuisse summaque vitae sanctitate, doctrina singulari ac pietate floruisse confitentur.

CURTIUS: Quae igitur pervicacia est, quem tot ac tantis virtutibus, tanta divinitate claruisse, quem denique Messiam fuisse fatentur, eidem eripere deitatem. Illud enim verissime mihi videor esse dicturus, Christum edicto omnium brevissimo principum ac magistratuum omnium edicta, decreta, leges complexum fuisse, hoc scilicet [3]): Alteri ne feceris, quod tibi fieri nolis. Quod Alexander Severus imperator tanti ponderis ac momenti ex-

---

1) Lib. II, c. 14. 2) Alius: tradunt. 3) Luc. 6. 31 (Matth. 7, 12).

istimavit, ut pro edicto perpetuo promulgari juberet [1]). Ac primus quidem exstitit, qui Christum in larario sibi proposuit pro Deo colendum.

CORONAEUS: Quanta vis esset doctrinae Christi, imperator ille declaravit; cum enim educatus esset una cum Heliogabalo sobrino et cum eo simul adolevisset, hic tamen flagitiorum ac foeditatum omnium sentina, ille virtutum omnium heroicarum singulare decus.

SENAMUS: Si Alexander huic edicto paruisset, neminem meritis suppliciis affici pateretur, nec lictores judicata exsequerentur, quia nec judices nec lictores se crucibus affigi [2]), ac ne verberibus quidem caedi vellent. Consimile aliud edictum Christi: Quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, eadem facite illis [3]). Opes enim et honores sibi tribui ac suis voluptatibus ab omnibus indulgeri cupiunt omnes, quibus tamen sine flagitio et scelere obsequi nemo potest.

CURTIUS: Vetant leges [4]) legibus fraudem fieri, ac verborum apices consectando [5]) in contrariam sententiam detorquere et, quae de virtutibus dicuntur, ad vitia convertere.

FRIDERICUS: At illud quanti est, quod Christus unus inter tot et tam multos legislatores, principes, philosophos ab omni injuriarum ultione non tantum abstinere, verum [6]) etiam pro inimicis vota facere suasit [7]).

SENAMUS: At Davidem locis omnibus ac prophetas ipsos inimicis mala omnia precari videmus. Aut igitur Christus, aut illi gravissime peccant, qui tam contraria edicta fingunt, quae nulli theologi conciliare queunt. Quis autem tot et tam multos prophetas impietatis accuset? Sic enim David adversus inimicum: Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris, cum judicatur exeat condemnatus, et oratio ejus fiat peccatum. Fiant filii ejus orphani et uxor ejus vidua, et non sit qui miseretur pupillis ejus, et in una generatione exscindatur nomen ejus! Et ad extremum illud subjicit: Haec merces eorum, qui detrahunt mihi [8]).

SALOMO: Certe Davidem ac prophetas de hostibus Dei potius, quam de suis ultionem reposcere videmus. Surge domine, inquit Moses, et dissipentur hostes tui! [9])

SENAMUS: Hic quidem aperte contra hostes Dei, sed infinitis prope locis prophetae suorum hostium interitum cupidissime expetunt, ut superiore psalmo, postquam execrabilem in modum inimicis imprecatus esset: Haec merces, inquit, eorum qui detrahunt, non qui Deo, qui Christo detrahunt, sed mihi.

SALOMO: Nemini dubium est, quin prophetae sanctissimi ac summae pietatis et integritatis viri perniciem suis inimicis optent ac precentur, non

---

1) Lampridius in Alex. 2) Alii: affici. 3) Matth. VII, 12. 4) Alibi: Jurisconsulti. 5) Alius: consecando. 6) Alii: imo, vel: sed. 7) Matth. V, 44. Luc. VI, 27. Alibi: jussit. 8) Num. X. fin. Ps. 47. 9) Psalm. 68, 2. Numer. 10, 35.

aliam ob causam, quam ut doceant ab omni injuria atque ultione esse abstinendum, et uni Deo ultionem relinquendam; vetat enim lex divina privatas injurias ulcisci, sed earum ultionem Deus ipse deposcit. Est autem ejus orationis, qua ultionem a Deo repetimus, haec utilitas, ut illum integritatis ac innocentiae testem habeamus et ab injuria inferenda ultionis specie abstineamus [1]). Quoniam, inquit Hieremias, ultio Dei est [2]). Sed ferendum non est, quod Lucas [3]) divinae legi fraudem facere videtur his verbis: Dictum est antiquis, diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum [4]). Haec postrema verba nusquam in lege divina aut ullis prophetis reperiuntur, sed interdictum plane contrarium. Ne oderis, inquit lex [5]), odio intestino quenquam, sed aperte illum increpa. Item: Ne sis injuriarum memor, ne ulciscare te ipsum. Nec vero est majus et melius antidotum adversus vindictae furentis libidinem et ultionis cupiditatèm, quam [6]) in ipsius Dei sinum effundere totam, qui nullam nisi justissimam ultionem accepturus est. At novus legislator, ut legibus divinis derogaret: Si quis, inquit [7]), maxillam dextram palma caedat, obvertito illi sinistram, et ei qui tunicam rapuerit, concedito quoque pallium, nec vim vi repellas, quod tamen omnibus divinis et humanis legibus semper licuit ac licebit, vim injustam a capite honesta ratione propulsare. Illud etiam minus ferendum, qui proximum appellaverit fatuum, reus sit incendii gehennae [8]); quae interdicta non modo sapientibus, sed etiam Juliano imperatori [9]), qui religionem christianam a se desertam oppugnavit, tam absurda visa sunt, ut ea libris provulgatis omnino repudiaret. Nam si legibus istis, quas christiani principes ac magistratus jam pridem valere jusserunt, ulla vis esset, nusquam innocentiae contra vim improborum locus relinqueretur, sceleratis in bonos omnia, bonis contra in sceleratos nihil liceret.

SENAMUS: Longissime abest Aristoteles [10]) ab illa Christi sententia, quin etiam scribit, eos, qui ultionem non [11]) reposcant, sibi ipsis injuriam inferre.

FRIDERICUS: Julianus quidem apostata nimis impudenter ac impie Christi doctrinam calumniatus est, cum diceret: Latronibus ac sicariis impunitatem a Christo proponi, nec cuiquam ullos hostium impetus propulsare licere. Aliud enim est, officia perfecta tradere, aliud mediocritatem [12]) officiorum tueri. Quis enim legibus omnibus se innocentem profiteatur? Et ut sit aliquis, quam augusta est innocentia, ad legem bonum esse [13]), quam multa pietas, humanitas, justitia, fides exigunt, quae extra tabulas publicas

---

1) Levit. 19. Deuter. 32. Ezech. 9 et 25. 2) Jerem. 50, 15. 3) Apud Matthaeum potius reperiuntur haec verba. 4) Matth. 5, 43 sqq. 5) Levit. 19, 17. Ezech. 9 et 25, 10 sqq. 6) Alibi: sed. 7) Matth. V, 39 sq. Lucas VI, 29. 8) Matth. V, 22. Lucas VI. 9) Apud Cyrillum. 10) L. V. Ethic. 11) Deest in alio codice. 12) Ita omnes. 13) Seneca l. II de benef.

sunt. Nam vim illatam vi propulsare, bestiis quidem est, et eorum qui ab ira sibi nequeunt temperare, sed patienter injuriam ferre ac pro caedentibus vota facere, consummatae et perfectae justitiae est, quam Christus, Davide et prophetis omnibus superior, hominum generi patefecit. Id autem planum facit oratione sua Jobus [1]). Cum enim multa de sua justitia dixisset, illud etiam [2]) subjecit: Si gaudium, inquit, percepi ex infortunio inimici mei et exsultavi cum malum ei obvenisset; sed ne verbo quidem malum ei sum imprecatus [3]). Haec illa est consummatae justitiae summa laus, quam Jobo Deus ipse gravissimo testimonio tribuit.

CORONAEUS: Haec certe disciplina Platonis decreto quodammodo congruit. Sic enim Plato: μᾶλλον ἀδικεῖσθαι ἢ ἀδικεῖν. Tritum est illud: Parum abest, quin Academici fiant Christiani! Neque tamen si quis pallium eripienti tunicam non concesserit, reprehensione dignum putaverit legislator Christus, cujus doctrina, non edicta prodita sunt, sed prius jacturam vir integerrimus patietur, quam ictibus aut litibus experiatur. Ex quo intelligitur, Christi doctrinam non vulgarium philosophorum ac legislatorum, sed consummatae sapientiae et integritatis verum archetypum esse.

OCTAVIUS: Demus illud, quod Salomo non concedit, Christi doctrinam eximiam, vitam sanctissimam, clarissimam nominis sui famae existimationem, miranda denique non magica, sed plane divina fuisse. Demus etiam id quod Azora quarta scriptum est, Christum pro caeteris omnibus prophetis spiritum clarissimum ac divinissimum habuisse, haec tamen omnia cum in hominem cadere possint, non video quid sit, quamobrem Deum fateri debeamus. Et quidem multo clariores fuere tum doctrina, tum vitae sanctitate, tum miraculis Moses, Helias, Samuel, Josua, qui non haec terrestria Christi miracula magorum [4]) fere communia fecerunt, sed qui maria diviserunt, fluminum cursus cohibuerunt, coelum quominus plueret clauserunt, clausum precibus aperuerunt, solem ac lunam [5]) suis sedibus immobiles reddiderunt; Helias item et Henochus non dubia testium fide post mortem, sed ante mortem divina potestate ab hominum conspectu abrepti fuerunt, quos tamen pro Diis habere ac colere impietatis esse Christiani confitentur.

CURTIUS: Christum prophetas istos longissimo intervallo superare, argumentum est illud potissimum, quod omnia omnium prophetarum oracula in Christum ut in scopum diriguntur, nec magis illi coelestia prodigia quam Mosi, quam Josuae, quam Heliae defuerunt. Quin etiam in illa visione montis Thabor Moses et Helias hinc et illinc triumphanti Christo adstiterunt [6]), quibus praesentibus Dei vox audita de coelo est: Hic est filius dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite! Cum Heliam et Mosem jubet audire Christum, an illis exaequandum aut comparandum

1) Alii: Job. 2) Alius: enim. 3) Jobi 31, 29. 4) Alii: majorum. vel: majores. 5) Additur alibi: horas. 6) Matth. 17, 1 seqq.

putavit? Jam vero cui mortalium unquam morienti sol mori et obscurari amisso splendore visus est, nisi Christo, neque enim per naturam id fieri poterat, cum in ipso meridiei momento id contigerit, luna e diametro soli opposita, ut verissime dictum sit a Dionysio Areopagitarum senatore: aut Deus naturae patitur, aut naturae ruinam minatur! Hujus autem eclipseos admiranda prodigia Phlego Trallianus Adriani Caesaris libertus 4 anno 220 [1]) Olympiadis, i. e. 18 Tiberii Augusti contigisse scribit. Quibus ea confirmantur, quae Matthaeus 27, Marcus 15, Dionysius Areopagita in epistolis, Eusebius historicus in demonstratione evangelica, demonstratione undevigesima, Origenes contra Celsum, Suidas in verbo Dionysius, Tertullianus in Apologetico de solis illius deliquio meridiano scripserunt.

SALOMO: Ut apotheosin Thaboritanam illam, non satis dignam quae refelli mereatur, omittam, graviter peccatur in historiam ab illis solaris deliquii inventoribus; annus enim 4. Olymp. 220 [2]), quem Phlego notavit, penultimus est Neronis, Silio Nerva et Julio Attico consulibus, 32 circiter annos post Christi supplicium, ut ex ipsis Romanorum fastis et Olympiadum circulis, quae M. Varro, Dionysius Halicarnasseus, Cuspianus, Sigonius, Onuphrius, Mercator, Funccius summa cura ac diligentia sic conjunxerunt, ut neminem dubitare patiantur. Hanc autem Phlegonis eclipsin, quae post annos 32 [3]) contigit, cum Christus mortuus est, ordinariam ac naturalem in synodo solis ac lunae, non in objectu, quod isti volunt, secuta est, clades illustrium senatorum, quos Nero interfici jussit, Thraseam, Senecam, Pisonem, caeteros et parricidia matris et utriusque uxoris, paulo post civilia bella ac tres eodem anno imperatores Romanorum [4]). Illud etiam ad errorem istorum convincendum accedit, quod solem in piscium sidere tunc fuisse tradunt, id quod fieri nullo modo potuit, cum paschalis victima nunquam immolaretur, nisi luna 14. mensis Nisan, quo sol sidus arietis subire solet [5]).

CURTIUS: Cur igitur Dionysius Areopagita ad Polycarpum scribens Apollophanem sophistam coarguit his verbis [6]): Nescio, inquit, quo spiritu afflatus ad divinationem prorupisti, Apollophanes, quod una mecum aspiciens eclipsin solis, contra naturae ordinem, tempore Christi patientis, conversus ad me dixisti: hae praclarae sunt vicissitudines rerum divinarum!

TORALBA: Omissa temporum ac scriptorum controversia rationibus perspicuis inquiramus, Christus Deus sit necne? Nam si generis humani auctor est et servator, profecto Deum esse oportet. Si Deus non est, ne hominum quidem servator esse potest.

CURTIUS: Necessarium profecto argumentum, quo argute refelluntur

---

1) Alius: 240; alius: 210. 2) Alius: 200; alius: 210. 3) Alius: 35. 4) Alius: ac trium eodem anno imperatorum Romanorum. 5) Exod. 12, 6 sqq. 6) Dionys. epist. 7.

Ariani, qui si quem generis humani servatorem confitebantur, eundem tamen Deum esse negabant.

SALOMO: Nihil saepius in sacris litteris admonemur, quam ab unius aeterni Dei potentia salutem pendere omnium [1]: Ego Deus aeternus et praeter me non est alius. Item: Redemtor noster Jehovah, Zebaoth nomen ejus. Item: Ego Deus aeternus solus salvator, qui solus mortem inferre et a morte solus eripere possum, nec alius est a me. Item: Ego Deus aeternus, qui deleo iniquitates tuas propter me. Non dixit: propter Jesum filium, supplicio afficiendum, aut: propter Messiam futurum, illud autem ineffabile et sacratissimum numen יהוה aeternus nulli creaturae communicabile esse, utriusque religionis theologi confitentur. Si ergo servatoris dignitas ei congruit [2], cui nomen illud sanctissimum divina lege tributum est, quonam modo illud mortali [3] creaturae conveniret?

FRIDERICUS: At illud ipsum nomen Jesus seu Jehovah [4] servatorem significat, eique maxime datum est, quia genus humanum servaturus esset, itaque Paulus non obscure aut ambigue scripsit, uni Christo inditum esse nomen Jesu [5], quo audito [6] omne genu flectatur coelestium, terrestrium ac infernorum. Item [7]: Non est aliud sub coelo nomen datum hominibus, in quo oporteat servari. Item tanto praestantior angelis, quanto excellentius est nomen adeptus.

SALOMO: At quid ista? Cum nomen Jesu et Jehovah [8] vulgaria sint ac communia, nusquam tamen ineffabile nomen יהוה? Itaque argutus quidam theologus [9] christianos veteres magistros jure coarguit, quod illa verba: Non est aliud nomen sub coelo etc., sic interpretantur, ut servandi majestas inter creaturas soli Christo conveniret: Quoniam, inquit, homines in coelum conscendere nequeunt. Quae reprehensio probabilis est, nec tamen reprehensioni congruit solutio, sed quia incongruum est existimare, vim et praestantiam generis humani ulli creaturae communicari posse, cum soli Deo tantum conveniat. Petrus autem in concione populi Christum a Deo factum praedicavit [10]. Clemens etiam, proximus Petri successor in eodem pontificatu, de quo Paulus ipse laudabile testimonium tulit, librum promulgavit, qui ἀναγνωρίσμος inscribitur, ubi Jesum creatum fuisse scribit, Eunomium secutus.

CURTIUS: Jesum etiam [11] creaturam fuisse fatemur, quatenus corpore ac mente constat, conceptum in utero virginis, genitum, educatum, mortuum,

---

1) Jesaiae 30 et 42. Jerem. 43. 45. 47. 31. 32. Genes. 16. Exod. 6. 20. 29. Psalm. 7. 49. Ezech. 32. 2) Rabhi Moses l. 2. Calvinus c. 1 harmon. in Psalm. 63. 3) Alibi: divinae. 4) Jehosua. 5) Luc. 1. 2. Phil. 2, 10. 6) Alibi: edito. 7) Acta 4, 12. Hebr. 1, 4. 8) Jehosua. 9) Calvinus in c. 14. 12 Actorum. 10) Actorum 4, 10 sqq. 11) Alibi: quoque.

sepultum, neque quatenus est creatura servator dicitur, sed quatenus creator. Tametsi ad pariendam hominibus salutem humano corpore usus est. Ac tametsi Deus simul et homo sit, non tamen divina essentia cum humana mente confusa est, neque alteri naturae altera concreta aut mista [1]), sed quodammodo utraque utrique copulata sub unam et eandem Christi hypostasin.

SENAMUS: Dubitavi saepe, quid esset, quam ob rem Petri Lombardi aetate verum erat hoc enunciatum [2]): Deus assumsit humanam naturam ut indumentum; nihilominus tamen falsum et haereticum postea esse coepit, quia indumentum corpori non copulatur, at humanam naturam divinae copulari credunt.

TORALBA: Nulla dualitas, inquit Dionysius, principium esse potest, sed et unitas dualitatis initium est [3]). Quod si utraque natura, scilicet divina et humana, non est in unum et idem concreta, nec altera penitus ab altera discreta, certe copulata dualitas erit, cui opus est vinculo quodam ac nexu, quoniam illae duae naturae majore intervallo a se invicem distant, quam contraria, quae sub eodem genere continentur. At infinitum et finitum eodem genere coërceri nequeunt nec ulla copula possunt uniri. Nam eorum, quae uniuntur, ratio quaedam est, infiniti autem in finitum nulla, ex quo sequitur, utramque naturam ab utraque avulsam esse. Nam si utraque confusa esset, utramque perire oporteret, ac tertium quoddam ex utraque constituendum, ut superius demonstratum. Quodsi natura divina simplicissima est, nullam omnino compositionem ferre potest, alioquin ajentia et negantia simul esse vera aut simul esse falsa oporteret de una et eadem re.

FRIDERICUS: Utramque naturam uniri docuit Christus, cum diceret: Ego et pater unum sumus [4]).

OCTAVIUS: Ariani dictum illud ad concordiam et mutuum utriusque consensum pertinere contendebant, ut illud quoque [5]): Pater, da ut sicut ego et tu unum sumus, ita isti in nobis unum sint; alioquin apostoli ipsi Dii fuissent. Item illud: Qui plantat, et qui rigat, unum sunt. Item [6]): Qui adhaeret domino, unus spiritus est. Quam Arianorum interpretationem etiam christiani theologi probant.

SENAMUS: At Hilarius nos ipsos cum Christo unum et idem esse affirmat, non tantum adoptione et consensu, sed etiam naturâ.

CURTIUS: Ea sententia omnium judicio repudiatur, omnes enim Dii essemus et impeccabiles, si ejusdem naturae et essentiae cum Christo.

CORONAEUS: Id quidem plerique arbitrantur fieri assumtione cor-

---

1) Alius addit: nec tamen omnino altera divulsa. Alibi pro mista legitur: infinita; pro divulsa alibi: dimista. 2) Scotus l. III. dist. dicit, hoc enunciatum haereticum esse coepisse post Lombardi aetatem. 3) Desunt haec sex antecedentia verba in uno codice. 4) Joh. 10, 30. 5) Joh. 17, 20 sq. 6) 1 Corinth. 6, 17.

poris Christi sacramenti ope, cum ejus caro et sanguis cum nostra miscetur, mens etiam ejus et divinitas credentibus communicatur [1]).

TORALBA: Non capio, quaenam unio creatoris cum creatura fieri possit, cum Dei natura simplex et incorporea sit, non multa nec multiplex nec mutabilis. Quid si multiplex non sit, quomodo triplex erit? Nam quicquid cadit in naturam, scindi necesse est. Aut enim, inquit Evagrius, natura patris, filii et spiritus sancti simplex est aut composita; non hoc, illud igitur. Si simplex, numen etiam expers est.

CORONAEUS: Nemo Deum triplicem esse putat, trinum quidem in unitate et unum in trinitate fatemur, triplicem aut duplicem negamus.

TORALBA: Si trinitas est in divinitate, pluralitas est in deítate, numeralis enim distinctio, non essentialis, quia posito binario, non sequitur ternarius. Quare distinctio numeralis, cum ab unitate receditur, efficit deitatis divisionem, et compositio numerosa corrumpit simplicitatem deitatis. Illud etiam absurdius sequitur, quod Dei potestas, quae est infinita, solvitur ac debilitatur numerali divisione. Nam vis ac potestas cujusque rei eo major est, quo magis unita in sese, et eo debilior, quo longius ab illa unione simplicissima discedit. Quare cum sola unitas sit omnipotens, nec quicquam simpliciter aut absolute unum sit praeter Deum, sequitur trinitatem non esse omnipotentem.

CURTIUS: Numerus non refertur ad essentiam, sed ad hypostasin personarum, nec dividitur essentia divina propter hypostaseos personae cujusque divisionem.

SALOMO: Si Deus trinus esset, cur Moses coacta populi concione orationem sic auspicatur: Audi Israël, Deus noster Deus unus est [2])! Cur in re tanti ponderis et momenti omisisset epitheton illud tam necessarium trinus et unus? At ne quis dubitaret, ut prospiciebat futurum, litteras grandiores in extremo primi ac postremi verbi apposuit, contra scribendi usum, hoc enim unde nisi ut planum faceret omnibus, nec infinitos esse Deos, nec plures uno esse posse, in quem nullus numerus cadat.

CURTIUS: Argumenta, quae a negantibus ducuntur, fere sunt captiosa, non dixit: est trinus, ergo non est trinus, nihil ex eo sequitur.

TORALBA: Nulla videtur argumenti fallacia, cum [3]) altero posito alterum excludi sit necesse est. Nam qui dicit Unum, excludit trinum, alioquin contraria simul vera sunt, unius et ejusdem ratione [4]), scilicet Deus unus est, Deus non est unus. Illud ab [5]) omnibus theologis christianis usitatum est, Deum efficere non posse, ut contraria eadem [6]) ratione simul vera sint, non quod ulla sit impotentia Dei, sed quod subjectum incapax sit affirmationis simul et negationis. Nec illud Plato voluisse videtur

1) Erasmus paraphr. in Lucam. 2) Deuter. 6, 4. 3) Alibi: cur. 4) Alibi: rationis. 5) Alius: autem. 6) Alibi: ejusdem.

in Parmenide, ubi de Ente et Uno copiosissime disserit, quam ut doceat, unum illud naturae principium simplicissimum esse, nec praeter unitatem quicquam admittere posse. Xenophanes item et Melissus, qui libros etiam de Ente et Uno scripserunt, nihil aliud voluerunt, quam rerum omnium principium unitatem simplicissimam esse. Eadem Pythagoreorum vox est. Finis, inquit Jamblichus, totius contemplationis est, attollere mentem a multitudine ad unitatem: τέλος πάσης θεωρίας, τοῦ ἕνος θεορητικὸν ἀνάγειν ἑαυτὸν ἀπὸ πληθοῦς ἐς τὸ ἕν. Itaque Academici cum Dei proprium nomen inquirunt, appellant τὸ ἓν, τὸ ἀγαθὸν, τὸ ἀληθὲς, τὸ ἁπλοῦν, i. e. unum, bonum, verum, simplex, quem Proclus vocat ἓν θείων ἑνάδων ὑποστατικόν, unum divinarum unitatum fundamentum.

CORONAEUS: Nullam video in his enunciatis contradictionem: Deus est unus, Deus non est unus; quia non ratione ejusdem, primum enim ratione essentiae, alterum ratione personarum. Nec vero in ipsa ratione personarum aliud est trinitas, quam unitas, omnipotens, non divisa, non composita, non numerabilis, sed suapte natura simplicissima. Etiam si essentiae ratione unus est, ratione personarum trinus.

TORALBA: Igitur duas ὑποστάσεις subesse necesse est, quoniam de uno et eodem subjecto dici non potest creator et creatura, mortale et immortale, sempiternum et fluxum, stabile et caducum, genitum et ingenitum. Oportet enim motum, nexum, qualitatem, quantitatem, corpus denique Deo aeterno copulari.

FRIDERICUS: Non fit unio corporis humani cum natura divina, sed naturae divinae cum mente humana.

TORALBA: At fieri non potest, ut quae uni [1]) tertio uniuntur, inter se uniantur, et quae una sunt, eadem inter se sunt eadem, ex [2]) ipsis philosophiae principiis et decretis. Igitur si divina mens humanae menti unitur, et humana mens corpori, divinae mentis et corporis eandem unionem fore necesse est. Hoc absurdum, illud igitur quanquam fieri nullo modo potest, ut mens humana cum aeterno Deo eat [3]) in unum, cui nec mens humana est ὁμοούσιος, ac ne ὁμοιούσιος quidem, nec infinita, quanto minus divinam naturam humano corpori misceri putabimus.

SALOMO: Certe Moses Rambam graviore blasphemia putat obligari, qui Deo corporeum quiddam inesse arbitratur, quam qui colit idola.

FRIDERICUS: Cur nobis theologos thalmudistas, christianae religionis eversores, opponis, qui Christo deitatem, Deo rationem, memoriam, veritatem, quas cum homine quodammodo communes habet, modis omnibus eripere conantur?

CURTIUS: Salomonis et Toralbae hunc video scopum esse, ut Dei naturam ac trinitatis arcana rationibus et argumentis assequantur, fide opus

---

1) Alibi: una. 2) Additur alibi: se. 3) Alius: coëat.

est: ad ea, quae sola fide nituntur, si rationem aut demonstrationem adhibeas, nihilo plus efficies, quam si cum ratione insanire velis. Itaque Plato [1]), vir divinus, cum de Deo quicquam scribere metueret, quod ab ejus majestate esset alienum, credi jubet iis, quae a majoribus prodita fuerant, sine ulla demonstratione. Quod etiam Aristoteles affirmat his verbis: προςήκει ἐμπειρῶν καὶ πρεσβυτέρων ἢ φρονίμων ταῖς ἀναποδείκτοις [2]) φάσεσι καὶ δόξαις οὐχ ἧττον τῶν ἀποδείξεων. Quare nec probare possum Eusebii, Galatini, Augustini, Eugubini scripta, e quibus Mornaeus demonstrationes evangelicas promere conatur. Non enim prospexerunt, scientiam et fidem, quam infusam appellant, simul stare non [3]) posse.

TORALBA: Valeat illud quidem inter Christianos, sed prospiciendum est, quid philosophis, quid paganis, quid Epicuraeis, qui fidem infusam aut evangelium respuunt, responderi possit, ne illis idem objiciatur, quod olim Julianus imperator Galilaeis, eos scilicet ad omnia argumenta physica, demonstrationes nihil aliud in ore habuisse praeterquam illud: πιστεύσον. Praestabilius est igitur, cum philosophis, quid ratio possit, experiri, quam vadimonium deseruisse videri. Nam si essentia sive οὐσία illa, quae pater est, filius sit: idem sibi pater est et filius, idem genitus et ingenitus.

FRIDERICUS: Unus est ingenitus pater, unus filius ab aeterno tempore genitus.

TORALBA: Si non est idem genitum et ingenitum, diversa est patris et filii substantia.

FRIDERICUS: Essentia unum et idem, non hypostasi.

OCTAVIUS: Cur ergo in concilio Toletano decretum est, solum verbum carnem factum, solum hominem induisse? Nam ex eo sequitur, paternam essentiam non eandem esse cum essentia filii.

FRIDERICUS: Illud admonendi sumus, aliam esse hypostasin ab essentia, quae ab imperitis confusa densissimam hac in disputatione caliginem pepererunt.

TORALBA, Si pater genuit Deum, aut se Deum genuit aut alium Deum, tertium nihil est. At nulla res seipsam gignit, nec sui ipsius causa esse potest. Ac tametsi Platonici saepius usurpant illa de Deo: αὐτόγονος, αὐτοτελής, αὐτογενής, αὐτοφυής, nihil tamen aliud significatur, quam Deum aeternum sua scilicet potentia, natura, majestate, beatitate contentum, nihil alienis opibus egere. Non autem putandum est, quicquam a se ipso gigni. Ob id enim Plutarchus Deum antiquissimum esse scribit, quia sit ingenitus, πρεσβύτατον θεὸν εἶναι, ἀγέννητον γάρ. Ex quo sequitur, aeternum id esse non posse, quod genitum sit. Et quidem Hilarius scribit [4]), id quod nascitur, non fuisse antequam nasceretur.

---

1) In Timaeo. 2) Alius: ἀποδείκτοις. 3) Alii: nullo modo. 4) Libr. 12 de trinitate.

CURTIUS: Igitur argumento a contrariis sequitur, id semper fuisse, quod ab aeterno tempore genitum est, ut de filio credimus.

TORALBA: Si quid seipsum genuisset aut fecisset, id quod aigneretur et quod aigneret, imperfectum esset, quoniam oporteret totum non esse, ut aigneretur a seipso. Si enim esset, non fieret, quia jam esset; si non existeret, non aigneret, quia non esset. Igitur Deus de se ipso non genuit filium seipsum. Quo fit, ut alius sit a patre, non relatione personarum, sed tota substantiae ratione. Quod Christus aperte his verbis comprobans: Alius est, inquit, qui me misit pater [1]. Quod de homine dici non potest, qui nondum erat homo, quum mitteretur.

FRIDERICUS: Argute quidem et subtiliter, sed utramque argumenti partem negat Augustinus [2], negat Lombardus [3], et recte: Neque enim sequitur, inquit Scotus [4], si sol murem generat, igitur se murem, aut alium murem a se, sed alium qui est mus.

OCTAVIUS: Augustinus igitur sui oblitus est: Pater, inquit, ut haberet filium de seipso, non minuit se ipsum, sed ita de se alterum generat, ut totus maneret in se, esset in filio tantus, quantus est solus. Quae certe implicant contradictionem cum superioribus, quoniam tota natura dissentanea sunt idem et alterum. Item alibi: Deus cum verbum genuit, id quod est ipse genuit; Deum autem, inquit Basilius [5], μήτε παρ' ἑαυτοῦ, μήτε παρ' ἑτέρου γεγονέναι [6], neque a seipso, neque ab alio gigni.

FRIDERICUS: In eo ipso Lombardus Augustinum refellit, ubi substantiam Dei filium scribit genuisse. Aut filius, inquit Lombardus, de substantia patris, aut de nihilo conditus est; non hoc, ergo illud, aut omnino alius est Deus.

OCTAVIUS: Lombardus huic argumento subjicit haec verba [7]: Vehementer nos ista movent, quae quomodo intelliguntur, mallem ex aliis audire, quam tradere. Alterutrum tamen confiteri necesse est: Si de substantia patris filium genitum dicamus, erit idem Deus aut alius Deus, et utrumque absurdum est. Neque vero sunt duae filiationes, ut theologorum verbis utamur, sed una filiatio Dei aeterni, tum ad Deum filium, tum ad hominem. Itaque posteriores theologi Lombardum refellunt, quod negavit substantiam a substantia gigni, cum veteres theologi sic sentiant: Pater, inquit Tertullianus, tota substantia est, filius autem derivatio totius et portio.

TORALBA: Nihil a Deo tam alienum, quam partem ei tribuere aut detrahere portionem, cum sua natura nullas partes habere possit, alioquin corpus esset et quidem dividuum, contra quod superius demonstratum est. Absurditas autem veri et falsi certissimus est judex [8], cum eo de-

---

1) Joh. 5, 23. 12, 45. 2) Libr. 7 de trinit. 3) Libr. 1 dist. 4. 4) Libr. 1 dist. 4. 5) In symb. libr. contra Eunom. 6) Alii: γένεσθαι. 7) Libr. 3 dist. 8. 8) Alii: index.

ducimur, ut quod per naturam fieri non possit, confiteri, aut de suspecta sententia decedere cogamur.

CORONAEUS: Igitur omnia quae fiunt praeter naturae cursum ac tenorem, quae multa sunt, a Toralba superius allata, etiam absurda videri oportet.

TORALBA: Multa quidem non ordinario aut consueto naturae cursu feruntur, non tamen pugnant cum natura divina.

CURTIUS: Cum nihil proprie et apposite de Deo dici possit, sed omnia commode negari, frustra his enunciatis utitur Toralba, Deus est substantia, quia Deus nullis accidentibus subjungitur et substat, quod substantiae maxime proprium.

TORALBA: Pater essentiae nomen est, aut actus, si actus, profecto filius creatus est, si essentiae nomen est, filius tota substantia alius est patre.

CURTIUS: Aliud argumentum est Aëtii, cui tametsi Basilius [1]) non respondeat, utrumque tamen inficiatione subvertitur, quia patris vox relationem tantum significat.

OCTAVIUS: Scribit Epiphanius, Aëtium trecenta argumenta collegisse contra Christi deitatem, quae partim extant, vix ullum tamen est efficacius eo, quo a junioribus adversus Hilarium et Athanasium concluditur [2]). Cum enim Deum Deo genitum, lumen de lumine acceptum dicerent: Christus, inquit, ex sese Deus est, non ex alio. Nam si habet ab alio [3]), ut Deus sit, Deus esse nequit. Cui argumento non video, quid responderi possit.

FRIDERICUS: Superius dictum est, non alium esse Deum, qui a patre genitus est. Neque enim in divinitate pater causa efficiens est filii, sed causa essentiae quae ab efficiente plurimum aufert [4]).

TORALBA: Si Christus est Dei filius, est ejusdem essentiae, aliquando genitum esse oportet; si genitus est aliquando, fuit tempus illud, quo nondum erat, quod quidem originem ac tempus principii habuisse declarat.

CORONAEUS: Hoc argumentum Augustinus [5]) et Hilarius [6]) sic diluunt, ut patrem agnoscant, aeternum sine auctore, filium etiam aeternum, sed non sine autore, ut calor ab igne, lux a sole. Christus, inquit Tertullianus [7]), a patre prodiit, ut radius a sole, rivus ex fonte, frutex e semine.

TORALBA: Effectio saepe cum causa concurrit, ut lux ipsa, nec prior est nec posterior sole, sed nunquam sunt eadem, cum sol sit substantia, lux autem accidens, quod de patre et filio dici nullo modo potest. Nam si quid nascitur ut sit, tempus antecedere oportet, quo nondum erat. Ex quo sequitur, filium aut nondum fuisse genitum, aut si genitus est, aeternum non esse [8]).

---

1) Orat. V. 2) Hilarius l. 6 de trin. Athanasius in symb. 3) Alibi: uno. 4) Damasc. l. 4 phys. 5) L. 1 de trin. 6) L. 12 de trin. 7) Adv. Praxeam. 8) Alii: esse non posse.

FRIDERICUS: Jam diximus patrem esse causam essentialem filii et principii, ut Augustinus, Hilarius, Gregorius Nazianzenus, Basilius confitentur, sed patrem aeternum aeternae cujusdam effectionis. Nec video, cur in eo haerere debeamus.

OCTAVIUS: Cur ergo magister sententiarum ita haesit, ut exclamet hunc in modum: Hoc humanum sensum excedit et intelligentiam mundi, quae non capit ratio.

TORALBA: Imo ratio, quae divina lux est, uniuscujusque menti insita, videt, sentit, judicat, quod [1]) rectum, quod pravum, qnod verum, quod falsum.

FRIDERICUS: Ita quidem eas res, quarum capax est. Sed Deus aeternus ac infinitus humanae mentis gurgustio capi nequit, quia impervestigabilis, divinissimus, supremus, i. e., ut elegantioribus Theophrasti verbis utamur, ἀναισθητὸς, θειότατος, ὑπερβατός.

SALOMO: Illic [2]) agit Theophrastus de Deo, hic autem agitur de homine Jesu, neque enim pro argumento sumendum id, quod concludendum est, nempe [3]) Jesum esse Deum. Nam Deus non obscure aut ambigue, sed sua voce declarans, quis esset: Ante me, inquit, non est Deus et post me non erit. Item: Ego primus exstiti et postremus ero [4]). At christiani theologi confitentur [5]), personam creatam esse et antequam hominem induisset in utero foeminae, personam habuisse filii, quis dubitet, an filius sit creatura? Non igitur creator, non Deus.

OCTAVIUS: Magister sententiarum [6]) negat, personam filii constare ex Deo et homine, ut ex partibus; deinde subjicit [7]): Inexplicabilis est istius unionis ratio, negat tamen utramque naturam misceri, et idololatriam vocat adorare corpus et animam Christi, quoniam, inquit, corpus et anima Christi creaturae sunt. Eadem est Philippi Melanchthonis [8]) sententia.

CURTIUS: Uterque recte, quoniam Ephesina Synodus decrevit, Christum una λατρείᾳ [9]) colendum esse.

OCTAVIUS: Si non est confusa utraque natura unione hypostatica in Christo, non debuit cultus confundi, ut cum creatore creatura misceretur ac simul coleretur, cum sacrilegio proximum sit, putare patrem et filium singularem Deum esse, ut inquit Hilarius, in patre et filio duos credere impium, ac tertium nihil est.

FRIDERICUS: Si quis est, qui subtilius ista exquirat, nec tamen penitus intelligat, cogitet ea, etiamsi [10]) certissimis demonstrationibus nitantur, saepius tamen percipi non posse. Ἀντίχθονας [11]) esse omnes theologi et

---

1) Alius: quid ... quid ... quid ... quid. 2) Alius: Illis. 3) Alius: scilicet. 4) Jes. 48, 12. 5) Scotus l. 1. dist. IV. 6) Lib. II. dist. 9. 7) Libr. III. dist. 90. 8) Contra Stancarum. 9) Alii: latria. 10) Alii: etiam quae ...... nituntur. 11) Alii: Antichtonas.

philosophi praeter Augustinum et Lactantium confitentur, idque tum perspicua minimaque dubia demonstratione, tum etiam experientia diuturna exploratissimum, nemo tamen id cogitatione persequi potest, ut Moses Rambam [1]) acutissimus philosophus confitetur, ut mirum videri non debeat, si Lactantius et Augustinus astrologos ut imperitos et insanos irriserint, qui ista crederent. Quin etiam Augustini autoritate adacti [2]) plerique theologi haereticos esse judicarunt, qui αντίχθονας esse arbitrarentur. Inter quos quidem Vigilius quidam episcopus Salisburgensis a pontifice maximo quasi haereticus damnatus est, quod ita sentiret A. C. 745 [3]). Quanto minus igitur divinae naturae unionem cum humana percipiemus. Itaque Hilarius ipse, eloquentia atque eruditione clarissimus: Extra sermonem est, inquit [4]), quod exigitur, extra sensum non enunciatur, non attingitur, non tenetur. Idem paulo post [5]): Mihi in sensu labes est, in intelligentia stupor, in sermone silentium. Idem, Deum ex uno, non portione, non sectione, non diminutione, non derivatione, non protensione, sed incomprehensibili modo esse. Quid Justinus Martyr? Unitas in trinitate et trinitas in unitate nascitur [6]), id quomodo sit [7]), nec alios scrutari velim, nec ipse mihi satisfacere possum, cum arcanos sermones sordida lingua enunciare nefas existimem. Si igitur tantos ac tales viros piget, rem omnium sacratissimam vel primoribus attingere digitis, quid nobis faciendum putemus? [8])

OCTAVIUS: Non scio atque haud miror [9]), an major obscuritas sit de spiritu sancto, quem Athanasius [10]) et Chrysostomus [11]) a patre et filio procedere scripserunt, cum tamen in conciliis Graecis anathematis poena sit ei, qui hoc crediderit. Et quidem Damascenus: Spiritum sanctum inquit, a patre procedere, in filio quiescere dicimus. Quam opinionem cum inter discrepantium varietatem Johannes agnomento Scotus conciliare nequiret: Quis, inquit, Damascenum, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Gregorium theologum, Justinum Martyrem, Cyrillum haereseos damnaret? Quis etiam Hieronymum, Augustinum, Hilarium, Ambrosium, Latinos omnes erroris coargueret? Alterutros tamen aut etiam utrosque insigniter labi ac decipi necesse est.

FRIDERICUS [12]): Ecclesia occidentalis catholica, symbolum Athanasii secuta, spiritum sanctum ab utroque prodire confitetur. Quia nec genitus est, inquit Augustinus, nec ingenitus, nec sint duo filii, si genitus, aut duo patres, si ingenitus, et consequenter duo principia [13]), duo sunt innascibiles, ut eorum verbis utamur.

OCTAVIUS: At magister sententiarum hanc Augustini sententiam sic

---

1) In ep. contra astrologos. 2) Alius: adducti. 3) Aventinus annal. l. III. 4) Libro I. de trin. 5) Libro VI. cod. 6) Alibi: nescitur. 7) Alius: fiat. 8) Alius: putamus. 9) Alius: Non miror atque haud scio. 10) In symb. 11) In epistolam ad Corinth. cp. 12. 12) Alibi: CORONAEUS. 13) Addit alius: si.

refutans: Quis, inquit, hoc explicare potest? Nam si ingenitus est, spiritus erit sine principio, ac duo principia futura sunt; si genitus, erunt duo filii et inter se fratres; si ex filio genitus, jam nepos ex filio patri futurus est.

FRIDERICUS: Ut ergo ambiguitas illa dilueretur, Latini commodius ab utroque spiritum producere tradunt.

TORALBA: Processio illa spiritus a filio, qui patrem habet autorem et generis principem, valde dissimilis est et inaequalis ei quae a patre, qui nullum habet auctorem. Sed cur potius processio spiritus quam generatio [1]), aut cur potius generatio filii, quam processio, cum trium sit una et eadem essentia? Profecto consimiles sunt illae Scoti [2]) argutiae, cum patrem et filium scribit unum spiratorem, non tamen unum spirantem, sed duos spirantes.

CORONAEUS: Ad haec utcunque [3]) intelligenda patefacit aditum Hilarius, cum trinitatem soli, radio, luci comparavit.

TORALBA: Nullo modo rei propositae congruit illa comparatio, cum radius et lux ipsa sunt accidentia, sol vero corpus, substantia constans, at illi ὁμοουσίους ajunt tres personas. Praeterea Deo nihil accedere aut decedere potest. Denique si gigni, sive procedere, sive derivari filium et spiritum sanctum a patre dicamus, infinitum ab infinito manare confitendum erit, quae absurditas est omnium maxima [4]). Cum enim quaeritur, cur Deus Deum facere non possit, nihil aliud responderi potest, quam infinitum ab infinito decerpi non posse. Itaque laudatur Anselmus, qui rogatus a discipulo, cur hominem impeccabilem Deus non fecisset: Quoniam, inquit, Deum facere non potuit [5]). Ex quo sequitur, absurdum esse illud enunciatum: „Deus factus est homo“, quia Deus in hominem mutaretur et homo in Deum, utrobique enim est actio et passio. Jam vero inexplicabilis est talium enunciatorum complexio, deitas sive aeternitas est ingenita quatenus pater, genita vero quatenus filius, nec genita nec ingenita quatenus spiritus sanctus, quae de una et eadem essentia nullo modo dici potest.

CORONAEUS: Si res inter se comparatae usquequaque convenirent, non esset rerum similitudo, sed res ipsa. Quare Basilius [6]) aliter atque Hilarius tribus solibus trinitatem comparat, ut a re ipsa propius abesset.

OCTAVIUS: At Hieronymus [7]) sacrilegium vocat, tres in Deo substantias collocare, cum tamen nihil apud Hilarium [8]) frequentius reperiatur, quod juniores theologi mirantur. Quin etiam Hilarius [9]), cum scripsisset aeternitatem esse in patre, reprehensus est a junioribus. An, inquit ille, hoc ab Hilario dictum est, ut Christo eripiat deitatem? [10]).

FRIDERICUS: Hoc Hilarium noluisse testatur ipsa repetitio frequens

---

1) Desunt alibi quatuor haec antecedentia verba. 2) Libr. I. sententiar. dist. 12. 3) Alibi: utrumque vel: utraque. 4) Aristoteles l. II. phys. 5) Scotus l. III. Sentent. dist. 7. 6) Ep. 15. contra Eunomium. 7) Ad Damascenum. 8) Libr. de trin. 9) In harmonia c. XIII. 10) Calvin. l. 1. institut. cp. 13.

in ejus scriptis, Christum esse Deum, sed Graeci commodius ad personarum distinctionem verbo hypostaseos utuntur.

OCTAVIUS: At Hieronymus in voce hypostaseos venenum [1]) latere suspicatur. Et quidem Paulus alio sensu videtur uti hac voce, ubi spiritum sanctum appellat characterem hypostaseos patris.

TORALBA: Hypostasis est accidens aut substantia, tertium nihil est, et Deo nihil accedere potest, igitur substantiam esse oportet. Sin hypostasin pro essentia accipiamus, tres erunt essentiae aut tres substantiae in Deo, quia unicuique personae suam hypostasin singularem tribuunt.

CURTIUS: Essentiae verbo accidens aut substantia significatur, neque enim scholastici hoc enunciatum: „filius est de patris essentia", perinde accipiunt ac illud: „est de patris substantia", quia hoc modo filius patri consubstantialis exprimitur, illo non item. Hypostasis autem personis tribuitur, ne tres in unam et eandem confusae videantur, cum sit quaedam cujusque personae proprietas, alteri non communicabilis.

OCTAVIUS: Cur igitur primo capite confessionis Augustanae vox personae ullam partem aut qualitatem significare negatur, sed id quod proprie subsistit? Nam proprietas personarum est ea, ut pater a se ipso potestatem habeat, non ab alio, ut voluit Augustinus [2]); filius vero non a se ipso, sed a patre. Idem quoque tradit, patrem sine principio, sine auctore, filium vero non sine principio, sed a patre essentiam habere. Quis autem serio putet, hunc Deum esse, qui ortus sui principium, essentiam, potestatem alteri ferat acceptam? Ac ne quis illud Augustino aliud cogitanti excidisse arbitraretur, apertius repetens [3]): Pater, inquit, a nullo habet, ut Deus sit, filius autem, ut Deus sit, habet a patre. Idem quoque Basilius scribit [4]).

TORALBA: Si filius originis suae primordia patri debet, aeternus esse non potest. Nam si pater genuit filium, gignendi finem simul fecit aut semper gignit (ut videtur iis, qui ad Christum referunt haec verba [5]): Ego hodie genui te), imperfecta semper est filii generatio. Sin gignere desiit, etiam aliquando coepit; si coepit gigni filius, non est aeternus, non est infinitus, non est Deus.

CORONAEUS: Eodem revolvimur, illud enim cogitandum, non tres aeternos, non tres infinitos, non tres Deos, sed unum Deum aeternum, infinitum, personarum tamen varietate distingui, ac proprium quoddam personae cuique convenire [6]), ut cum Lombardus negat, spiritum principium esse, nisi ad creaturas.

SALOMO: Igitur ante annorum sex millia spiritus sancti nullo modo principium erat, cum nihil adhuc creatum existeret. Atque ob id Macedo-

---

1) Alii: vere unum. 2) Libro III. de trin. c. 12. 3) Ep. 66. 4) Epist. 15. cont. Eunom. 5) Psalm 2, 7. cf. Actor. 13, 23 et 33. Hebr. 1, 5. 5, 5. 6) Alii: convenitur.

niani spiritum creaturam appellabant, quem [1]) Christiani ex symbolo [2]) Deo coaeternum et Deum asseverant.

FRIDERICUS: Haec verba magistri sententiarum ad relationem et nominationem personarum, non ad essentiam referuntur.

OCTAVIUS: Si spiritus habeat a patre et filio principium, cur Athanasius, Chrysostomus [3]), Augustinus [4]) tres esse coaequales et coaeternos affirmant?

CURTIUS: Recte illi quidem propter essentiam coaeternam, personarum vero relatione pater filio naturâ prior dicitur ac major, quo pertinet illud: Pater major me est [5]).

SALOMO: Imo spiritum patre et filio superiorem faciunt Matthaeus, Marcus, Lucas [6]), qui quae peccantur in patrem et filium, ignosci affirmant, quae vero peccantur in spiritum sanctum, ignosci negant. At cum Moses Deum placare conaretur, aut se de libro vitae deleri [7]), en divina vox ad illum: Qui peccaverit in me, inquit [8]) hunc ego de libro vitae delebo. An filium et spiritum sanctum, si patri aequales essent, praetermissurus fuisset? Nullum etiam trinitatis argumentum exstat in lege divina, at ne in prophetis quidem vestigium ullum.

CURTIUS: Quid ais, Salomo! An non [9]) ullum caput, ulla pagina antiqui foederis prophetarum, ubi non aliud sacrosanctae trinitatis vestigium compareat? [10])

OCTAVIUS: Certe Martinus Lutherus, cum multa de supplicationibus Romanis, tum vero carmen hoc vulgatum delere non dubitavit: sancta trinitas, unus Deus, miserere nobis! quia trinitas Deus esse non potest, cum sit foeminea vox, secundae intentionis, ut dialectici, vel collegii, ut juris consulti loquuntur [11]), qui collegium de tribus personis definiunt; at nec in ullum collegam conveniunt, quae de toto collegio dicuntur. Itaque Origenes, quem Hieronymus magistrum ecclesiarum appellat, trinitatis verbum supra modum execratur, ac τριονύμων sectam supra modum acerbissime insectatur [12]). Quin etiam Rufinus ejus interpres scribit, multa, quae ab Origene contra trinitatem scripta fuerant, a se correcta fuisse. Sed cum bona Rufini venia dictum sit, non decuit interpretem correctoris officio fungi, nec mirum videatur, si Origenes [13]) corruptus eadem quae Athanasius interdum scribere et vocem ὁμοούσιος, quae nondum exaudita erat, usurpare de filio videatur. Eadem licentia Cypriani epistolis suppositus est Tertulliani liber de trinitate, ut monuit Rufinus [14]).

CORONAEUS: Tametsi verbum trinitatis sive triadis in sanctis litteris

---

1) Addit alius: tamen. 2) Symb. Athanas. 3) Ep. 1. ad Corinth. cp. 12. 4) Lib. V. de trin. 5) Joh. 14, 28. 6) Matth. 12, 31 sq. Marc. 3, 29. Luc. 12. 10. 7) Ita omnes; unus codex legit: ut se deleret. 8) Psalm. 69, 29. 9) Alii: est. 10) Alii: comperiatur. 11) Leg. Neratius de V. S. 12) Prologo libri περὶ ἀρχῶν. 13) Cap. 11 et 12 in libr. Numerorum. 14) In Apolog. Origenis.

inusitatum videamus [1]), nihilominus baptismum fieri oportere legimus in nomine patris, filii et spiritus sancti, et quidem proximus apostolis Justinus Martyr librum scripsit περὶ ἁγίου καὶ ὁμοουσίου τριάδος.

OCTAVIUS: Libellum hunc esse supposititium, ratio perspicua temporum convincit. Floruit enim M. Aurelio principe, cui apologiam nuncupavit. At in quaestionibus CXXIV ad orthodoxos libri illius quaerit auctor, cur eversa et fracta sit superstitio paganorum, cum tamen aetate Justini maxime floreret. Verbum autem ὁμοούσιος primum sub Constantino principe usurpare coeperunt, ducentis circiter annis post aetatem Justini. Eadem licentia prodiit in vulgus missa D. Jacobi Graece scripta, in qua sanctae trinitatis, apostolorum, confessorum, virginum ordines ac voces saepius ingeruntur, cum tamen is Jacobus excepto Stephano primus martyrium passus sit. Consimilis est missa Chrysostomi, in qua Chrysostomus ad Chrysostomum preces fundit [2]), quo quid ineptius?

CORONAEUS: Eodem igitur morbo omnes omnium libri laborarent! Sed ne videar Testamenti Novi tabulis aut interpretibus niti, aut theologis, permulta in veteribus tabulis sacrosanctae trinitatis mysteria latent. Et quae ab aliis [3]) copiose perscripta, levissime attingam, ut illud Deuteronomii [4]): Quae gens est, quae audiverit vocem Deorum viventium i. e. אלהים החיים, ubi plurali verbo Deum unum significat. Item illud Josuae [5]): אלהים קדשים i. e. Dii sancti, pro Deus sanctus. Item [6]): Si domini ego, ubi est timor meus? Item [7]): Faciamus homines ad imaginem nostram. Et paulo post: Faciemus adjutorium simile sibi.

SALOMO: Vox אלהים pro אלוה saepissime usurpatur. Sed Chaldaeus interpres Jonathas, quoties ad Deum unum refertur, fere singulari verbo explicat, ut apud Malachiam usus est voce chaldaea רבוך, ut planum sit, nusquam de trinitate cogitasse prophetam. Id enim: Faciamus hominem, ad angelos conversio est. Hos enim [8]) humanae creationis ministros placuit adhiberi, ut elementis et elementariis rebus ad hominem confirmandum necessariis uterentur, quibus natura divina vacat.

CURTIUS: Cur igitur in convalle Mamre tres apparuerunt Abrahamo, tamen sermo est unius ad unum?

SALOMO: Illud est arcanum; Deus enim sedere dicitur inter vel super Cherubim, quoniam duorum angelorum, qui proxime ab ejus majestate obstant, officiis ac ministeriis orbem moderatur, quod Zacharias [9]) eleganti visione declarat. Unde vetus illud de Abrahamo jactatur: Tres vidit et unum adoravit. Quo ex loco omnia, quae de Deo plurali voce enunciantur, explicari facile possunt.

---

1) Alius: videmus. 2) In fine missae Graece expressae. 3) Petrus Galatinus. Augustinus Eugubinus c. 5. 4) Deuter. 5, 24. 5) Josuae 24, 19. 6) Maleach. 1, 6. 7) Genes. 1, 26. 2, 18. 8) Alibi: quos. 9) Zach. 4, 1 seq.

FRIDERICUS: Cur igitur Rabbi Simeon Johai filius in libro Zohar, quem arcanorum thesaurum vocant, haec verba: Audi Israel, Deus dominus noster Deus unus est! trinitatis significare mysterium affirmat? Nomen enim אלהים filio tribuit, nomen יהוה geminatum patris et spiritus sancti.

SALOMO: Locus hic a Galatino et junioribus decerptus et laceratus quibusdam praebuit occasionem, ut filii et spiritus sancti voces subjicerentur. Cur enim sanctissimum [1]) nomen יהוה spiritui, non filio, qui dignitate praestat, tribueretur, aut cur locus ille veteribus tabulis, quo Dei natura simplicissimae unitatis declaratur, trium Deorum sive personarum adjunctione conturbaretur?

CURTIUS: Illud tamen a Jesaia, ter vocem illam קָדוֹשׁ repetente, confirmatur: Sanctus, sanctus, sanctus. Item psaltes lyricus יהוה, אלהים, אל i. e. Deus, Deus varietate vocum apud Ebraeos idem prope significantium. Item alibi [2]): Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus! quid aliud quam sacrosanctae trinitatis mysterium est? Quin etiam ab Aegyptiis veteribus principium rerum appellantibus triplex erat repetitio, ut Damascenus Platonicus scribit.

SALOMO: Oportuisset igitur sextilitatem [3]), quam trinitatem colere, quia praeter tria illa Sanctus, sanctus, sanctus sequuntur quoque tria Dei nomina: Deus, dominus, Zebaoth, contra vero dualitatem, quoties duo nomina Dei occurrunt; Deus Zebaoth aut Eloha Zebaoth.

FRIDERICUS: Sed pergamus Salomonem obruere vi argumentorum! Josephus Castilionaeus et Jeremias [4]), filius Halcanae, nomen litterarum duodecim, scilicet אב בן רוח הקדוש i. e. pater, filius, spiritus sanctus, tria in uno et unum in tribus contineri interpretantur.

SALOMO: Facile est, alienis nominibus subjectis libros pervulgare, ut libri magorum nomine Salomonis editi. Quin etiam trinitatis propugnatores Zoroastrem et Orpheum, magorum parentes, ab infernis locis arcessere non dubitant atque etiam Jamblichum ipsum, qui conscius impietatis, ne capitali supplicio periret, exsorbuit venenum. Plenus est his autoribus Galatini liber et Augustinus Eugubinus. Nam quae Galatinus hausit partim ex sacris litteris, partim ex libris Talmudicis, partim ex illa porta tenebrarum potius quam lucis, non conversa, sed perversa, non correcta, sed detorta ac pro seriis suscepta sunt, quae ad ironiam trinitatis scripta fuerant. Argumento sit, quod cum serio theologi Ebraei de Jesu scribant, ne appellari quidem dignantur, sed epitheto תְּלוּיָה suspendiosum [5]) contumeliose denotant.

CURTIUS: Adjungamus Philonem Ebraeum [6]), philosophiae laudibus ac rerum divinarum scientia clarissimum. Sic enim de mysterio trinitatis:

---

1) Alius: sacratissimum. 2) Psalm. 67, 7 sq. 3) Alii: pluralitatem. 4) Alius: Nehemias. 5) Deest in aliis codicibus. 6) In tract. de mundi opificio, et in libro de agricult., et in caput secundum Geneseos.

Duo sunt, inquit, primo Deus et verbum, principium et finis voluntatis. Quid clarius dici potest?

SALOMO: Sit verbum, sit voluntas in Deo, quid ad tres personas? Idem Philo mundum vocat filium Dei, secundo genitum, primogenitum vero exemplar ipsius mundi, i. e. ἀρχέτυπον. Non magis tamen ineptum sit, exemplar Deum appellare, quam exemplum aut verbum Dei Deum vocare, ut Johannes [1]) verbum Dei Deum esse scribit, non minus incongrue, quam qui sapientiam Dei Deum esse putant. Iidem tamen creatum esse tradunt ex eo Salomonis: Ab initio et ante saecula creata sum [2]). Nec vident, ex eo sequi, filium sive sapientiam creaturam dici. Et certe Tertullianus [3]), ut doceret Jesum creaturam esse: Audis, inquit, sapientiam creatam esse. Item: Lex Dei nihil est aliud, quam verbum ore Dei prolatum et creatum, quae eadem ratione Dei filius ac Deus dici deberet. Et quidem Valentiniani verbum Dei sive filium prolatione patris natum affirmabant, item spiritum sanctum mox amorem, mox etiam voluntatem Dei vocant, quae essentia, natura, tempore verbum antecedunt. Ex quo intelligitur, verbum coaequale et coessentiale patri non esse. Ac cum displiceret Augustino Eugubino [4]), verbum Dei filium appellari, emendavit vel potius corrupit locum Philonis [5]), ac pro νόμου λόγον scripsit, repugnantibus omnibus typographorum exemplis. Consimile est illud, quod intelligens, intellectum et intellectionem i. e. שכל, משכל, ומשׂשל trinitatis esse ajunt, ut amantem, amorem et amatum. At fieri nullo modo potest, ut equus qui intelligitur et amatur, idem sit cum homine qui cum mente percipit ac intelligit, nisi accidentia substantiis, coelestia terrestribus, supera inferis misceantur.

FRIDERICUS: Quicquid est in Deo, id totum est essentia ipsius, nihil ei accidit, nihil decedit, ac propterea et verbum et cogitatio Dei et Deus rectissime a Johanne filius appellatur.

TORALBA: Quis tam inepte disseret, ut quae foras ab homine procedunt edicta, leges, actiones, verba, essentiam hominis esse arbitretur? Quae etiamsi [6]) cum creatore eadem sint, creatoris et creaturae nullum discrimen esse oportet, nam quae uni sunt eadem, inter se sunt eadem.

CURTIUS: Cum Johannes dicit, verbum Dei filium esse, non vocis prolationem intelligit, sed intimam ejus essentiam, sapientiam, cogitationem. Huc enim illa spectant: Et verbum erat apud Deum [7]). Nam quod Tertullianus [8]) filium Dei creatum dixit, errore lapsus est, quod sapientiam Dei, quam filium Dei vocant, creatam arbitraretur. At Basilius [9]): Essentia Dei, inquit, semper fuit, nec unquam genita est, i. e. ἡ γὰρ αὐτοῦ σοφία οὐκ ἐγένετο, ἀλλ' ἦν ἀεί. Nam si creata fuisset sapientia, tempus exstitisset,

1) Ev. Joh. 1, 7. 2) Proverb. 8, 22. 3) Contra Praxeam ex cap. 8. Proverb. 4) De perenni philosophia. 5) In libro de mundo. 6) Alibi: quodsi. 7) Joh. 1, 1. 8) Contra Praxeam. 9) Contra Eunom.

quo nondum erat, quanquam Salomo scribit, ante saecula fuisse. Itaque omissis interpretibus, a quibus errores manare solent, audiamus Salomonem [1]) sua verba resonantem. Sic enim scribit: Ab aeterno ordinata sunt, ab initio, ab antiquis terrae. Alioqui si creata fuisset, sequeretur Deum sine sapientia prius exstitisse, quod non minus absurdum aut impium est, quam patrem sine filio cogitare.

CORONAEUS: Cum igitur sacrosanctae trinitatis mysteria tot scripturae locis perspicua sint, adhibeamus etiam ad philosophos erudiendos philosophorum antiquissima decreta.

FRIDERICUS: Certe Proclus Academicus, tametsi libros [2]) duodeviginti adversus Christianos scripsit, nihilominus tamen tria principia fatetur: bonum, mentem et animam. Numenius [3]) primum appellat patrem, secundum creatorem, tertium opificem. Amelius [4]) quoque triplicem facit opificem, sive mentes tres, sive tres reges, scilicet eum qui est, qui habet, qui aspicit. Trismegistus tamen ut antiquitate, sic perspicuitate caeteros superavit: Deus, inquit, qui est intellectus, vita, lux, androgyne genuit verbum, qui alius est intellectus, fabricator omnium rerum, et cum verbo spiritum, Deum igneum. Item Plotinus libro περὶ τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων: Tres sunt, inquit, ὑποστάσεις, unum sive bonum intellectus et anima mundi, de quibus non ante disserendum quam sacris rite peractis et tranquilla mente. Quin etiam Theophrastus libro de mundo ad Alexandrum, qui falso tribuitur Aristoteli, arcanum trinitatis denotavit, cum in aeterno Deo principium, medium et finem collocaret.

CURTIUS: Ex omnibus paganorum monumentis, quae ad trinitatis mysterium afferri possunt, vix ullum est illustrius aut nobilius oraculo, quod Heraclides Ponticus in templo Serapidis scriptum fuisse narrat, his verbis:

Πρῶτα Θεός, μετέπειτα λόγος καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς,

i. e. Principio Deus est, tum verbum, his spiritus una est. Congenita haec tria sunt, cuncta haec coëuntia in unum.

OCTAVIUS: Istud oraculum ex eadem officina christiana prodiisse non dubito, ex qua prodierunt consimilia, quae pridie allata sunt ex Apolline.

TORALBA: Caetera quidem Academicorum scripta, quae refutatione minus egent, omitto, quia οὐδὲν [5]) πρὸς ἔπος. Sed quisquis tandem fuerit Trismegistus ille, quem et Isidis magistrum et Aegyptium scriptorem omnium post Mosen antiquissimum esse Isidis statuae inscriptio et ratio temporis [6]) cogit confiteri. Qui vero libri Trismegisti nomine circumferuntur, non nisi graece exstitisse, cum latine redderentur, planum est, et auctorem ex junioribus Academicis plura [7]) Platonis decreta descripsisse. Nam qui minus fabulantur, libros ei tribuunt 36525, Jamblichus vero 11000 [8]), et quae

---

1) Proverb. 8, 23. 2) Cf. Suidas. 3) Alius addit: vero. 4) Alius false: Amelus. 5) Alii: μηδὲν. 6) Alius: temporum. 7) Alii: pura. 8) Alii: 110000.

ex illis libris excerpta fuere a Jamblicho, Plotino, Proclo, Cyrillo, modis omnibus dissimilia leguntur ab iis, quae in Pimandro et Poëmate scripta legimus. Quae autem ad trinitatis argumentum allata sunt a Friderico, ad verbum descripta videntur, non tam a Trismegisto, quam ex epistola Platonis ad Hermiam et Dionysium, ubi Deum universitatis principem facit, secundam vero intelligentiam a prima creatam i. e. mentem mundi totius, tertiam a secunda, quam mundi animam Platonici [1]) omnes interpretantur, quartam a tertia, atque ita deinceps ad extremam mentem. Peripatetici vero mentes omnes ab eodem principio simul derivari tradunt. Sed utramvis sententiam sequamur, necesse est, ab uno principio caetera omnia manare ac propterea composita, creata, fluxa, caduca judicari. Quoniam, inquit Plotinus [2]), omne quod non est primum, non est simplex, πᾶν γὰρ τὸ οὐ πρῶτον οὐχ ἁπλοῦν.

FRIDERICUS: Quid tum? Neque enim in trinitate quicquam tempore prius aut posterius, sed tantum ordine relationis, nec minus est creator filius quam pater, aut spiritus sanctus quam uterque. Id autem significatur primo verbo libri originum בְּרֵשִׁית בָּרָא i. e. in principio creavit pater, filius et spiritus sanctus, nam vox ברא tribus litteris tres personas innuit, scilicet אב, בן, רוח patrem, filium, spiritum sanctum, quod ex arcanis sanctis Ebraeorum et Kabbala diviniore promi non negabit Salomo, et ex verbo ברשית litteris commutatis, transpositis, compositis, sejunctis haec verba conflari: pater per filium principium finem creavit, caput, ignem, fundamentum magni hominis foedere bono. לב saepe pro טב accipitur. Juvat enim Ebraeos suis pugionibus et gladiis jugulare.

SALOMO: Quis non videt, ex iisdem litteris diversissimas sententias fingi posse? Nunquam enim majores nostri Kabbalae genus istud valde probarunt. Ac multo probabilius esset, ex nomine tetragrammato quaternitatem comminisci, quam trinitatem, ut Basilides evangelista, cujus sententiam Noëtiani ac Lombardus ipse, sententiarum magister, secuti videntur, ut Johannes Abbas scriptum reliquit, quod praeter personas tres quartam subjecerunt, quam ὑποκράτορα [3]) vocabant. In qua sententia fuisse videntur Pythagoraei, qui sanctam quaternitatem jurare consueverant, i. e. τὴν ἁγίαν τετρακτύαν, quam tetragonali pyramide mundorum multa millia continere denotabat Timaeus Locrensis. Et quidem magistri sententiarum de quaternitate efficax et arguta ratio aut statuit quaternitatem, aut trinitatem evertit, quia duabus rationibus producentium duas productorum opposuit, scilicet rem generantem, rem genitam, rem spirantem, rem nec genitam, nec generantem, nec spirantem. Cui opinioni aptius convenirent quatuor rotae totidemque animalia divinae visionis [4]) et illa Dei vox ad Mosen,

---

1) Platonici in Timaeum. Jamblichus in lib. de myst. l. III. Plotinus de anima. Leo de amore. 2) In libro g. Prognost. 3) Alii: ὑποπάτορα. 4) Ezech. 1, 15 sqq.

divina nomina quater repetentis, scilicet [1]): Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob.

OCTAVIUS: Principio nascentis ecclesiae christianae cum veteres Dii paganorum de antiqua possessione divinitatis deturbarentur, unus tantum Deus a Christianis colebatur. Sed cum imperator Constantinus Magnus templa Deorum concludi jussisset, Christo deitas tributa est in synodo Nicaena, non sine acerrima pontificum inter se dissidentium contentione. Nihil tamen adhuc de spiritus sancti deitate decretum erat, ac ne mentio quidem ulla in symbolo, nec Deus credebatur, ut Gregorius Nazianzenus scribit [2]). Quin etiam Arianorum sententia, quae Christum inter creaturas statuebat, tantum valuit, ut octo conciliis Tyri [3]), Sardis, Mediolani, Smyrnae, Seleuciae, Nicaeae, Tarsi, Arimini habitis, ac praecipue synodo Ariminensi, in qua sexcenti pontifices coaluerant, confirmata fuerit [4]). Ac tametsi vigesimo post anno deitas Christi restituta fuerit concilio Constantinopolitano, nihil tamen de tertia persona quisquam suspicatus [5]) erat, ut Deum novum fabricaret, nec de trinitate ullum verbum, sed tandem anno Christi 430 spiritus sanctus in numerum Deorum relatus est Ephesina synodo et sequentibus [6]), quibus subrogata sunt symbolo Nicaeno aliquot capita de spiritu sancto, scilicet: Credo in spiritum sanctum sine ulla Dei appellatione, quo minus recentis Dei novitas offensionem religiosis auribus praeberet. Ex quo intelligitur, Athanasium, qui sub Juliano Caesare florebat, symboli vulgaris auctorem esse non potuisse, nisi centum triginta annos aetatis explevisset. Omitto quod Graecus homo, solus omnibus dissentiens, spiritum ab utroque, scilicet patre et filio, procedere [7]) diceret, contra poenam anathematis, conciliis graecis subjectam, quod aliunde spiritum quam a patre derivari arbitraretur.

FRIDERICUS: Non tamen [8]) propter hominum coetus aut disputationes Christus coepit aut desiit Deus esse, nec item spiritus sanctus, sed quae ab haereticis in dubium revocabantur, altissimis sapientum decretis confirmata fuerunt. Et certe memorabile est, quod in ecclesiasticis historiis proditum legimus de duobus episcopis [9]), qui cum Nicaeni concilii decretis subscribere noluissent, a mortuis excitati, re planius comperta subscripserunt.

OCTAVIUS: Sacris litteris, inquit Chrysostomus, potius quam angelis de coelo vel resurgentibus hominibus credendum. Et quis tam stupidus aut demens reperiatur, qui daemonibus arte magica pellectis et Manibus necromantica impietate evocatis credendum putet, cum impietates illae magicae non solum divinis, sed etiam humanis legibus prohibeantur capitali poena. Et si ulla esset, quae esse nullo modo potest, in Christo deitas,

---

1) Exod. 3, 6. 2) Ep. II. ad Chelidonium. 3) Desunt sequentia haec novem verba in aliis codicibus. 4) Sozomen. ad a. 363. l. III. cp. 19. 5) Alibi: supplicatus. 6) Niceph. libro XIV, 34. Tres autem sunt synodi Ephesi coactae. 7) Alius: prodire. 8) Deest in alio codice. 9) Niceph. Callist. l. 2. c. 13.

talium sacrilegorum ac daemonum assertione penitus everteretur. Illud autem[1]) pontificibus Romanis usitatum est, cum aliquem in divorum numerum inscribi volunt, Manes ope νεκρομαντείας evocare, unde mirabiles ἀποθεώσεις ac daemonum praestigia sequuntur, quibus imperitis conceptam πολυθεότητος opinionem confirmant.

CORONAEUS: Quae a pontificibus Romanis religiose fiunt, bona fide interpretari debemus.

CURTIUS: Daemones etiam, si evocati adessent, non dubito quin Christi veri Dei nomen ac numen revereantur, cum in terris viventem ac spirantem metuerent ac timerent, quanquam quoque Sibyllarum antiquissima vaticinia Jesum Dei omnipotentis et Mariae virginis filium apertissime declaraverunt, multis ante saeculis, quam nasceretur, quae testimonia ab Eusebio et Lactantio Firmiano prodita videmus, ne[2]) sim infinitus in illis enumerandis.

OCTAVIUS: Quid mirum, cum Proba Falconia Christi vitam ab ipso Marone conjunctis centonibus descriptam reliquerit posteritati? Sed iniquum est, bibliorum majestatem Sibyllarum et Orpheotelestarum versibus foedissime conspurcari, cum saepius demonstratum sit, Sibyllas daemonum contubernio infames esse ac semper fuisse.

CORONAEUS: Satis abundeque factum opinor, si cuique argumentis, demonstrationibus et auctoritate satisfieri potest, Jesum Dei filium ab aeterno tempore genitum Deum esse et una cum patre et spiritu sancto deitatem in unitate essentiae ac unitatem in personarum trinitate tueri.

SENAMUS: Mihi quidem, qui de rebus divinis omnia omnibus assentior, satis ac plus etiam quam satis est; sed adhuc restat quaestio multo difficilior, etiamsi demus ante quindecim saecula personam[3]) filii patri coaequalem fuisse et coaeternam, quanam ratione humanam carnem asssumserit? Deinde si demus, divinam essentiam foeminae uterum et viscera subire voluisse, quid ad generis humani redemtionem necessarium esset? Nam si Deus humanum genus servare et omnibus sceleribus expiare potuit, sine hominum aut humanae carnis ope, caede ac sanguine cujusquam, nihil necesse fuit, filium a coelestibus illis sedibus in terras delapsum foeminae viscera subire, deinde utero clauso egredi et in ipsa aetatis flore acerbissimis cruciatibus ac suppliciis addici, cum solo nutu omnia omnium scelera diluere facile potuisset[4]). Id enim frustra pluribus tentatur, quod paucioribus confici possit[5]).

OCTAVIUS: Alius modus, inquit Augustinus[6]), Deo non defuit homines[7]) redimendi, ac tametsi quis putet Deum ita decrevisse, nulla tamen necessitas eum obligaret ad sua decreta exsequenda. Itaque nec antecedens nec consequens necessitas ulla fuit, quamobrem Deus vilissimam hominis carnem in-

---

1) Alii: a. 2) Alibi: nec. 3) Alius ita: personam divina ratione humanam carnem assumsisse. 4) Alius: posset. 5) Alius: queat. 6) Lib. 3. de trin. 7) Alius: hominis.

dueret, ut turpi morte caderet, quoniam vel angelus vel alius homo satisfacere potuit oblata hostia, quam Deus gratam habuisset, quia non plus est oblatio, quam quanti Deo collibuit illum aestimare. Quodsi quis dicat, neminem ab originis labe purum fuisse, Deus id quoque praestare potuit, ut quisquam ab omni scelerum contagione purus nasceretur, quod de matre Christi praedicant recentiores [1]), qui in Synodo Tridentina [2]) contra veterum sententiam, scilicet Anselmi, Bernhardi, magistri sententiarum, Thomae Aquinatis, Augustini, Hieronymi, decreverant.

TORALBA: Illud quidem valde mirum mihi videtur, tot ac talium virorum mentes beatissimas ab ecclesia Romana nunc impietatis ac haereseos damnari.

CORONAEUS: Ecclesia labi non potest, quia [3]) nondum haeresis erat saeculo Bernhardi et Lombardi.

TORALBA: Quod verum sit, nullis temporum conversionibus falsum esse potest.

OCTAVIUS: Ne in his haereamus! Poterat Adamus erga Deum amore singulari veniam mereri, quia multo praestabilior est amor erga Deum, quam omnes oblationes ac victimae, quas ex creaturis percipere potuisset [4]). Quid igitur tanta rerum conversione, tam crudeli supplicio innocentissimi hominis opus erat?

CURTIUS: Etiamsi nulla Deum necessitas ad agendum impellit, sic tamen ei placuit. Cur autem ei placuerit inquirere scelus, disputare nefas est.

CORONAEUS: Negat Ambrosius [5]), profundam immensitatem arcanorum Dei exquiri oportere; mihi tamen voluntas Dei semper exquirenda, non autem cur hoc vel illud voluerit? At si ullam [6]) de voluntate divina conjecturam capere fas est, quid illum impulerit, ut naturam humanam susciperet ac supplicio contumeliosissimo caderet, ea potissimum causa videtur, ut nos a vitiorum foeditate ad virtutes revocaret. Sic enim, quantum a sceleribus abhorreat, intelligimus. Deinde, ut homines ad ejus amorem ardentius inflammaret, quos majore quam angelos dignitate ac praestantia cumularet.

TORALBA: Id quidem Christianis et imperitis facile, philosophorum certe nemini persuasum iri opinor, Deum aeternum infinitis saeculorum myriadibus immutabili natura semper exstitisse, eundem tamen non ita pridem de naturae sublimi excellentia deturbatum, humani sanguinis concretionem ac novam formam induisse, ut acerbissimos cruciatus ac mortem turpissimam ab iniquitatis carnificibus sustineret, resurgeret, ac corpoream molem, ossibus, carnibus, ligamentis, humoribus ac pulpa concretam, in coelum, ubi nunquam antea visa erat, subveheret.

FRIDERICUS: At Justinus Martyr, Athenagoras, Basilius, Origenes,

---

1) Scotus, qui primus in ea sententia fuit, lib. 3, dist. 8. 2) Canon. 5. sess. 5. 3) Alius: atque. 4) Scot. l. 3. dist. 19. 5) L. 1. c. 4. de vocat. gent. 6) Alibi: nullam.

uterque Gregorius, Cyrillus, Augustinus philosophiae studiis ac disciplinis clarissimi exstitere, item Boëthius, latinorum philosophorum decus, qui etiam de trinitate libros scripserunt; et consequentibus saeculis innumerabiles, Albertus Magnus, Philoponus, uterque Picus Mirandulanus, Scotus, Thomas Aquinas, qui Peripateticos veteres disserendi subtilitate longe superarunt, trinitatis symbolum amplexantur. Quod etiam divina mens passa fuerit, nemo theologus unquam putavit, praeter Eutychem, haereseos damnatum.

OCTAVIUS: Si Deus passus et mortuus est, naturam divinam passam et mortuam confiteri necesse est. Et Tertullianus [1]) his utitur enunciatis: Nonne Deus vere mortuus est?

CURTIUS [2]): Non sequitur, divinitatem pati, quia divina mens abstractum quoddam est, Deus vero Christus concretum. Nam cum Sabellius praedicaret, Deum patrem induta specie humana filium dici coepisse, et cum in apostolorum [3]) coetum delaberetur, spiritum sanctum (ne si aliter sentiret, naturam divinam tripartito dividere putaretur), haereseos damnatus est, quod personarum nullum adhiberet distinctionem. Nestorius vero naturam divinam ab humana sejunxit omnino, cum ita conciones haberet: Noli gloriari Judaea, non enim Deum cruci affixisti, ac suam sententiam in Ephesina synodo acerrime defendit. Ejusque sectatores Flavianum Constantinopolitanum [4]) pontificem verberibus caesum ejecerunt. Tametsi loquendi ratio in Chalcedonensi concilio mutata est, ne deinceps diceretur: Natura divina passa est aut mortua, sed Deus natus, passus, mortuus est, ut in concreto diceretur, quod alteri [5]) tantum naturae conveniret in abstracto, quam loquendi figuram idiomatum communicationem appellarunt, ac vicissim Jesum immortalem, aeternum, omnipotentem propter deitatis cum humanitate conjugationem. Mediatoris vero nomen aut regis aut sacerdotis ita definierunt, ut nihil aliud quam officia significarent. Itaque de sententia utrique depulsi sunt, et qui [6]) naturam divinam ab humana penitus sejunxerunt et qui [7]) utramque confuderunt. Unionem tamen utriusque naturae in Christo fieri fatemur, sed incomprehensibili mentibus humanis ratione.

TORALBA: Nihil a natura divina, quae a mundi contagione libera est, alienius quam concretio. Quodsi ex duabus illis naturis tertiam fieri demus [8]), Deus sic [9]) concretus erit; sin utramque ab utraque penitus avulsam, i. e. si divina mens humanae menti non sit mista, Christus nihil aliud quam homo futurus est [10])

FRIDERICUS: Ita quidem si Deus ab homine Christo plane disjunctus erit, nec ulla copula cohaerebit, sed aliud est unum uni misceri et confundi, aliud copulari et conjungi.

---

1) Contra Praxeam. 2) Alius: CORONAEUS: 3) Alibi: angelorum. 4) Alius: Constantinopoleos. 5) In alio: alibi. 6) Alii: quod. 7) Alii iidem: quod. 8) Alibi: facere debemus. 9) Alibi: tamen. 10) Alius: erat.

TORALBA: Concreta semper unum efficiunt, copulata vero non magis in unum coëunt, quam oleum et aqua eodem vasculo infusa. At mirari saepe subiit disputatio Lutheranorum, quos Ubiquitarios vocant, et Helvetiorum, qui Sacramentarii appellantur [1]), et Catholicorum, quos Papistas appellant. Ubiquitarii proprietatem non egredi subjecto confitentur, verbi gratia omnipotentiam, ut pinguius loquamur, omniscientiam, omnipraesentiam congruere humanae naturae, non per se, non essentialiter, non formaliter, non subjective, (his enim verbis utuntur) i. e. non esse de carnis essentia aut accidentibus: easdem tamen proprietates divinas carni realiter convenire. Quaenam magis contraria, quam haec sibi fingi possunt? Nam quicquid de re aliqua dicitur, id ipsum est substantia aut accidens, tertium nihil est. Sacramentarii hominem Christum ubique esse per deitatem, carnem autem ipsius neque per se, neque per deitatem. Hoc libenter discam ab illis, quaenam carnis humanae deitas fingi possit? Ubiquitarii hominem Christum et humanitatem omnipotentem esse ajunt, hominem autem non etiam humanitatem esse aeternam. At rebus abstractis aeterna multo magis, quam concretis convenient. Hoc etiam absurdius: Christi corpus, inquit Brentius [2]), quod Hierosolymae omnibus spectantibus de cruce dependebat, etiam Romae simul praesto erat cum deitate. Quid hoc? Nam si caro Christi reapse ubique est omnipotens ac omniscia, certe caro est Deus aeternus, nec tamen erit caro vera i. e. humana, quod utrique negant, praeter Eutychem et Schwenckfeldium. Aliter Catholici, qui corpus Christi ubique esse negant, fatentur tamen pluribus in locis simul et eodem momento esse posse. At non ubique et pluribus in locis eodem tempore et simul, sunt ἀντιστρέφοντα, nec Christus magis duobus quam omnibus locis simul esse potest. Quodsi Christus ascendit in coelum, non est ubique, ac ne multis quidem in locis, aut si erat ubique, non ascendit nec descendit unquam. Neque etiam naturam humanam ubique extensam esse volunt [3]). Corpus enim illius ubique totum esse, non habens partes extra partes, sed partes omnes in omnibus, i. e. ut planius intelligatur, pedes in cerebro, manus in visceribus, nihilominus tamen humanitatem ubique esse negant; at humanitas abstractum quiddam est, homo vere concretum. Cur igitur ab his et illis concluduntur? Quia metuunt, ne duae illae naturae, divina et humana, a se invicem divellantur, nisi corpus Christi fuerit ubique. Oportuit igitur simul et semel in utero, in cruce, in coelo, in praesepio visibile, invisibile, verum et phantasticum corpus esse; quae quis aequo animo ferre aut patienter audire queat? Jam vero confitentur, divinitatem ab atheo in hostia consecrata non sumi, etiamsi corpus Christi ab eo devoretur et calore ventriculi conficiatur, igitur in eo ipso utramque naturam divelli confitentur.

---

1) Alius: usurpantur. 2) De personarum unione p. 12. 3) Gabr. Biel l. IV. c. 12. qu. 1.

Nam Ubiquitarii non solum animam Christi, sed etiam carnem deitati conjunctam esse affirmant, quod Sacramentarii negant. Ubiquitarii fingunt, proprietates deitatis humanitati reapse communicari, non autem proprietates humanitatis deitati; cur tam varie? cum unum et idem ὑποκείμενον esse fateantur, imo unam et eandem hypostasin, quae aut utrumque, aut neutrum admittat oportet.

CORONAEUS: Omnes illae ambiguitates tolluntur, si teneamus id, quod M. Tullius Cicero scripsit, nihil esse in animis concretum, nihil mistum. Quanto magis igitur concretio a natura divina rejicienda venit? Interdum tamen in Christo dicitur concretio πρός τί, propter naturae duplicis mirabilem et humanis mentibus incomprehensibilem unionem, in una et eadem hypostasi, quam Hilarius quodammodo similem esse scribit unioni mentis humanae cum corpore, a quo tamen Academici, Stoici, Peripatetici avulsam nec corpori concretam admittunt.

TORALBA: Si igitur mens humana simplex est ac penitus a corpore abstracta, nefas est, ullam in natura divina concretionem arbitrari, si utraque natura est ab utraque avulsa et divisa, i. e. copulata divina mens cum humana mente, ut nunquam in unum et idem coëant, Christus nihil aliud erit, quam homo, qui Deo adhaerebit, ut optimi cujusque mens integerrima ac Dei amantissima Deo adhaeret [1]), quo pertinet illud: Mihi adhaerere Deo bonum est [2]).

FRIDERICUS: Toralba philosophorum [3]) ponderibus res divinas exigi putat oportere, nec arbitratur Christum Deum esse. Neque enim si sciret perspicuam rei veritatem, subtilitate argutiarum oppugnaret, ut Paulus Judaeos ac gentiles suos excusans: Si Deum, inquit [4]), cognovissent, nunquam dominum gloriae cruci affixissent.

SALOMO: Videre mihi videor Caligulam Augustum legatos Judaeorum urbana quadam ratione excusantem, cum diceret, viros bonos ac valde simplices sibi videri, non enim reputare, Caligulam Deum esse [5]). Itaque quoque Fridericus nostrorum simplicitatem [6]) excusat, quod fabri filium non arbitramur Deum esse.

OCTAVIUS: Non video, cur Ismaëlitis irasci debeamus, quod Christum mortuum esse inficiantur, quod manibus hostium ereptum putant, cum Christiani fateantur, deitatem pati nihil posse.

CURTIUS: Nullum fraudis arcanum majus a Muhammede excogitari potuit, ut Christo deitatis opinionem et humanae salutis curam eriperet, quam quod supplicio affectum esse negat, ne quis in ejus morte salutis spem ullam collocaret aut de humano genere quicquam meritus esse videatur.

---

1) Alius: adhaerebit. 2) Ps. LXXII, 28. 3) Alibi: ratiocinationum. 4) 1 Corinth. 2, 8. 5) Philo de legatione ad Caligulam. 6) Alibi: felicitatem.

TORALBA: Frustra mortis Christi meritum [1]) praedicatur, si nihil mereri potuit. At Christus mereri non potuit, cum semper fuerit in summo felicitatis culmine collocatus et optimo fini, hoc est aeternae deitati, convinctissimus, ut quidem illi jactant. At ne angelos quidem aut beatas mentes mereri dicimus, quia praemium illis datum minus esset merito, cum tamen praemia Deus semper tribuit meritis ipsis majora. Majus autem praemium adipisci nemo potest, quam coeleste regnum, quam Dei fruitionem, quae omnia illis obtigerunt. Ita Christus optimo fini conjunctus mereri nihil potuit; nam si mereri potuisset, etiam errare, peccare, labi potuisset, quia mereri nemo potest, qui semper in eo statu est, ut si velit peccare, non possit [2]); Christum autem, si maxime vellet, peccare tamen nullo modo potuisse ajunt. Postremo infinita praemia merito Christi finito darentur, quia meritum Christi, quantumcunque est, finitum sit oportet, cum ejus cadaver mortuum sit, non etiam mens humana Christi, natura vero divina nihil penitus passa fuerit. At peccata sunt infinita ut hominum infinitorum. Quod si hominis tantum supplicio peccata dilui potuerunt, nihil necessum fuit, Christum mori.

FRIDERICUS: Deum quidem nulla necessitate ad hominum scelera expianda naturam humanam induisse dictum est, sed quoniam ita decreverat, ita fieri necesse fuit, non Dei quidem intuitu, sed hominis ipsius, nam Christus ut homo mereri potuit. Atque eo pertinent ea, quae saepe in sacris litteris occurrunt: Oportuit Christum pati; item: Oportebat haec fieri; item: Expedit unum hominem mori [3]).

SALOMO: Si necessum fuit, Jesum supplicio affici, quid est, quam ob rem Christiani majorum nostrorum crudelitatem accusant, quae tamen [4]) humano generi peperit salutem?

FRIDERICUS: Quaedam mala male dicuntur, quaedam bona bene, quaedam mala bene. Sed hoc bonum a Judaeis male dicitur, profuerunt enim inviti tum maxime, cum nocendi voluntatem impiam haberent.

TORALBA: Istud quidem est, opinor, τὸ ἐξ ἀρχῆς, quoniam illud ipsum assumitur pro argumento quod erat in quaestione; prius enim discutiendum fuit, an illud a Deo decretum esset?

CURTIUS: Si evangelicis et apostolorum scriptis ea, quae summa esse debet, fides tribuenda sit, nihil frequentius reperiatur [5]), quam illud statutum fuisse, Deum scilicet hominis amictu fragili indutum iri, ut genus humanum ab interitu sempiterno liberaret. Quae novarum tabularum ac evangelii auctoritas oraculis nititur certissimis ac divinissimis veterum tabularum ac prophetarum.

SALOMO: Ubinam vero [6]) tam multa oracula tam diu delituerunt?

---

1) Alius: merita. 2) Scotus lib. III. dist. 18. 3) Marc. 8, 31. Matth. 16, 21. Lucas 9, 22. 17, 25. 4) Alii: quod totam vel: cum tamen. 5) Matth. 8, 17. Lucas 2, 28. Joh. 2, 18 sqq. Marc. 6, 34. Ebr. 9, 15. 1. Cor. 15, 22 sqq. 6) Alii: verbi gratia, vel: igitur.

CURTIUS: Permulta quidem huc atque illuc dispersa, nullum tamen aeque perspicuum est, ut Danielis[1]), qui non modo Messiam interficiendum divino afflatu praedixit, sed etiam annos, menses, dies, momenta sic notavit, ut non tam calamo tragoediam scripsisse, quam rem ipsam penicillo depinxisse, et quae Jesaias[2]) trecentis circiter annis ante adumbrarat, coloribus perspicuis illustrasse videatur. Virum, ait Jesaias, aspectu contemptibilem, qui aegritudines ac imbecillitates nostras pertulit, quem nos arbitramur a Deo percussum et afflictum. Ipse graviter vulneratus est propter improbitates nostras, et attritus propter flagitia nostra, supplicia quae nos luere decuerat, imposita illi fuere, ac livoribus ejus curati sumus. Idem sicut ovis ad mactationem deducta non aperuit os suum, sed ad supplicium raptus est. Generationem ejus quis enarrabit? Cognitione sui multos justificabit, justus servus meus, quorum flagitia ipse sustinebit. Et eadem Zachariae verbis confirmantur ac Hieremiae versibus[3]): Spiritus, inquit, oris nostri Christus dominus captus est in peccatis nostris.

SALOMO: Hic certe locus, quem potissimum ex omnibus urgent Christiani et in quo plerique[4]) haeserunt, nihil ad Messiam, nihil ad filium Dei, multo minus ad Jesum pertinet, neque idem filius Dei, sed servus ab Esaia vocatur. Et quidem falsum et absurdum esset, quod pontifices Romani solenni carmine pridie paschatis[5]) usurpant: O rem mirabilem! ut servum redimeres, filium tradidisti. At Jesaias appellat servum, non filium. Quomodo igitur ista cohaerebunt? Videmus autem in sacra scriptura complures Messias, scilicet Mosen, Josuam, Jephtem, Gedeonem, Samuelem, Davidem, Saulum, qui omnes Messiae vocantur, nullum tamen ex his pro expiatione populi supplicio affectum. Nec tamen dubito, quin Deus ob unius integerrimi et innocentissimi civis virtutem interdum totam civitatem ac regionem absolvere velit, eoque forsitan pertinet Jesaiae dictum, cui consimile est illud Salomonis[6]): Oppidum, inquit, angustum et in eo pauci cives, quod a rege potentissimo cinctum est obsidione, aggestis undequaque substructionibus ac turribus maximis ad ejus expugnationem. In qua tamen civitate egentissimus quis ac sapientissimus exstitit, qui oppidum ab excidio servavit, nec civium quisquam suspicatus est, i. e. unius interdum civis integritas et eximia virtus ac probitas quanquam ignoti ac ignobilis, totam civitatem ab ultione[7]) et ira Dei potentissimi regis, a bello, a fame, a popularibus morbis servavit. Quod autem attinet ad Hiere-

1) Danielis 8 seq. 2) Jesaias cap. 53. 3) Zach. 12, 10. Jerem. 23, 5 sq. 32, 15 sq. 4) Alibi: plurimum. 5) Alii: Pascha. 6) Eccles. 9, 14 sqq. 7) Alibi: ustione.

miae versum, vulgaris interpretatio ab ebraica locutione plurimum differt. Sic enim ad verbum: Spiritus narium nostrorum unctus dominus captus est in retibus eorum, quae nihil ad Jesum.

FRIDERICUS: Quam belle detorta haec oracula videmus, quanquam Salomonis haec interpretatio tota ratione differt ab interpretatione Rabbi Davidis Kimchi, qui hunc locum non quidem ad Messiam, sed ad populum Israëlem referendum putat, quasi populus Israel pro flagitiis aliorum populorum expiaret; sed huic interpretationi repugnant haec verba: Vulneratus est pro peccatis populi Dei[1]); quomodo enim populus Dei pro populo Dei trucidatus esset?

SENAMUS: Julianus Augustus ut Christi supplicium expiatorium extenuaret[2]), Aesculapium Jovis filium humanam naturam induisse scribit, ut corporeis morbis perinde mederetur atque Plato aegritudini animorum, non tamen ut pro generis humani incolumitate caederetur. Et certe bonorum caedem Deus ingenti calamitate ulcisci, sceleratorum vero suppliciis totam regionem ab exitio servare consuevit. Itaque Athenienses[3]) die Aprilis septima duos homines totius regionis sceleratissimos per omnia civitatis loca circumducebant, ac septies arborum infelicium ramis ac fustibus caesos, iisdem lignis exurebant, cineribus etiam in mare disjectis. Et quoniam id singulis annis pro solenni voto fiebat, ad scelera civium expianda, diem illum κάθαρμα vocabant. Nec aliter Galli veteres ad Tiberium usque flagitiosos ac perditos homines ad Aras Laetas[4]) provinciae (quod oppidum ejus nominis ad haec usque tempora floret) lignis, statuis et colossis ingenti magnitudine fictis[5]) inclusos exurebant, ut aliorum scelera expiarentur.

TORALBA: Aequius erat, sui quemque sceleris poenas a seipso reposcere, ut Herodotus[6]) veteres Aegyptios fecisse scribit. Tantisper enim bos mactabatur, multitudo populi scapulas nudata caedebatur, qui mos ab Aegyptiis et Amorrhaeis ad Thessuatas[7]) et Hieronymitas dimanavit. Sic quoque Camari[8]) sacerdotes Bahalis, fuligineis vestibus amicti, tantisper dum sacrificaretur hostia, seipsos gladiis ac pugionibus dilacerabant. Quem morem Aegyptiorum non satis percipiebat Xenophanes, cum verberationes istas intuens: Si Deos, inquit, esse creditis hos, qui lugetis? Sin homines fuisse putatis, cur illis sacra facitis? Id enim fiebat ad sceleris cujusque expiationem. Argute tamen hominum dementiam insanam castigabat, quod homines demortuos pro Diis colerent.

SALOMO: Id fere perpetuum est, sceleratos pro suis, ac saepe quoque pro bonorum peccatis expiare, bonorum[9]) vero mactationem pro impiis fieri, plane inauditum. Nos[10]) quidem sacrarum sortium diem mense Februario,

---

1) Jesaias 53, 5. 2) Alibi: existimaret. 3) Pausanias in Atticis. 4) Alii: Araselatas. 5) Alibi: pictis. 6) Herod. V, 2. 7) Alius: Jesuitas. 8) Alibi: camari. 9) Alius: boum. 10) Alius ita: More quidem sacrarum litterarum testium diem etc.

quem Latini expiatorium et purgatorium interpretantur, quotannis recolimus, quasi sors a Deo jacta fuisset, utrum aequius videretur, flagitiosissimum ac superbissimum Ammanum [1]), an Mardochaeum virum [2]) optimum, cum universa Israelitarum gente interire et, sortibus quasi ex urna ductis, Deo ipso urnas movente, Ammanum sorte ductum, foedissimo supplicio affectum, pro Israelitis expiavisse. Sic enim Salomo impium pro justis expiaturum scribit. Cum enim Moabitidis meretricula populum Dei ad cultum Bahalis Peoris libidinum illecebris pertraxisset, populus ingenti clade affectus est [3]), nec ante clades cohibita, quam Pinehas sacerdos, hastam vibrans, Israelitam cum Moabidite conjugatum nefario complexu transfixisset, testante Deo, posteros Pinehae sempiternum sacerdotium habituros, quod impiorum caede iram suam placavisset. Non aliam ob causam lex jubet [4]), parricidam ab altaribus sacris divelli ac palam jugulari, ne tota civitas exscindatur, quoniam saepe ob unius impietatem inultam in omnium improbitates animadvertitur. Cum enim Achas [5]) praedam execratam rapuisset, exercitus Dei fugatus est ab hostibus, Deo ipso testante, propter unius flagitium id contigisse [6]). Ex quo intelligitur, Deum supplicio sceleratorum placari, bonorum vero caedem injuria petita ulcisci. Quae cum ita sint, quis putet, Deum optimum maximum optimi atque integerrimi viri supplicio delectatum?

FRIDERICUS: Quandoquidem Salomo legibus divinis nos oppugnat, legibus retundi debet. Lex autem divina vetat [7]), hostias pecudum sibi offerri, quae vel maculosae vel scabiosae vel languidae vel claudae vel oculis aliove membro captae sunt. Ex quo intelligitur, si sceleratorum justa supplicia Deo grata sunt, non tamen sceleratorum victimis delectari.

SALOMO: Divina lex hoc sibi vult, oblationes Deo ingratas esse eorum qui claudicant in lege Dei exequenda, qui coecutiunt ad indigentium inopiam, qui surdi sunt ad voces afflictorum.

CURTIUS: Cum igitur omnes homines flagitiosi sint, improbi, maculosi, lepra superbiae impuri, nec ullus unquam praeter Christum immaculatus exstiterit, in quem velut in agnum purum et omni ex parte candidum ad immolationem omnia omnium scelera superponantur, haud mirum, si hanc sibi gratissimam hostiam Deus immolari voluerit.

OCTAVIUS: Si hominum aut pecudum caedibus flagitia aliena expiarentur, cur Deus toties et tam saepe [8]) execratur eos, qui sua scelera sacrificiis ac sanguine ablui confidebant?

FRIDERICUS: Ut Judaei monerentur [9]), sacrificia cruoris [10]) umbram et imaginem fuisse illius aeterni sacrificii, quod Christus pontifex omnium maximus pro totius universitatis incolumitate oblaturus erat. Et certe Philo

---

1) Alius: Hamananum. 2) Alius: civem. 3) Numer. 25, 7 sqq. 4) Deuteron. XIX, 11 sqq. 5) Alius: Achan. 6) Josua VIII, 22 sqq. 7) Numer. 15, 3 sqq. Levit. 22, 20 sqq. 8) Psalm. 4. 40. 50. 51. Oseae 6. 1 Sam. 1. 2. 3. Jerem. 7. Ebr. 9. 2. Joh. 1. 9) Alius: admonerentur. 10) Alius: crucis.

Ebraeus cum inquireret, cur relegatis reditus in patrias sedes interclusus sit, quoad pontifex maximus mortuus esset, hunc pontificem non hominem futurum, sed Dei verbum ab omnibus peccatis purum interpretatur, cujus pater sit Deus aeternus, mater vero sapientia. Quibus verbis acu rem tetigisse videtur, Jesum [1]) scilicet pontificem illum futurum, qui sua morte genus humanum in avitas coelestium sedes revocaturus esset.

SALOMO: Qui fieri potest, ut Philo de morte Jesu cogitaverit, tanquam de pontifice animarum, qui ante occiderat, quam Philo pubertatem attigisset? Aut cur Jesum illum recens mortuum ne suo [2]) quidem nomine tot ac tam multis libris dignaretur? At ne quis sanguine peccata dilui posse arbitraretur, Michaeus [3]) vates in haec verba prorumpens: Num, inquit, dabo primogenitum meum pro expiatione sceleris aut fructum ventris mei pro hostia peccati animae meae? Indicavi tibi, o homo, quid bonum sit et quid Deus de te exquirat, scilicet facere judicium, diligere benignitatem et humilem te praebere Deo tuo. Itaque Abrahami obsequio ac voluntate eximia contentus, filium, quem jusserat mactari, vetuit [4]), quae tamen hostia integerrima atque innocentissima Deo gratissima futura videretur, si humano sanguine placari vellet.

OCTAVIUS: Quanto minus caede Christi filii Deus aeternus oblectaretur? an non potius detestabile hoc sacrificium execraretur? Nam cum Salomo abominatur eos, qui, bonis tenuium et egentium ereptis, partem in victimas conferunt, perinde facere scribit, ut si pater filium immolaret; ut planum faceret, nihil execrabilius Deo futurum, quam si filium suum sibi carissimum quisquam immolaret. Id autem absurdius est, Deum hominibus iratum a se ipso ultionem exigere, non aliter quam si quis vulneratus graviter vindictam non ab hoste, sed a seipso deposceret, ac veluti desperatus suspendio vitam finiret.

CORONAEUS: Christi mors non solum ad expianda scelera improborum proficit, sed etiam, ut a flagitiis eo libentius abstineamus, cum intelligamus, immortali Deo scelera impiorum tam displicuisse, ut carissimum sibi filium mortem foedissimam ob aliena peccata luere velit. At non tantum Christi pretiosissimus cruor hominum generi sempiternam peperit salutem, verum etiam crucis ipsius simulacrum improbos genios repente fugare ac pestes aërias deturbare quis nesciat? Nam Juliano, daemones interroganti, cur fugerent, confiteri non dubitarunt, se admirabili signo crucis fugatos esse, ut quidem scriptores ecclesiastici [5]) prodiderunt. Ut non immerito ecclesia Romana soleat usurpare carmen illud: O crux ave, spes unica, auge piis justitiam reisque dona veniam!

CURTIUS: Haec quidem a Coronaeo pro ea qua imbutus est religione, praeclare dicuntur, non video tamen, ut truncus ligneus veniam scelerum

1) Alibi: ipsum. 2) Alibi: nescio. 3) Michae 6, 7 sqq. 4) Genes. 22, 1—19.
5) Nicephorus Callistius. Cyrillus. Gregorius Nazianzenus.

indulgere cuiquam possit, sed his, opinor, terriculamentis cacodaemones imperitos obligare et [1]) a Dei cultu avertere consueverunt.

SALOMO: Sed exanimis crucibus omissis, ad crucifixum ipsum redeamus, non modo in quo, sed etiam a quo salus in omne genus humanum dimanare putatur. Aut enim morte illius mortuorum aut viventium aut eorum, qui tunc nascituri erant, flagitia sunt expiata, cedo quorum sint?

FRIDERICUS: Omnia omnium peccata Christi morte purgata sunt et eorum qui venturum crediderant et qui venientem exceperunt et qui mortuum sincera mente coluerunt.

OCTAVIUS: Nullus, opinor, pontifex tantae fuit impietatis, ut futura scelera ignosci putaret. Nam quid aliud esset, quam scelerum omnium deterrimam proponere impunitatem. Itaque Paulus praeterita quidem peccata Christi morte obliterata scribit [2]), non tamen futura.

SALOMO: At ne praeterita quidem Christi supplicio fuisse diluta, constat lege divina, quae inanis fuisset, si usque ad Christi tempora venia dilata esset et inania Dei promissa, quibus toties pollicetur [3]), se poenitentibus propitium fore. Cum autem solenni die jejunii Deus jubet de peccatis confiteri ac poenitere, subjicit haec verba: Eo die expiabuntur omnia peccata vestra, ac mundi eritis ab omnibus flagitiis vestris. Nam si quae flagitia decipi voluisset, (ut Romani pontifices robustioris impietatis scelera ad indulgentiam sibi referri jubent, indicta poena pontificibus minoribus, si graviorem cognitionem sibi assumant) si quae scelera [4]) in Christi futuri adventum, distulisset, non erat in lege ferenda omissurus; sed nihil excepit. Ac si quis putet, prophetas antiquos ad majores nostros in legis interpretatione minus fuisse diligentes, cognoscite, si placet, eorum doctrinam. Si enim statuunt, peccata quidem adversus leges jubentes poenitentia primum [5]) expiari [6]), puta si quis egentem non juverit [7]), cum facile posset; qui vero contra legem vetantem peccaverit, puta qui nomen alterius injuria violaverit, poenitentia quidem peccatum sustineri, die tamen expiationis aboleri. Sed si sceleris poena fuerit capitalis, ut adulterium, poenitentia rursus et expiationis die peccatum suspendi [8]), castigationibus vero, quae tum a judicibus, tum a Deo irrogantur, si judices ultionem dissimulaverint, penitus obliterari, eoque pertinere dictum illud [9]): Visitabo plagis et verberibus peccata eorum et flagellis scelus eorum. Quod si quis Dei nomen sacratissimum contumelia laceraverit, poenitentia primum, deinde expiationis die, post etiam castigationibus suspendi ac tandem die occasus aboleri. Poenas tamen flagitio debitas praeclaris actionibus omnino dilui, aut certe

---

1) Desunt haec sequentia Curtii verba in aliis codicibus. 2) Rom. 3, 25. 3) Deuteron. 32. Psalm 77. 78. 98. Jer. 5. 31. 36. 50. Amos 7. Psalm 129. Exod. 30. Levit. 33. Psalm 24. 64. 102. Levit. 16. Numeri 23. 29. 4) Alibi: affirmant. 5) Alii: sola. 6) Levit. 16. Jerem. 3. 7) Alibi: paverit. 8) Alii: sustineri. 9) Psalm. 89, 33.

nimia fatentur, praesertim religione erga Deum, pietate adversus parentes, caritate in egenos [1]); ex quibus perspicuum fit, ad hominum impietates expiandas inutilem fuisse Jesu mortem. Haec autem copiosissime a nostris explicantur, qui tamen in eo sibi conveniunt [2]), nullum esse tam immane flagitium, quod diuturna poenitentia et praeclaris virtutum actionibus non eluatur.

CORONAEUS: Imo vero inania sunt opera, inanes actiones et supplicationes nostrae sine pretiosissima illa Christi morte. Et quoniam tanti beneficii, tantae salutis memoriam latinis versibus non satis pro dignitate assequi potui, graecis hymnis sanctius id me consequi posse speravi [3]): i. e. Christe, Dei filiorum flos tenelle, aeterne sacerdos, super mundos circumvolutos invectus, dominator campis aetheriis, ubi potestatis tuae robur est defixum, indeque omnia despicis et praeclaris auribus audis. Tua super mundum ac coelum sidereum aurea supereminet ingens aeterna potestas, qua elatus tuo te splendore excitans perennibus rivis foves animum infinitum. Qui producis informans materiam incorruptibilem, quam generatio circumvagatur, quoniam formis illam obligasti, ex eademque mente fluxerunt origines sanctorum regum, qui te circumstant, potentissime! ex te nati, legationibus profecti ad te legatorum genitorem tuamque potentiam [4]) feruntur. Ad haec quoddam tertium regum genus creasti, qui tuas laudes continuate celebrant. Tu morte vitam, optime, mortalibus dedisti.

OCTAVIUS: Graecis dedit ore rotundo Musa loqui, nobis non licet esse tam disertis. Neque enim versibus Latinis haec reddi posse puto, non [5]) si Veronensis ille vir [6]) reviviscat [7]), qui ex uno versu heroico sexaginta se fecisse jactavit.

SALOMO: Egregia quidem ista laus, si non ab homine ad hominem proficiscatur. Sed si verum est, Christi morte vitam dari et peccata dilui, cur poenitentiam, cur scelerum confessionem, cur etiam satisfactionem christiani pontifices ab improbis exigunt? Aut quid magis divina lex ab homine exquirit? Quare auriculari Romanorum confessione non potuit perniciosius cogitari, sive quod homini ab homine flagitia remitti putant, quae summa erga Deum impietas est, sive quod ea persuasione licentia flagitiis omnibus, proposita veniae spe, indulgetur, sive quod robustissimae quaeque impietates semper silentur, sive quod conscientia [8]) desperationem affert iis, quos pudet foedissima quaeque peccata confiteri, quae si sciantur, capite luenda sunt, sive quod ad sceleratissima expianda pontificem maximum adire necesse sit, sive quod tyrannis faciles aditus ad proscriptiones et crudelitates aperiantur.

CORONAEUS: Ego vero sic statuo, confessione auriculari nullum esse

---

1) Ezech. 18. Daniel 12. 2) In libr. Talmud. 3) Graeca verba in omnibus, quos contulimus, codicibus adeo corrupta sunt, ut ea plane haud enucleanda omittere mallem. 4) Alibi: tuaque potentia. 5) Alibi: etiam. 6) Alius; vester. 7) Julius Çaesar Scaliger. 8) Alii: veniae.

adversus omnia flagitia efficacius amuletum. Quis enim graviter peccare ausit, qui sciat, nullam, nisi de scelere admisso confiteatur, veniam sperandam [1]). Et quidem Indos et Peruanos ante Hispanorum adventum rudes adhuc [2]) et solis cultores ista confessione apud sacerdotes uti consuevisse, testis est historia Indorum [3]), quin etiam capitale esse apud illos sacerdoti, scelera divulgare.

CURTIUS: Cum daemonibus inservirent, cui dubium esse potest, quin etiam hunc morem ab iis didicerint et expresserint, ut ab hominibus, non a Deo veniam peterent ac sperarent? O mirabile improbitatum amuletum! scilicet ipsi Deo tot saecula antea ignotum, ut homines a flagitiis coërceantur? At eo processit impietas, ut etiam sine poenitentia, solius sacerdotis verbo atrocissima quaeque scelera plerumque obliterari putent. Poenitentia vero quanta sit ad veniam adipiscendam, docet [4]) Manasse rex Judaeorum eleganti ac efficaci oratione ad Deum. Tu, inquit, poenitentiam infinita bonitate decrevisti, ut eos ab interitu servares, qui justissimis legibus ac judiciis fuissent perituri.

FRIDERICUS: Christi mors ea scelera non expiavit, quae jam pridem poenitentia vel justa ultione prius vindicata fuerant, nec eorum peccata, qui [5]) nullam futuri Messiae spem conceperant, nec item eorum, qui oblatam a Christo salutis recuperandae medicinam repudiarunt, sed qui beneficium Christi gratuitum acceperunt [6]), ii non modo culpam, sed levissimas effugiunt poenas omnium improbitatum.

OCTAVIUS: Profecto decretum illud valde perniciosum mihi videtur, ut ex fiducia, quam de Christi supplicio flagitiosissimus quisque temere accipiat, peccatorum veniam adipisci mereatur. Nam quid aliud est, quam, tanta flagitiorum impunitate omnibus proposita, viam latissimam ad omnes impietates audacissimo cuique munire? [7])

FRIDERICUS: Christi mors potissimum necessaria fuit humano generi ad expurgandam [8]) teterrimam originis labem.

TORALBA: Si peccatum nullum est nisi voluntarium, ut quidem omnes theologi [9]) confitentur, peccatum originis nullum esse potest, quia nulla est in nascente peccandi [10]) voluntas. Quod si ita est anxia de trinitate disputatio, ac multo difficilior de incarnatione divinitatis, item de ascensione Dei hominis in coelum ac de caeteris id genus divinis ac naturae legibus valde contraria diluuntur.

CURTIUS: Ut nullum sit originale peccatum, fieri nullo modo potest, quia nihil frequentius in Veteris et Novi Testamenti tabulis reperitur.

SALOMO: Non dubito, in eo Adamum peccavisse, non quod poma ve-

---

1) Addit hoc loco alius codex: SALOMO. 2) Addit alius: siderum. 3) Alius hoc loco addit nomen interlocutoris: SALOMO. 4) Alius: docuit. 5) Alius: quae. 6) Alius: receperunt. 7) Alius: aperire. 8) Alius: depurgandam. 9) Augustinus, l. 1. de libero arbitrio. Lombardus l. III. 10) Alibi: peccati.

tita decerperet, ut vulgus puerili errore opinatur, sed quia mentem, ab intelligibilium rerum contemplatione abductam, cupiditatum ac sensuum illecebris inescari et obrui pateretur. Sic enim Ebraeorum theologi acutissimi [1]) mulieris appellatione sensus corporeos, mariti vero nomine intellectum significari ajunt, ut serpentis verbo voluptatem, quae quasi serpens corporis latebras subire ac meatus omnes sensuum et orificia tentare, vim tamen praecipuam dentibus exserere et in ventre reptare solet. Sed utcunque peccavit Adamus, cur peccatum illud ad posteros innocentes redundaret? aut si vitia transferantur ad posteros, virtutes quoque transferri necesse est, ac multo magis quam vitia, cum in universa natura bona malis semper fuerint potentiora, ut superius demonstratum est. At omnes philosophi aeque ac theologi [2]) diuturna experientia duce compertum habuerunt, nullas parentum virtutes ad posteros traduci. Non poterunt [3]) igitur transfundi peccata, cum sit eadem contraria disciplina, ex quo sequitur, nullum esse originale peccatum.

CORONAEUS: Ista quidem fuit Pelagii haeresis [4]), jam pridem theologorum summa consensione repudiata et conciliorum decretis explosa, nostraque aetate Tridentini concilii [5]) summa autoritate fracta ac rejecta. Sic enim decretum est: Eum qui peccatum Adami ad posteros propagatum negat, aut ei solum nocuisse aut corporeas tantum imbecillitates transfusas aut aliter quam Christi morte aboleri potuisse [6]) putat, anathema esto. Quae dicta Pauli verbis ac sententiis nituntur. Quemadmodum enim ait Paulus [7]): Mors imperium habuit ob unius peccatum, ita unius morte gratia latissime propagatur ad salutem. Cur etiam quereretur David his verbis [8]): Ecce in sceleribus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea.

OCTAVIUS: Manichaeorum haeresis est, inquit Augustinus [9]), peccatum originis defendere.

FRIDERICUS: Hic innuit Augustinus haeresin Manichaeorum, qui ab aeternitate infinita duo bonorum et malorum principia posuerunt, Deum, inquam, bonorum et Deum malorum aequa potestate, in qua haeresi diutissime Augustinus haesit, illud enim [10]) est peccatum. Sed ne quis putet, Augustinum originis humanae labem negare, pleni sunt ejus libri, plenae epistolae originis peccato. Sic enim adversus Pelagium: Omnes homines, inquit, originis peccato tenentur.

TORALBA: Si plus auctoritati conciliorum, quae tamen ab Helvetiis et Germanis rejiciuntur, quam rationi tribuamus, nullus disputationi, nullus

---

1) Philo legg. alleg. I. II. III. de Mos. II. de gigantibus. Rabbi Ruben in libro Aboth Nathan c. 16. [N.] 2) Aristotelis Ethic. Plato in Menon. Scotus sentent. l. II. 3) Alius: possunt. 4) Augustinus l. XI. de nupt. et l. II. contra Pelag. 5) Sess. V. c. 2. 3. 5. 6) Deest in alio codice. 7) Rom. 5, 17 sq. 8) Psalm. 51., 7. 9) Augustinus l. II. de nupt. c. 19 ad Valerian. 10) Alius: non.

demonstrationi locus futurus est, sed omnia temere assentiri oportet, quia Augustinus, quia Hieronymus, quia Scotus, quia Galatinus [1]) dixit." Sed obsecro rationibus et argumentis perspicuius disseratur. Nam qui Pelagii [2]) sententiam omnium verissimam pejus [3]) tueretur, vidi neminem. Subtilius igitur omnia hujus quaestionis argumenta, si placet, discutiantur, cum ab ea innumerabilium quaestionum fructus explicentur. Quid enim est peccatum originis, nisi quia mater in conceptu paterve [4]) plus aliquando [5]) libidini ac voluptati, quam decuit, indulsit? Ut ita sit, cur filio fraudi futurum sit?

CURTIUS: Nonne rationi consentaneum est, quando ratione [6]) Toralba [7]) contendit, ut filius haeres parentum obligatione teneatur? Id enim [8]) Plutarchus, quantumvis paganus, naturali aequitati consentaneum esse scripsit.

OCTAVIUS: Debita qnidem haereditaria lui [9]) oportere concedo, sed quis unquam audivit, scelerum ultionem aut exactionem poenarum ab haeredibus repeti?

SALOMO: Legibus divinis disertissime cavetur, ne filius parentum ulla culpa teneatur, idque saepius repetitum videmus [10]).

CORONAEUS: Non modo labem originis Christi cruore delebilem, sed etiam privati cujusque sceleris poenas a posteris repeti [11]) testatum habemus.

SALOMO: Sua quisque fraude plectitur, non aliena. Nam cum Israëlitae conquererentur, majores nostros uvas acerbas degustavisse [12]), Deus clara voce populum contestatur [13]), suam cuique integritatem profuturam, vitia cuique sua, non aliis, nocitura. Quod autem sui nominis hostes ulturum minatur tertia quartaque progenie, hanc recipit interpretationem theologorum consensu [14]), ut si scelestum parentem sequatur filius nequam, hunc nepos, ni sit patre et avo melior, tunc Deus, parentum, avorum et proavorum memor, ultionem ita persequetur [15]), ut nulla deinceps eorum posteritatis memoria sit futura et [16]) penitus a stirpe deleantur, sui vero cultorum et amantium etiam [17]) millesimam progeniem amplexaturum jurejurando spopondit, ut omnes intelligant, quanto Dei misericordia major sit acerbitate. Neque tamen posteros patitur parentum improbitatem luere, sed sua quemque, non aliena poena tueri.

FRIDERICUS: Cur igitur denunciatum est Heli pontifici maximo, de posteris suis neminem senem aut locupletem futurum, propterea quod filiorum impietatem inultam reliquisset?

---

1) Ep. ad P. Diaconum. 2) Alius: Pelagio. 3) Alius idem; prius. 4) Alius: patri. 5) Alius: aliquanto. 6) Alibi: Nonne ratio consentanea est, quando ratione etc. 7) Deest in alio codice. 8) Alius: etiam. 9) Alius: solvi. 10) Deuter XIV, 4. Reg. II, 2 et 4. Paralip. II, 25. Ezech. XVIII. 11) Alius: Deum repetiisse. 12) Addit alius: ac filiorum dentes obstupuisse. 13) Ex. XX. Deuter. I, 4. 14) Rabbi Salomo, Rabbi Levi in Exod. 10. Abraham Aben Esra in cap. 2. de cal. 15) Alii: persequuntur. 16) Alius; sed. 17) Alius: in.

SALOMO: Non est hoc, punire posteros, qui nondum nati erant, et qui, ne nascerentur, prohiberi potuissent [1]), sed minus beare. Consimile est illud Davidis propter caedem Abneris, quem Joabus nefarie trucidarat, gravi exsecratione imprecantis, ut esset in ejus posteris inopia, ulcus, lepra, hoc est Joabi posteros [2]) minus beari. Et quoniam nihil carius [3]) esse potest, quam sui cuique liberi, nihil quod ardentius amari possit, propterea Deus gravissimas minas addit, scilicet injurias sibi allatas in tertiam usque generationem ulturum. Summa tamen Dei beneficia [4]) recordari fas est, quia praestat ad breve tempus nasci, florere, vivere, quam nullo tempore nasci, et loripedem esse, quam nunquam exstitisse.

FRIDERICUS: Sed agitur de peccati labe originaria, ab Adamo [5]) ad posteros transfusa, quam pagani ipsi confitentur; quo pertinet illud lyrici:

Nam vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est,
Qui minimis [6]) urgetur [7]).

TORALBA: Ista liceant poetis. Certe qui naturam ullius sceleris incusant, non in seipsos [8]), sed in naturae parentem [9]) scelus regerunt, quo nihil fieri capitalius potest. Quis enim peccat in eo ipso, quod declinare nequit? An vero peccatum ullum fingi potest, nisi summa peccantis voluntate susceptum? [10]) At utroque vacat infans, nec bona expetere, nec mala declinare potest, nec effugere, ac ne perspicere quidem, quae sibi natura insita essent. Nullum igitur infanti peccatum imputari potest. At ubi nulla est culpa, nulla debet irrogari poena. Quae cum ita sint, nihil est quam ob rem filius ab aeterno tempore genitus sit, aut cur incredibilis ac stupenda illa incarnatio Dei fingi debuerit, frustra denique Christus pro expurganda originis macula supplicium passus esse putatur [11]).

FRIDERICUS: Ista quidem philosophis incredibilia, nova, ficta et inaudita sunt, sed cum Pelagius rationibus a philosophis petitis uteretur, ut peccatum originis nullum esse demonstraret, Hieronymus philosophorum haereticorum patriarchas nominavit. Nam si philosophorum argutiis assentiamur, fidem ac pietatem ejurare oportet, quanquam argumentum illud levissimum est, cum originis labes illa non sit ab infante, sed ab Adamo profecta, qui sciens peccavit, cum ab usu rationis sponte descivit. Radix autem quocumque colore semel imbuta [12]), stipitem, ramos, folia, flores, fructus eodem imbuit sapore, odore, colore, veneno. Ita fit, ut hominis natura funditus eversa nullam ullius boni aut virtutis scientiam habere videatur. Quis, inquit sapientiae magister [13]), dicere audeat, mundum est cor meum? purus sum sceleris? Quanto verius est illud [14]): Omnis homo mendax, i. e.

1) Alii: probibere potuissent. 2) Alius: Jacobi posteros. 3) Alius sine dubio false: clarius. 4) Alibi: summi .... beneficii. 5) Alibi: Abrahamo. 6) Alius: nimis. 7) Horatius. Sat. I, 3, 69. 8) Alii: seipsis. 9) Alius idem: natura parentum. 10) Scotus l. II. dist. Sentent. dist. 30. Augustinus de lib. arbit. l. III. 11) Alius: putetur. 12) Alius: infecta. 13) Proverb. 1, 10. 14) 1 Joh. 1, 8.

peccator! Nam si dicam, inquit ille, nos peccato vacare, ipsi nos seducimus. Salus autem uno verbo denunciatur: Crede et salvus eris!

OCTAVIUS: Quorsum ista, nisi ut improbi, qui levissima fide coelum se rapturos confidunt, foedissimo voluptatum omnium coeno volutati naturam accusent et in Deum ipsum naturae [1]) parentem improbitatum omnium causas effectrices desperata virtute regerant? Nam ut omnes jam adulti recta via deflexerunt, illa tamen de infantibus intelligi possunt, sed de iis, qui judicio suscepto ac sponte a naturae legibus aberrarunt. Et vero quis Illyricum theologum ferat, cum originis peccatum intimam animorum substantiam pervadere et ab ipso diabolo procreari ac transformari scribit, idque sola fide obliterari? Capitalis ista quidem vox esse mihi videtur [2]). Quid igitur Paulus voluit, cum diceret [3]): Nos eramus natura filii irae; nisi originis labes illa significatur?

TORALBA: Omittamus hominum auctoritatem ac necessariis argumentis disseratur! Quis enim laudem et vituperationem mereatur ex iis, quae a natura ipsa contraxit? Quis non potius commiseratione, quam ulla poena dignus videatur? Nos quidem piget coecorum ac miseret surdorum, qui sic nati sunt, at istos non miseret infantulorum. Jam vero quis putet, non modo ante partum primi parentis scelere nos obligari, verum etiam scelus illud tantum ac tam grave esse in ipsis infantibus, ut Deum foeminae uterum subire, carnis humanae conceptionem pati ac supplicia mortis teterrimae perferre necesse fuerit, ut scilicet puellos [4]) innocentissimos tanta sceleris immanitate liberaret?

CORONAEUS: Audite Cyprianum [5]) theologum ac martyrum suae aetatis facile principem: Mori plane timeat, inquit, qui ex aqua et spiritu non renatus gehennae ignibus mancipatur. Quibus verbis ne infantes quidem ipsos excepit. Baptismo vere maculam illam originis penitus aboleri confidimus, quia sanguinis Christi baptismus aquae infusione significatur.

TORALBA: Si sanguine Christi fuso labes originis omnino abstersa erat, quid opus Christi supplicio? Quanquam saepius admiratus sum baptizandi ritum. Quaerit sacrificulus ab infante [6]) vagiente, utrum baptizari velit necne? Quorsum haec?

CORONAEUS: Propinquorum ac parentum fides aeque proficit [7]) ac si puellus [8]) ipse responderet: Assentior.

OCTAVIUS: Absurdum mihi videtur, quod parentum fides infantulo vagienti prosit ad eluendam originis labem, quam ab ipsissimis parentibus contraxisse affirmant.

---

1) Deest in alio codice. 2) Alius addit: FRIDERICUS, ita ut huic sequens interlocutio tribuatur. 3) Ephes. 5, 5. Coloss. 3, 6. 4) Alibi: pullos. 5) Lib. III. de mortal. 6) Alius: sacrificus ab infantulo. 7) Alius: perficit. 8) Alibi: pullus.

CURTIUS: Ea vis est effusi sanguinis e pretiosissimis vulneribus Christi Dei et hominis, cujus lavacro irrigati sunt parentes.

SALOMO [1]): At Paulus [2]) Christi necem ad eluenda tantum peccata praeterita profuisse scribit. Frustra igitur, qui post Christum nati sunt, ullam in ejus supplicio fiduciam habent. Jam vero si parentes vestri lavacro sanctiore et cruore Christi servatoris expurgati omnino fuere, qui fieri potuit, ut rursus labem illam pestiferam ad posteros traducant?

CURTIUS: Non sic eluitur baptismo vel cruore Christi, ut non resideat insita peccati radix in ipsis cupiditatum latebris et involucris.

TORALBA: At longius Christiani progrediuntur, neque enim labem tantum originis, sed etiam alia quaeque peccata Christi morte dilui arbitrantur. Vel enim [3]) levissima quaeque delicta, quae errore imprudentibus exciderunt, vel a scientibus nullo errore contracta, vel robustiorum improbitatum scelera ignoscuntur. Leviora quidem [4]) prius lege divina demonstratum est sola poenitentia deleri, graviora autem, puta adulteria, stupra, caedes, veneficia, parricidia, sortilegia, idolatria, contumelia nomini Dei illata, poenas habent divinis et humanis legibus constitutas, quae post Christi mortem frustra decernerentur [5]), si falsarius, si fur, si adulter, si parricida exciperent apud praetores ac judices talium quaestionum, se baptizatos esse, ac fide constanti persuasum habere, omnia flagitia, tum praeterita tum futura, Christi pretiosissimo cruore dilui. Si igitur a vivis aut mortuis justa scelerum supplicia exiguntur, inane est illud beneficium, inanis Christi mors ad scelerum impunitatem.

CORONAEUS: Baptismus quidem propter Christi supplicium diluit omnem originis labem, ac tametsi libido et cupiditas, peccati fames relinquitur, nemini tamen baptizato nocere potest, si modo ratione duce obsistere velit, ut sanctionibus Tridentinae synodi cavetur [6]).

FRIDERICUS: Concilia quatuor, scilicet Nicaenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, quae et Gregorius [7]) pontifex maximus perinde habet ut evangelia, respuere nolim, nec principum aut pontificum, qui affuerunt aut praefuerunt, potestatem elevare [8]). Caetera vero concilia, quibus pontifices ambitiosa decreta fingere ac nova refingere [9]) consueverunt, probare non possum. At enim Gregorius Nazianzenus aperte scripsit [10]), se nullius unquam synodi felices exitus vidisse, i. e. μηδεμίας συνόδου τέλος ἑωρακέναι χρηστόν. Et certe Nicolaus Panormi pontifex, ecclesiae Romanae cultor maximus, conciliorum autoritatem extenuans: Plus, inquit, vel simplici laico, scripturam sacram profitenti, quam toti concilio credendum. Tutius est igitur, in eo genere Augustini sententiam probare, sic enim ille ad Maximianum:

---

1) Alius: OCTAVIUS. 2) Rom. III. IV. quod notandum. 3) Alius: igitur. 4) Alius addit: ut. 5) Alibi: discernuntur, vel: decernentur. 6) Can. 3. sess. 5. 7) Lib. 1. ep. 24. 8) Alius: enervare. 9) Alius: figere ... refigere. 10) Ep. 42 ad Procop.

Neque ego [1]), inquit, Ariminensi Synodo, quae Arianam sectam probavit, neque Nicaena teneor, sed auctoritate sacrorum scriptorum nitimur [2]), i. e. prophetarum, apostolorum, martyrum, quibus originis peccatum summa consensione probatur.

TORALBA: Ne, obsecro, conciliabulorum aut levium scriptorum atque imperitorum hominum auctoritate rationis aut intelligentiae nostrae lumen extingui aut obrui patiamur.

CURTIUS: Sed quibus, Toralba, rationibus res divinas ac sanctissima patrum antiquissima decreta, tot saeculis confirmata, evertere te posse confidis?

TORALBA: Si peccatum actuale Adami non tantum peccanti nocuit, quantamcunque [3]) poenam pertulerit [4]), sed etiam in omnes posteros transfusum est, aut a corpore in corpora, aut ab animis in animos, aut ab utroque in utrumque transfundi oportuit. At corpus ipsum nullius peccati [5]) coargui potest, alioquin bruta quoque ipsa peccarent. Sin peccatum omne a voluntate et rationis lapsu proficiscitur [6]), summa theologorum christianorum consensione profecto peccatum originis [7]) in animis infantium esse non potest [8]), cum planum sit inter Christianos, Ismaëlitas et Ebraeos, omnes omnium animas a Deo mundissimas ac purissimas creari et creatas illabi momento in corpus humanum. Quodsi mens a Deo pura proficiscatur, unde labes ad infantis animam irrepere potest? Quae ratio fecit, ut sententiarum magister ad stuporem usque miraretur, undenam labes illa derivaretur? Non peccat, inquit, qui creat animam, non peccant parentes, qui progenerant corpus, cum id universae naturae consentaneum sit [9]). Per quas igitur rimas inter tot innocentiae praesidia peccatum penetrare potuit? [10]) At ne Aristoteles quidem hominis mentem semine traduci putavit, extrinsecus infundi, ut satis aperte declarat his verbis: Λείπεται τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισίεναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον. Ego τὸ θύραθεν interpretor θεόθεν, οὐρανόθεν, ὑψόθεν, divinitus, coelitus, superne.

SALOMO: David Kimchi et Rabbi Saadias cum interpretantur illa verba [11]): formans spiritus in medio ejus, tradunt animam a Deo formari in ipsa corporis perfectione. Idque confirmat non modo Rabbi Moses Aegyptius [12]), sed etiam cum Christianis et Ismaelitis theologis Stoici conspirant, repudiata opinione Platonicorum, qui a Deo quidem animas prodire fatentur, sed initio mundanae originis omnes simul ac semel conditas fuisse ac vicissim corpora subire putant.

---

1) Alius: nego. 2) Alii: nitamur, vel: utamur. 3) Alibi: quantumcunque. 4) Alius: damnumque ipse pertulit. 5) Alius: At corporis ipsius nullum peccatum etc. 6) Alius: proficiscatur. 7) Alius: originale. 8) Petrus Lombardus. Thomas Aquinas. Scotus. Albertus. Durandus. 9) Libro de generatione mentem extrinsecus ingredi scribit et hanc solam esse divinam. 10) Haec antecedentia undecim verba desunt in alio codice. 11) Zach. cap. XII, 1. 12) In epistola contra astrologos.

TORALBA: Si tamen verum esset, quod Epicureis videtur, animos hominum aeque ac bestiarum cum ipso semine traduci, quodque necesse est confiteri, si originis peccatum admittamus, oporteret peccata in infinitam vim ac multitudinem excrescere et ad posteros omnes derivari. Hoc autem absurdum esse, experientia atque usus, rerum omnium magister optimus, cogit confiteri. Videmus enim Josiam [1]) nepotem Manassis, crudelissimi tyranni, qui principes suae gentis omnes impietate superaverat, pietate ac justitia paucissimos sibi pares, superiorem habuisse neminem. Quodsi anima non traducitur semine, sed divinitus delapsa diffunditur in corpus, nulla peccati originis macula fingi potest.

FRIDERICUS: Fatemur quidem, animas non traduci semine, sed carnis contagione conspurcari, propter arctissimam corporis atque animae conjunctionem. Quaeris, inquit Augustinus [2]), culpam in pueris, invenies ex carne traductam. Eadem est Petri Lombardi et eorum, qui ab ejus schola profecti sunt, sententia.

TORALBA: Hoc ipsum est rustice philosophari, cum hoc ipsum sit contra naturam, ut materia in formam, h. e. ut corpus agat in animam. Est enim materia patibilis, forma vero actuosa. Et quidem Augustinus [3]) ipse ex eo naturae decreto concludit, nullam esse corporum in mentes actionem.

CURTIUS: Quoniam Augustini verbis utitur Toralba, ejusdem auctoritate facile refellitur. Sic enim Augustinus [4]): Firmissime teneas et nullatenus dubites, eos, qui sine baptismo de hoc saeculo transeunt, aeternis suppliciis puniendos, quae verba de Cypriani [5]) scriptis descripsisse videtur.

OCTAVIUS: Idem tamen eodem libro negat, infantes sine baptismate mortuos ullas perferre poenas, quia nullam sensuum delectationem gustarunt [6]). Ex quo sequitur, nullum esse peccatum originis, si nulla poena irrogatur, nec ullam fuisse causam, cur putemus Christum tam acerba supplicia pro peccato Adami ad posteritatem transfuso, quod nullum est, perpeti debuisse ac sapienter Muhammedem hominibus persuasisse, nunquam Christum supplicio affectum fuisse, ut inveteratam ac penitus insitam Christianorum mentibus opinionem de salute humano generi parta ob Christi supplicium refutaret, ut deinceps ab hominis spe ad immortalem Deum fiducia traduceret.

FRIDERICUS [7]): Nullam tamen poenam putas infantum animabus infligi, quibus omnino divinae visionis spes est erepta?

OCTAVIUS: Cur igitur infantum Herodis jussu caesorum festa coluntur Christianis, quasi divorum, nisi Dei [8]) visione fruerentur?

FRIDERICUS: Quoniam Christi sanguine abluti censentur, ut martyres innumerabiles, qui prius caesi sunt, quam baptizari potuissent.

1) 2 (4) Regum 21, 24 sqq. 22, 1 sqq. 1 Chronic. 33, 25 sqq. 2) Ad Bonifacium epist. 25. 3) In cap. 2 Geneseos. 4) Cap. 3. enchirid. 5) De mortalitate. 6) Idem sentit Petr. Lombard. lib. II. dist. 34. 7) Duae hae sequentes interlocutiones et Friderici et Octavii desunt in alio codice. 8) Alius: divina.

OCTAVIUS: Si martyres supplicium excusat, quominus baptizari[1]) licuerit, cur infantes morbus ac mors praematura non excusabunt, cum saepe gravius crucientur qui morbo, quam qui gladio cadunt?

CURTIUS: Quia nec morborum nec gladiorum ictus, sed causa martyrem[2]) efficit.

OCTAVIUS: Non video, quid lotiones illae aquae lustralis momenti habeant in baptismo, praeterquam quod sacerdotes sordes corporis, nec tamen omnes, levissime abluunt. Quanquam si baptismus salutem parit, etiam nolae tinnientes ac naves, quas baptizari saepissime et inditis nominibus, aquae lustralis aspersione et unctione, plerumque vidistis, salutem adipiscerentur.

FRIDERICUS: Ea baptismi vis est, ut sordes humanae originis peccati penitus eluantur, quibus sublatis restituatur hominibus illa, quam Adamus originis suae principio habuit, justitia et integritas.

OCTAVIUS: Si ablutio illa lustralis aqua, oleo, sale ac sputo condita, tantum naturae dedecus eluit, quid amplius Christi mors efficere potuit? Quamvis Christiani pontifices non sibi constant, qui peccatum illud Adami mox execrantur, quod in universam ejus posteritatem manarit, mox tamen necessarium fuisse ajunt. Hoc enim carmine solenni pridie paschatis utuntur: O necessarium Adami peccatum, quod Christi morte deletum est! Cur scelus illud tam detestabile dicitur necessarium? aut si necessarium, cur detestabile est?[3])

CORONAEUS: Dicitur necessarium, quia sapientia divina, quae falli non potest, multis ante saeculis praevisum erat.

TORALBA: Istud quidem omnibus, qui ullam sensus partem habent, miserabile videri debet, innumerabiles animas angelorum officiis ac divina bonitate creari et ab ipso puritatis fonte derivari, creatas corporibus illabi[4]), illapsas cordium[5]) labem carnis contagione momento contrahere, sine ulla concretione animorum, contractis sordibus, quae alioquin indelebiles putantur, aquae aspersione levissima expurgari ac justissimos fieri infantes, qui sensu carent. Cum tamen videmus[6]), lotis et illotis, Christianis aeque ac[7]) caeteris omnibus, eadem esse vitiorum instrumenta[8]), nec procliviores alios aliis honesta prosequenda aut turpia declinanda, sed uti quisque paganus aut Christianus doctrina ornatus[9]) sit, et ad verum decus a puero educatus, ita virtutibus excellere et praestare, eoque magis, si praestantia quaedam vis animorum quibusdam insita sit, quales accepimus Aristidem justum, Themistoclem, Socratem, Periclem, Phocionem, Rutilium Torquatum, Papirium Cursorem, Fabios, Scipiones, Catones, quos viros! Inter philosophos plurimi

---

1) Desunt haec antecedentia octo verba in alio codice. 2) Alius: martyrium. 3) Deest in alio codice. 4) Alius: illi. 5) Alius: sordium. 6) Alius: videamus. 7) Alibi: atque, omisso verbo aeque. 8) Alius addit: atque incrementa. 9) Alii: a doctrina subordinatus.

quoque magna virtute atque integritate viri, quibuscum nulli Christiani sunt conferendi! Nec immerito Erasmus: Parum, inquit, abest, quin dicam: Sancte Socrates, ora pro nobis! Et quidem Julianus Augustus Socratem capitis damnatum scribit, cum pro aeterno Dei cultu propugnaret, ut qui angelum vitae ducem ac magistrum haberet. Quis igitur adeo desipit, ut naturalia bona in hominibus propter primi parentis lapsum corrupta, supernaturalia vero penitus exhausta fuisse putet? Sic tamen magister ipse sententiarum [1]) ex opinione Augustini scribit.

CORONAEUS: Qui subtilius ista disserunt, nullam justitiam infantibus ope lotionis sacrae restitui, sed reatum modo tolli tradunt, nec infantes justitiae debitores esse, ut Adamus, qui acceptam originis primordio justitiam dicitur deseruisse, non labe originis, quam nullam habuit, sed actuali peccato. In caeteris labem originis elui, reliquas vero peccati scintillas ac fomites [2]) restare. Sic enim Augustinus [3]): Sunt, inquit, in baptismo peccata deleta, sed non plane exstirpata.

TORALBA: Haec certe opinio singularis probabilior est, quam eorum, qui justitiam atque integritatem originis infantibus baptismate restitui arbitrantur, qui tamen dicuntur innocentes, quia nullam justitiae aut injustitiae partem combiberunt [4]). Sed hoc habet haec sententia incommodi, quod peccati fomitem in carne relinquit, cum tamen sit in sensu [5]), in appetitu sensitivo. Ac inter utrumque plurimum interest, quia voluntas imperat corpori dominatu herili [6]), appetitus vero dominatu civili ac liberali. Qua quidem ratione nulla caro traduci potest, fomite conspurcata. Et recte quidem Anshelmus [7]) scribit, non magis semine quam sanguine animam conspurcari ac sordidari. At in puris naturae causis delectatio propria est sensitivi appetitus et in subjecto delectabili.

CURTIUS: Demus id quidem; sed sine originis macula non esset immoderata vis illa voluptatis, uti est.

TORALBA: Igitur post baptismum semper esset moderata, quod falsum est. Neque enim [8]) est in potestate appetitus sensitivi non delectari, nec in eo est modus delectationis, sed quantum potest, appetitus delectatur in eo, quod summopere delectabilis est. Quid igitur addere potest libido supra id, quod in summo voluptatis gradu sensum oblectat?

CORONAEUS: Si appetitus illi ratione [9]) non regerentur, nihil homo differret a judicio ferarum.

TORALBA: Quid? imo feras videmus semper naturae legibus obsequi.

SALOMO: Tota haec disputatio de originis labe, quae nulla esse mihi videtur, a primoribus christianae religionis initium duxit. Ut enim

---

1) L. 1. dist. 32. 2) Alius: fortes. 3) Lib. II. de libero arbit. 4) Alius: combibunt. 5) Desunt duo haec verba in alio codice. 6) Desunt tria haec sequentia verba in alio codice. 7) C. 6 et 7 de conceptu virginis. 8) Alii: vero. 9) Alius addit: duce.

animos imperitorum ad se traherent, supplicium sui magistri atque autoris salutare medicamen exstitisse peccatis expiandis persuaserunt, et ne peccandi licentiam deinceps addere [1]) viderentur, posuerunt, Adami peccatum, quod in ipso resedit, in infinitam posteritatem propagari eique poenas sempiternas deberi, quibus omnes in solidum tenerentur. Haec [2]) errorum semina longe lateque per hominum mentes serpere coeperunt, quia totum hominem ista contagionis labe corruptum fuisse judicabant, ut nec recte quisquam agere ac ne cogitare quidem, aut ullam justitiae partem posset adipisci. Quin etiam putarunt, animantes bestias propter Adami peccatum obsequii naturalis, quod homini antea praestare consueverant, jugum excussisse, quo nihil ab historia sacra, nihil a rei veritate potuit alienius cogitari. Nam post aquarum omnium diluviones [3]) Deus Noachum [4]) bono ac forti animo esse jussit [5]), se omnibus bestiis hominis terrorem incussisse. Hinc illam hominis inter caeteros animantes praestantiam ac dignitatem et in feras quoque belluas dominatum quendam eximium psaltes lyricus [6]) supra modum extollit, ne quis tam absurde imperium ex Adami lapsu hominibus in bestias etiam ereptum arbitretur.

CURTIUS: Quorsum igitur divina illa Adami historia, lapsus, comminatio, castigatio, tam diserte sacris litteris testata ac consignata? [7])

SALOMO: Non vides, Curti, elegantem ac divinam esse allegoriam? [8]) Quisque sibi est Adamus et quaecunque Adamo contigerunt, eadem contingunt in omnibus, qui sensuum illecebris ac voluptatis praeter modum lascivientis cupiditate ac suavitate delectantur, et qui in illa sensuum suavitate bonorum extremum, in doloribus vero et aerumnis adeundis malorum finem posuerunt. Et quemadmodum dicitur Adam ad se rediisse et resipuisse i. e. a sensuum oblectatione ad intelligibilium rerum contemplationem revertisse, i. e. ligno vitae frui, quam Salomo [9]) veram sapientiam interpretatur, deinde Sethum plane divinum hominem ad sui ipsius imaginem progenuisse: sic nobis accidit, cum aberrantes a recta via, in sordibus ac coeno libidinum immersi, tandem aliquando emergimus et in rectam salutis viam regredimur. Ac tametsi Deus Adamo praedixisset, hunc moriturum cum fructu arboris prudentiae boni et mali indicem degustavisset, non praeterea tamen aeterna morte damnavit, sed uti Deus misericors est, ita quoque poenas semper irrogat peccatis ac legibus leviores. Quin etiam [10]) Adamo salutarem medicinam indicavit, cum diceret: Fortassis vitae lignum decerpet et vivet in aeternum.

FRIDERICUS: Salomo suis se retibus involvit; non [11]) vides, ligno

---

1) Bucerus in cap. 4. ad Rom. et cap. 2 Conf. August. 2) Alii: Hinc. 3) Desunt haec quinque antecedentia verba in alio codice. 4) Alius: Noëmum. 5) Genes. 7, 1 sqq. 6) Psalm 8, 7 sqq. 7) Gen. 3, 1 sqq. 8) Philo Ebraeus Allegoriar. leg. Leo Ebraeus de amore. 9) Proverb. 3, 12 sq. 10) Alius: enim. 11) Alius: num.

vitae salutare crucis lignum aperte significari, in quo summam salutis spem collocare debemus?

SALOMO: Haec interpretatio non magis congruit verbo quam rotunda quadratis. Est enim vox Ebraica עֵץ, qua fructus, non lignum significatur. Et quemadmodum Adamo resipiscentia peperit salutem aeternam, ita cuique licuit et semper licebit, ope divina, quae deesse nemini potest, a pravis cupiditatibus ad rectam rationem, a sensibus ad intelligibilia redire ac vitam illam salutarem ac sempiternam adipisci sine ulla bestiarum aut hominum caede ac mactatione.

OCTAVIUS: Me quidem istius opinionis indignitate et peccati ficta propagatione commotum, divina mens nescio quomodo afflavit, ut flebiles Phaleucos flebili querimonia Christianorum effunderem:

Humani generis querelas
Coelestis pater audiit [1]) gravate
Excusantis originem malorum,
Quod primi vapulet parentis ergo,
Quodsi nunc redivivus a sepulcris
Surgat, sic proba diluet [2]) nepotum:
Tandem absistite criminatione
Inani violare dignitatem
Meam, qui generis parens et auctor
Humani meliore stirpe cretus
Filios docui viam salutis,
Virtutes docui scientiasque
Doctrinam quoque liberaliorem,
Quam primus didici Deo docente [3]):
Quod deflexinus a via magistri
Pellecti illecebris cupiditatum,
Istud fragilitatis est fatemur,
Sunt haec lecta suaviora poma
Non ab arbore delectationis [4]).
Sed a sensibus eruditiores
Facti, ad poma libidinum fovenda [5])
Nec non ad Veneres cupidinesque,
Deserta meditatione mentis,
Quae tamen moribunda languisset [6]),
Nisi tunc revocaret [7]) a magistro
Ad verum decus ideae supremae,
Ut coelestia cogitatione

1) Alius: audit. 2) Alius: diluat. 3) Alibi: ducente. 4) Alius: delicatiore. 5) Alibi: fruenda. 6) Alius: tandem moritura languescit. 7) Alius: revocaretur.

Quasi pabula veriora mentis
Ducerem. Hoc sapientiae latentis
Arcanum exhibet arborum figura.
Hic me cultus amoris ac timoris
Divini cumulavit ac beavit.
Hinc cadaverum usibus carentem
In altissima templa collocavit.
O incredibilem stuporem eorum,
Qui tot Iliadas sibi malorum et
Contigisse suis calumniantur,
Quod[1]) fructus vetiti sapore linguam
Oblectarimus [2]) et palata gustu.
Nec patris facinus nocet nepoti,
Nec parentibus acta liberorum,
Quo [3]) minus pariant sibi salutes
Divinisque opibus fruantur ipsi.
Fraude quisque sua, furore quisque
Suo plectimur, ac bono beamur.

SALOMO: Haec mea quoque sententia est. Nam qui fieri potuisset, ut Abel immortali Deo tam gratus haberetur, si labes aeternas atque indelebiles [4]) maculas foeditatis parentum ab utero contraxisset? Cur tanta laus pietatis, integritatis, justitiae ab ipso Deo tribuitur Noacho, Henocho, Jobo, Mosi, Samueli, Eliae, si parentum peccatis ita contaminati essent, ut non aliter expiari potuerint, quam si Deus hominem induisset, ac turpissimo supplicio damnatus moreretur? Si scelus illud originis hominem a Dei conspectu arcuisset, quod nulla infantis miselli culpa contrahi potest, cur Mosi spiranti ac viventi Deus ipse de facie, ut dicitur, ad faciem et quasi amicus amico colloqueretur? [5]) Cur etiam Abrahamum nostrae gentis principem tot ac tantis beneficiis cumulavisset, ut propter eum populis omnibus divinae bonitatis fontes aperiret, si conspurcatum tanta tamque funesta labe judicasset? [6]) Num potius tot ac tanta bona illi divinitus obtigerunt, quod mortales omnes singulari erga Deum amore et fiducia superaret? Quod non in credulitate quadam inani et in praemiis humanis spem rerum suarum, sed unius Dei aeterni bonitate ac potentia collocaret. Cur denique Deus tot ac tam multis prophetis [7]), si ab ipsa origine scelerati essent, se contuendum ac fruendum praebuisset? Quae visio et fruitio divini vultus carne contectis, quam illi pollutissimam putant, obtigit, quanto minus exuvio carnis detracto frui licuit? At Christiani fingunt, sanctissimos illos heroas apud inferos atque adeo in ipsis terrarum profundissimis ac densissima caligine squalentibus

1) Alius: Qui. 2) Alius: Oblectavimus. 3) Alius: Qui. 4) Alibi: incredibiles. 5) Exod. 33, 1 sqq. 6) Genes. 15 et 22. 7) Exod. 3, 24. Num. 12, 14. Jos. 5. Jes. 6. Ezech. 1, 10.

locis tria quatuorve annorum millia delituisse, nec μέγαν ὄλβον καταγεύσαι [1]) prius potuisse, ut de Tantalo Pindarus scribit, quam Jesus mortuus [2]) et ad inferos delapsus illos ex immanibus et teterrimis carceribus ereptos in coelum manu duxisset. Inferos enim Tertullianus [3]) fossam definit, in ipsis terrae visceribus ac profunditate abstrusam, non autem mundum hunc sublunarem, ut Origenes existimavit, quamquam in descensu inferorum omnes fere ab omnibus dissentiunt. Discrepantia tamen multo major est, quam quod Lazari, fame ac inedia consumti ac mortui, animam ab angelis in Abrahami sinum et complexum subvectam tradunt evangelistae, Jesu nondum mortuo [4]). Abrahamum vero ad rogationes et suspiria mali divitis obsurduisse, cum apud inferos cruciaretur atque his eum [5]) verbis increpuisse: Inter vos, inquit, et nos hiatus ingens intercedit, ut neque hinc ad vos, neque illinc ad nos aditus patere possit. Paucis tamen post mensibus Lazari animam de sublimi coelestium loco in foetidum et semiputre cadaver relapsam, ut pristinis mancipata carceribus iterum Lazarus moreretur. Qui tot ac tanti errores ab ea peccati originis concepta opinione dimanarunt.

FRIDERICUS: Si capita singula refutare velim, longius evagari oporteret [6]), quam vestra patientia ferre possit. Ac tametsi disputare prohibentur [7]) mathematici adversus eos, qui scientiarum quamvis certissimarum principia labefactant ac convellunt, ita nec adversus Salomonem aut Toralbam disputandum esset, quippe qui in dubium revocant christianae religionis fundamentum et ab radice [8]) omnia convellunt, scilicet peccati originalis in posteros propagationem. Si tamen erroris opinione fallimur, quid est cur Esdras [9]) tam ardentibus querelis exclamavit: O Adam, quid fecisti, quod non in tuum unius casum redundavit, sed in nostrorum quoque, qui ex te orti sumus! Nam unus hic locus a principe gentis Judaeorum Esdra omnibus omnium haereticorum ac Pelagianorum argutiis satis abunde facere potest. Nemo tamen Christianorum arbitratur, originale dedecus illud tantum esse, ut hominem ab intuitu divinae lucis segregare debeat. Caetera quae de carceribus patrum ante Christi mortem feruntur, neque decretis ullis comprehensa et in arcanis divinae scientiae posita, curiosius scrutari nefas est. Illud modo teneamus, morte Christi labem illam originalem elui atque emendari.

SALOMO: Neminem latere opinor, duos posteriores libros, qui Esdrae tribuuntur, inter sacras litteras non censeri ac ne inter ea quidem, quae Hieronymus [10]) ἀπόκρυφα vocat. Ac siquidem talibus libris ulla fides esset, multo commodius sapientiae libro crederetur, qui inter ἁγιόγραφα recensetur,

---

1) I. e. summam felicitatem gustasse. 2) Alibi: mortuos. 3) L. 1. de anima. 4) Luc. 16. 20 sqq. 5) Alius: illum. 6) Alius: oportet. 7) Alius: prohibent. 8) Alius: absurde. 9) Lib. IV, cap. 7, 48. 10) In prologo Galeato.

ubi autor Salomonem Regem ita loquentem inducit [1]: Eram, inquit, puer bono ingenio praeditus, bonam sortitus indolem, imo bonus ipse cum essem, corpus incontaminatum adeptus sum. Hic Salomo ex matre prius adultera conceptus erat, nihilominus tamen puram eum animam, purum corpus induisse testatur.

FRIDERICUS: Quanti sint ea scripta, satis indicat auctor Jesus Sirach, qui pro suo Salomonis regis nomen subjecit. At quanto verius pater Salomonis [2]: Ecce, inquit, in flagitiis conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. Quanto verius etiam Jobus [3]: Quasi, inquit, mundus erit, de impuro semine conceptus.

SALOMO: Demus illud, matrem in concipiendo peccavisse, quod tamen christiani theologi [4] negant, quoad partum sit impura mater, impurus foetus, an propterea peccator tantisper infans? Ac ne sol quidem ipse nec angeli puri sunt apud Deum, non tamen propterea peccati originalis labem contraxerunt.

OCTAVIUS: Summa disputationis est, Adamum a peccato resipuisse, ut quidem omnes confitentur, nec peccatum illius ad posteros fuisse propagatum, cum Caini parricidium modis omnibus gravius esset, quod tamen in eo ipso resedit nec manavit ad nepotes. Neque vero Adamus ob id mortuus est, quod ab intelligibilium rerum contemplatione ad sensibilia delapsus fuerit, qui etiamsi in illa, in qua creatus fuerat, innocentia atque integritate vitae perstitisset, moriturus tamen erat. Nam qui Henochum et Heliam mortuos fuisse negant, quanquam ab Adamo genus duxerant, falluntur. Quod enim divinissimis illis hominibus supplicium atrocius contingere potuisset, quam cadavere sempiterno concludi? [5] Sed divina potestate viventes adhuc et spirantes abrepti fuere, ne propter summam integritatis ac virtutis opinionem pro Diis colerentur. Sic quoque Mosen mortuum Deus sepelivisse dicitur [6], sic tamen ut mortalium nullus sciverit ubinam. Nec profecto Adami posteritatem, si esset immortalis, mille terrarum orbes caperent. Quemadmodum igitur innocentia non fecisset immortale cadaver, ita nec peccatum fecit ut mortale esset.

CURTIUS: Haec pugnare videntur cum Pauli sententia [7]: Per unum hominem, inquit, peccatum in mundum intravit, unde mors secuta, et per alterum justificatio ad vitam. Item [8]: Ab Adamo usque ad Mosen mors regnavit in illis quoque, qui non peccaverunt, propter Adami transgressionem.

SALOMO: Quod ad legem usque a Mose promulgatam Paulus protulit imperium mortis, satis significat, in lege illa certissimam hominum salutem

---

1) Sapi. 8, 9 sqq. 2) Psalm. 51, 7. 3) Jobi 15, 14. 4) Petrus Lombardus II Sentent. et Scotus ib. 5) Genes. 5, 18 sqq. Sirach 44, 16. 49, 16. 1 Regum 17—19. Sir. 48, 1. 4. 13. 6) Deuter. 34, 6 sqq. 7) Rom. V, 17 sqq. 8) Rom. 5, 14.

extitisse. Idem Paulus appellat [1]) legem Mosis sanctam et sancta jussa, et legis adjutores legis actionibus justificari scribit.

CURTIUS: Perspicua sunt Pauli decreta, nec quenquam sua sententia dubitare patiuntur, scilicet ob unius hominis peccatum mortem in orbem irrepsisse, quae omnes oppressit usque ad Mosen; quod non de morte cadaveris dictum est, sed de morte animorum, qui sempiternis poenis illigantur; deinde oblata salus est ex lege, quae jussa legis exequentes salutem adepturos aperte declarat. Sed quoniam nemo fuerat aut futurus sperabatur, qui satis legi facere posset, propterea efficacibus argumentis Paulus conficit, legis actionibus justificari potuisse neminem. Hinc illa manant: Lex iram operatur. Nemo justus erit de operibus legis. Evacuati estis a Christo, qui ex legibus justificamini. Lex neminem ad perfectionem adducit. Lex a Mose data est, gratia vero per Jesum Christum [2]), quem locum sic interpretatur theologus quidam [3]), ut nec veritas, nec ulla gratia in lege Mosis fuisse videatur.

SALOMO: Quis unquam fuit tantae impietatis atque amentiae, ut divinae legis majestatem ita proculcaret? At quoties David exclamat: Omnia mandata tua veritas! [4]) Quin etiam Paulus ipse scribit, eos, qui legem ipsam exequuntur, legis actionibus justificari [5]). Idem Christum frustra mortuum declarat, si ex lege justificamur [6]). Quod autem gratia, vita, salus legem amplectantibus proposita sit, millies repetitum legimus: Hoc fac et vives, haec est tua vita, haec tua salus est. An illa Dei promissa pro mendaciis habemus? Quid? Sapientissimus Salomo [7]) legem divinam appellat lignum vitarum, scilicet praesentis ac futurae vitae, אץ חיים. Et certe cum divina quaedam ac coelitus infusa vis olim me ad divinae legis laudes inflammaret, haec adolescens carmina profudi:

Purpureo mammas qui sugitis ore tumentes,
Unde sibi pater altitonans sua cantica promit,
Tum vos qui linguas didicistis habere solutas,
O pueri, molles animis teneraeque puellae, [8])
Dicite [9]) divinos sacrosanctae legis honores!
Et vos, puberibus qui primum existis ab annis,
O adolescentes, semper decet ore diserto
Dicere divinos sacrosanctae legis honores.
Vos etiam strenui juvenes, et robore corpus
Et fortes animos plenis jam viribus aucti,
Dicite divinos sacrosanctae legis honores!

---

1) Rom. 7, 12. 1 Tim. 1, 9. 2) Rom. 4, 15. Gal. 2, 16 sqq. 5, 4 sq. Ebr. 9, 14. 28. 1 Joh. 5, 37. 3) Calvinus in 1 Joh. 5, 37. 4) Psalm 119, 86 (151). 5) Rom. 7, 8 sq. 6) Gal. 2, 1 sq. 7) Proverb. 3, 18 cf. Jes. 30, 4. Deuter. 28, 30. Num. 14. Levit. 27. 8) Duae hae antecedentes strophae desunt in alio codice. 9) Alius idem: Dicere.

Et quibus acta prior cum laude maturuit aetas,
Illustresque humilesque viri, matresque pudicae,
Dicite divinos sacrosanctae legis honores!
Quosque graves annis aetas jam fracta caducis,
Urget ac occasum, precibus devota sacratis,
Dicite divinos sacrosanctae legis honores!
Vos itidem, quibus est sapientia summa tributa,
Munere coelesti, ut vultus spectare latentes
Sanctae scripturae liceat formamque venustam,
Dicite divinos sacrosanctae legis honores!
Angelici properate chori, quibus addidit alas
Pagina sancta leves, distinctas ordine triplo,
Ut doceat motus celeres ad jussa paratos,
Dicite divinos sacrosanctae legis honores!
Et vos flammiferi splendentia sidera coeli,
Quae regis magni nutu componitis orbem,
Dicite divinos sacrosanctae legis honores!

CORONAEUS: Haec divina carmina legem divinam decent [1]) et eos, qui legem exsequuntur [2]). Sed quis unquam hoc praeter unum Christum praestitit? Ob id enim Paulus legem appellat paedagogum ad Christum, qua veluti manuducimur ad ipsum; ut non immerito Justinus Martyr [3]) quaerat, quid sit lex? Praenunciatum [4]) evangelium! Quid est evangelium? Lex impleta!

SALOMO: Cur ergo ad legem amplectandam legislator omnes ordines excitans, ingentibus praemiis propositis, ad extremum populi concione coacta, jam moriturus hanc orationem haberet: Ecce [5]) tibi proposui vitam et bonum, mortem et malum [6]). Idem paulo post: Contestor hodie coelum et terram, me tibi vitam et mortem, beatitatem et exitium proposuisse. Elige igitur vitam, ut vivas tu et liberi tui, scilicet Deum ames obediasque voci ejus adhaereasque illi, quoniam ipse est vita tua [7]). Cum autem leges de rebus omnibus clara voce tulisset et quaecunque ad Dei cultum, ad mores conformandos, ad cupiditates coërcendas, ad tuendam hominum inter homines societatem, denique omnia maxima, media, minima, quae ad sacrificia, vota, ritus, expiationes pertinent, disertissime tradidisset, an omissurus fuerat praecipuum illud, quod a vobis jactatur, humanae salutis caput, scilicet unius hominis ac Dei supplicio humani generis peccata atque illam quam utero contraxerant originis labem, post annorum millia expiatum iri? Quis

---

1) Alibi: docent. 2) Alius: legi obsequuntur. 3) Quaest. c. 1. ad Orthodox. 3) Alius: pronunciatum. 5) Alius addit: inquit. 6) Deuteron. 30, 15. 7) Deuter. 40, 19.

putet, eum qui de tota sanctuarii structura, de cortinis, de vestibus, de fibulis, de claviculis deque ciborum omnium delectu tam diligenter et studiose cavisset, rem tanti momenti ad salutem adipiscendam fuisse omissurum? Cum igitur in lege divina salus divina posita sit, frustra Christus aut quisquis alius sua morte salutem pollicetur [1]), ut homines a virtute [2]), a pietate, ab integritate, a legis observantia, a vero aeterni Dei cultu seducat ad inertiam, ad vitia, ad hominum mortuorum [3]) impiam adorationem, quasi non in hominis cujusquam potestate positum exsequi divina jussa et liberum exsequendae legis arbitrium, Adami scelere posteritati ereptum fuisset.

CURTIUS: Quis dubitet, quin Adamus suo scelere liberum arbitrium, sibi divinitus tributum, amiserit ac posteris quoque eripuerit?

CORONAEUS: Ita quidem Augustana confessione decretum, in eamque sententiam quamplurimos nova religione imbutos homines convolare, contra quam ecclesiae Romanae sententiis omnibus decretum videmus. Et vero quid a judicio ferarum differt homo, si voluntas ei praeripiatur?

FRIDERICUS: Male quidem agendi voluntas Adamo non est erepta, sed bene agendi. Nonne inquit Paulus: Quod volo bonum, hoc non ago, sed quod nolo malum, hoc facio? [4])

TORALBA: Expendite, cedo [5]), quid Paulus velit. Si enim illi assentiamur, nec bene nec male agendi locus ullus homini relinquitur, nec etiam ulla praemia bonis aut ulla peccatis supplicia constituere oportebit. Quis enim arguat necessario peccantem? [6]) Quis vel minima mulcta dignum putet, cum scelus nisi voluntarium, imo nisi spontaneum nullum esse possit? Sin flagitiosos jure plecti confitemur, quia liberam agendi voluntatem haberent, qua quidem lascivientibus cupiditatibus frena injicere ac sideribus ipsis, ut ait ille [7]), superiores esse queant, quae tandem ista sententia est, hominem usu rationis, i. e. libera voluntate, penitus exuere, quanquam voluntas dici nullo modo potest, si cogatur, ac propterea legibus soluti sunt, quosvis aut justus metus aut furor impulit ad actionem.

CORONAEUS: Ego quidem sic statuo, eos, qui liberum bene agendi arbitrium hominibus adimunt, sceleribus suis latebras quaerere, ac flagitiis omnibus portas aperire fatalemque Stoicorum necessitatem, omnium theologorum ac sapientum sententiis profligatam vel jugulatam, revocare. Inde illa paradoxa, quamplurimos sempiternis ignibus addictos, qui si maxime cupiant, nihil boni tamen moliri possint, quosdam vero sic ad salutem destinatos, ut si maxime velint, improbi tamen fieri nequeant.

TORALBA: Hic quidem ἀργὸς λόγος ignavorum ac inertium hominum, non tam rationibus, quam risu debet explodi, ut quidem Academicus Stoicum

---

1) Alius: polliceatur. 2) Alius: virtutibus. 3) Deest in alio codice. 4) Rom. 7, 19 sqq. 5) Alius: quaeso. 6) Augustinus l. III de libero arbitr. 7) Ptolem ni. centiloquo.

illum, an uxorem duceret liberorum causa, dubitantem elusit hac ratione: Ad quid uxorem domum ducas? Nam si liberos suscepturus es, etiam sine uxore suscipies.

SALOMO: Ut uno errore posito innumerabiles consequuntur, ita ex originis peccato, quod nullum est, Christiani [1]) liberam bene agendi voluntatem eripi, tum ex eo mortales suppliciis sempiternis obligari arbitrantur. At frustra leges jubent et inania forent divina promissa praemia, si leges divinas exsequi non sit humanae potestatis ac ne voluntatis quidem.

CURTIUS: Ita quidem praeclare, sed non video, qua ratione liberum arbitrium hominibus tribuatur post Adami lapsum, cum ne ante lapsum quidem liberum haberet. Nam si praescientia divina falli non potest, necesse fuit Adamum peccare. Deus autem non modo dicta factaque, sed etiam omnes omnium cogitationes longissime prospicit, nec unquam falli potest. Consequens est igitur, nos bene vel male agere non voluntate, sed necessitate, nec ullam liberi arbitrii potestatem cuique unquam fuisse.

SENAMUS: Tametsi Deus velut de specula sublimi prospicit, viatorem in latronum manus venturum, cum a recta via deflexit, non tamen propterea id futurum esse oportet, sed potius quia id futurum esse Deus prospexit. Ex quo intelligitur, non necessario evenire, quae Deus praevidit.

CURTIUS: Si Dei providentia sequeretur res humanas, ut tu quidem, Sename, putas, aeterni Dei praescientia ab hominum opinione mutabili ac fallaci dependeret, quod absurdum est. Nam ut scientia rei praesentis se habet ad praesentia, sic Dei providentia sese habet ad futura. Jam vero id quod scio, nunc necesse est ipsum esse. Igitur praescientia futuri aeque necessaria est in Deo, qui nunquam opinatur, quo posito liberum arbitrium perimi necesse est. Alioquin si providentia Dei non sit necessaria, fallax est ejus opinio, quod vel cogitare nefas. Frustra igitur turpia declinamus, aut prosequimur honesta.

TORALBA: Non video, qui Aristoteles Stoicorum argumentis satisfaciat; nam ut futura contingentia potuerint aliter atque aliter evenire, divina tamen praescientia excidere non potest [2]), quia rem prospicit non ut futuram, sed ut praesentem, cum omnia Deo sint praesentia, nihil ei praeteritum, nihil futurum esse potest, omnia tamen hominibus sunt libera. Nec [3]) a tua voluntate providentia pendere videatur, ut mutabilis sit, sed tuas quoque mutationes prospicit futuras, nec propterea liberum arbitrium cuique est ademtum. Qua quidem ratione omnibus fatalibus Stoicorum argumentis satisfactum opinor.

SALOMO: Ego nec Stoicorum argutias, nec Peripateticorum rationes expendo, sed divinae legis oracula. Moses enim, coacta populi concione, contestatus est coelum ac terram, se populo vitam et mortem proposuisse.

---

1) Addunt alii: homini vel: hominibus. 2) Alibi: possunt. 3) Alius: ne.

Elige, inquit, vitam, ut vivas. Haec scripta [1]), prolata sunt duobus millibus annorum post Adamum ac totidem millibus ante Christum. Ad quid populus vitam eligeret, si ad sempiternum supplicium destinatus esset, aut si nullam eligendae salutis potestatem haberet? Aut quam ob rem divinis legibus omni studio intentum vellet hominem, quem re ipsa suppliciis aeternis destinavisset? Inutilis labor, ridicula praecepta [2]) Dei, promissa ejus inania, spes inanis, inane studium, inanes virtutum actiones, omnis denique pietas hominis, quem isti reprobatum arbitrantur. Item falsum esset illud, quod Deus creavit hominem, eumque arbitrio suae voluntatis permisit, legibus ei patefactis: Si volueris, inquit [3]), mandata servabis et ipsa servabunt te. Ignem et aquam tibi proposuit, ad utrumvis manum porrige, vita et mors, simul bonum et malum, homini sunt proposita, utrumvis ei placuerit, consequitur. Haec ille. Item Ezechiel [4]): Da eis edicta mea, quae qui facit, vivet in illis. Et quidem Deus Mosi pro populo poenam deprecanti ac petenti, ut se potius de libro vitae pateretur reduci, reposuit illud [5]): Qui peccavit in me, hunc ego de libro vitae delebo. Sic autem in universum psaltes lyricus: Omnes, inquit, in libro tuo scribuntur [6]). Item: Deleantur, inquit, de libro viventium [7]). Denique ut uno verbo argutiae futiles refellantur, Dei voce exclamantis: perditio tua ex te Israel, salus vero tua ex me est [8]).

OCTAVIUS: Ex his sequitur, Deum omnes homines salvos fieri velle et ad sui cognitionem perduci [9]).

CURTIUS: Hunc locum Octavius ex evangelicis scriptis, si fatetur, mutuo accepit, si negat, furtum est.

FRIDERICUS: Imo sacrilegium!

SALOMO: Oportet rem sacram e sacro loco invitis custodibus surripi, quanquam quicquid utile est in apostolorum ac discipulorum scriptis, quantumcunque est, ex majorum nostrorum litteris ac libris excerptum. Id autem, quod Paulus scripsit: vult omnes salvos fieri [10]), plerosque impulit in errorem, quasi voluntate [11]) imperiosa Deus [12]) hoc jussisset, cujus imperio et voluntati, quia nihil obsistere potest, consequens esset, exitio periturum neminem. Quod cum christiani theologi absurdum putarent, ne quid inepte a Paulo scriptum videretur, sic interpretantur [13]) illa verba, ut Deus velit omnes salvos fieri, qui salvi fiunt, eadem ratione qua dicitur, illustrare hominem venientem in hunc mundum, i. e. quemcunque illustrat. Sed praestaret, illa verba Pauli et Johannis una litura [14]) inducere, quam sic interpretari.

---

1) Addunt alii: dicta. 2) Alius: edicta. 3) Ecclesiastici (Sirach) 15, 15 sq. 4) Ezech. 20, 11. 5) Exod. 20, 13. 6) Psalm. 139, 16. 7) Psalm. 69, 29. 8) Oseae 13, 9. 9) Tim. 2, 4. 10) 1 Tim. 2, 4. 11) Alibi: voce. 12) Alibi: Dei. 13) Petr. Lomb. Sent. II. dist. 46. 14) Alius: litera.

SENAMUS: Ut Deus ad aeterna supplicia designarit quenquam, priusquam nasceretur, mihi persuaderi non potest, cum apud Ezechielem [1]) aperte scripserit, se impiorum exitio nunquam delectari, quanto minus innocentissimos infantes ad caedem, ad gehennam, ad aeterna tormenta destinaret.

SALOMO: Utrumque igitur absurdissimum, alios quidem ad aeternam vitam sic comparari [2]), ut si maxime velint, perire nequeant, alios autem a Deo sic repudiari, ut nullis virtutibus, nulla integritate ad salutem perduci possint. Cognoscite, quaeso, non hominis cujusquam, sed aeterni Dei vocem ad prophetam: Dic, inquit [3]), populo huic, cum homini justo dicam: vives, isque integritate et justitia fretus ad scelera se converterit, nulla prioris integritatis aut virtutum suarum memoria futura est, sed in flagitiis suis plane morietur. Rursus si homini flagitioso dicam: certissime peribis, is tamen ab impietate ad integritatem deflexerit, superiorum impietatum obliviscar, ut salutem consequatur. Atque illud est, quod saepius diximus, omnes libro vitae ac beatorum albo conscriptos esse, nisi sua sese improbitate deleri patiantur. Quod autem psaltes lyricus [4]) optat, ut impii de libro vitae deleantur, fieri non potuisset, nisi prius impii in beatorum albo inscripti fuissent. At etiam Deus saepissime decretas suo judicio poenas omnino eluit aut minuit. Cum enim denunciasset David, totam regionem popularibus morbis funestatum iri, cum tamen in urbem Hierosolymorum angelus Dei gladium exertum intentaret, Deum poenitere coepit ac pigere tantae stragis, itaque angelum caede abstinere jussit [5]).

CURTIUS: Si Deus a se repulit neminem, cur Jacobum dilexisse, fratrem autem odio persecutum esse videmus [6]), antequam nascerentur?

SALOMO: Haec verba „antequam nascerentur" Paulus ut pleraque alia subjecit. Neque enim apud prophetam [7]), quem Paulus dicit auctorem, ista leguntur. Nam duodecim duces ac populos armisque ac legibus florentes, in posteris Esau excitavit [8]). Item uno capite legis: Idumaeum, inquit, non abominabere, quia frater tuus est [9]). Ac tametsi per desertissima ac aridissima loca Idumaei rogantibus Israelitis aquas pretio denegarent, vetuit Deus eis nocere aut eorum agros invadi. Sed cum nepotes ac posteri populum Israelem exscindere conarentur ac daemonibus mallent quam immortali Deo sacrificare, tum Deus odio justo illos persequutus est. Huc enim pertinent Malachiae dicta, qui circiter septimo et decimo saeculo scripsit post Esavi mortem. Et quidem si Deus alios aliis anteferat, hos quidem opibus, illos dignitate, plerosque formae excel-

---

1) Ezech. 33, 11. cf. 18, 23. 2) Alius: comparatos. 3) Ezech. 3, 20 sqq. 4) Ps. 69, 29. 5) 2 Par. 21. 2 Sam. 24. 6) Rom. 9, 13. 7) Malach. 1, 2 sq. 8) Gen. 36, 15 sqq. 9) Deuter. 23, 7.

lentia [1]), quosdam roborata [2]) valetudine, alios judicii praestantia, nonnullos imperii majestate aut pontificatus honore decorare, denique paucissimos quosdam in coeleste domicilium sibi adoptare velit, quis quo jure sibi querendum putet, si plus minusque his, quam illis tribuit? Dicetne argilla figulo: cur me fecisti sic? Hoc enim sermone Esaias [3]) docet, sua quemque conditione [4]), divinitus sibi concessa, contentum [5]) esse oportere.

FRIDERICUS: At [6]) cum omni aetati, omni ordini, omni sexui patet porta salutis, quoniam non tantum homines, quos orbi terrarum praefecit, verum etiam creaturas omnes, complectitur summa caritate. Illud autem „Esau odio habui" non eo pertinet, ut Deus ex utero quenquam oderit, sed ut minus amare, minus etiam beare hos, quam illos intelligamus. Quis enim vel momento subsisteret, si Deus illum odio persequeretur? [7])

CURTIUS: Haec quaestio [8]) de praedestinatione ac repudiatione, deque libero arbitrio nobis est cum Romanis theologis disputanda. Sed ad Salomonem redeamus.

CORONAEUS: Non modo cum ecclesia Romana, sed etiam cum Hebraeis et philosophis omnibus, praeter Stoicos, disputatio vobis est. Erubescant, inquit Origenes [9]), qui negant, in homine liberum arbitrium inesse.

SALOMO: Moses Rambam in epistola, quam adversus astrologos scripsit: Omnes, inquit, theologi confirmant, hominem liberum salutis arbitrium habere. Deinde subjicit haec verba: Magnam propterea gratiam immortali Deo habemus.

CURTIUS: Ne propositam quaestionem deseramus, an scilicet quisquam legis actionibus possit salutem adipisci, etiamsi libera arbitria cuique darentur honesta prosequendi et turpia declinandi. Nego tamen, legibus divinis satisfacere quenquam potuisse praeter Christum, a quo praesidia salutis petenda ac speranda sunt, ut lege Mosis jam antiquata nos absolveret [10]), deinde legibus veteribus solutos, in unius sui morte ac sanguinis effusione fiduciam omnem collocare doceret. Cum enim detestabilium hominum exsecrationes legislator Moses complecteretur, postremo capite hanc [11]) subjicit: Exsecratus esto, qui non exacte praestiterit verba legis, ut ea exsequatur [12]). Ad quae respondebit universus populus: Esto! Unde Paulus colligit, eos, qui in legis actionibus salutem posuerunt, huic exsecrationi subjacere, quasi nullus unquam divinis legibus innocens exstiterit [13]).

OCTAVIUS: Cur igitur Paulus gloriatur, se in justitia legis irrepre-

---

1) Alius: diligentia. 2) Alius idem: explorata. 3) Jesaias 45, 9. cf. Rom. 9, 21. 4) Alibi: devotione. 5) Addunt alii: quemque. 6) Alii id omittunt atque sequentia verba antecedenti interlocutori tribuunt. 7) Alius: prosequeretur. 8) Alibi: quae. 9) In cap. 5 Deuter. 10) Matth. 5, 20 sqq. 11) Alibi: haec. 12) Deut. 28, 15 sqq. 13) Phil. 3, 9 sqq.

hensibilem fuisse? Nam ex eo sequitur, nihil ei mortem Christi profuisse, sed pro eo Christum hanc exsecrationem pertulisse, cum in cruce pependit. *Factus est*, inquit Paulus [1]), *exsecratio et maledictum, ut nos eriperet exsecrationi et maledicto.*

SALOMO: Saepe deprehenditur verba legis et prophetarum Paulus truncare vel augere vel plane in alienam sententiam interpretari. Exsecratio divinae legis his verbis concepta est: אָרוּר אֲשֶׁר לֹא יָקִים אֶת־דִּבְרֵי הַתּוֹרָה הַזֹּאת [2]) i. e. *execratus esto, qui rata non habet verba legis hujus, ut ea exsequatur.* Vox enim יָקִים significat *confirmare, ratum habere*, ut Jonathan et Onkelos Chaldaeus uterque interpretantur. Id autem Hieremias apertius explicat: *Execratus*, inquit [3]), *esto qui non audierit verba foederis, quod percussi cum majoribus vestris.* Quae interpretatio tota sententia differt a Pauli verbis. Hic enim exsecrationem imprecatur iis, qui non impleverint legem, quod nusquam in lege divina scriptum reperias, sed is habetur exsecrabilis, qui nec audit legem divinam nec foedus ratum habet. Hinc etiam alius error manavit, ut plerique putent, eum, qui vel ab uno capite legis aberraverit, omnibus legibus reum teneri. Sic enim Jacobus in epistola scribit [4]), quam tamen Eusebius et Hieronymus [5]) a sacris litteris rejecerunt. Ἰστέον, inquit Eusebius [6]), ὡς νοθεύεσθαι, cum de hac epistola statuerit uterque. Et quidem qui bovis alieni furtum fecisse convictus erit, quinque boves, qui ovem, quatuor oves restituere lege divina jubetur, qui autem non convictus, sed sponte furtivum bovem reddit, adjecta tantum quinta parte pretii, quia poenituit facti, peccatum ignoscitur, qui autem moechatur, occidit aut quid aliud peccavit, deinde moerore ac poenitentia vitae ante actae ductus, priora scelera virtutum actionibus rependit, in ea conditione est, ut nihil deliquisse videatur, sed poenitendo legem ipsam explevisse, ut quidem [7]) superius Ezechielis auctoritate confirmatum est. Nam si verum esset, quod Paulus scribit, neminem unquam praeter magistrum suum satis legi facere potuisse, neminem legis actionibus perfectionem adeptum, insigni mendacio David obligaretur, cum ita Deum contestatur [8]): *Legem tuam custodivi, a lege tua non aberravi, a mandatis tuis non declinavi.* At sui mendacii Deum ipsum testem cieret. Adulterium tamen homicidio cumulaverat [9]), sed quia poenituit, partim etiam facti poenas dedit, veniam adeptus est. Id enim est legi obedire, legem exsequi, legi parere, denique legem implere. Falsum est autem, legibus omnibus reum teneri, qui vel in unam commiserit.

CURTIUS: Certe, si legum actionibus justificaremur, non autem bene-

---

1) Gal. 3, 10, 13. 2) Deuter. 27, 26. 3) Jerem. 11, 3. 4) Jacob. 2, 10. 5) Cap. 2 in Catal. 6) Lib. II cap. 23 in Catal. 7) Alius: *id quod.* 8) Psalm. 118, 14 sqq. 9) Alibi: *cumulavit.*

ficio Christi, nulla omnino est gratia, inquit Paulus [1]), et frustra Christus, humani generis redemptor, mortuus est. Item: Gratia Dei salvati estis, per fidem, non ex vobis, ne quis glorietur [2]). Item: Ut justificati istius gratia haeredes simus [3]). Item: Sine me nihil potestis facere [4]). Quid igitur per te ipsum merearis, si nihil per te ipsum sine Christo praestare possis? Infinitum sit, omnia Augustini aurea dicta in hanc sententiam colligere. Omnes homines, inquit, naturalem potentiam in Adamo perdiderunt et liberum arbitrium peccando amiserunt. In qua sententia vides fuisse hos viros: Ambrosium [5]), Chrysostomum [6]), Hieronymum [7]), Gregorium [8]), Bernhardum [9]), Augustinum [10]).

OCTAVIUS: Si testium ac theologorum multitudine et doctrinae praestantia dimicandum est, ego doctoribus istis addam Ismaëlitarum theologos et quidem Christianis omnibus longe clariores, Solymam [11]), Zeidum, Odmannum, Homarum [12]), Balarem, Abacherimum, Calbanum, Zepheninium, Elsarinum, Azebaram, Achemulam [13]), Abaniphanum, Elfaridum [14]) ac innumerabiles alios, qui toto pene terrarum orbe legem Muhammedis divulgarunt atque homines a caligine densissima ad clarissimam unius aeterni Dei lucem et cultum revocarunt. Qui tametsi virtutibus ex praeclaris actionibus plurimum, plus tamen divinae bonitati ac beneficientiae tribuendum arbitrantur ac selectos quosdam esse ad salutem, caeteros ad exitium designatos arbitrantur.

FRIDERICUS: Non video cur theologorum christianorum clarissima lumina cum ista Mahummedanorum fece debeant comparari.

SENAMUS: Si autoritati plus tribuatur quam rationi, cur non etiam Verrii Flacci libros de jure pontificio, et quae veteres Jovis mystae ac theologi, quae iterum Camarim Bahalis et Sabaeorum sacerdotes libris ritualibus prodiderunt, arcessere possimus?

TORALBA: Si pergitis auctoritatibus agere, ego philosophorum familias omnes excitabo, qui eruditionis ac doctrinae praestantia minutos istos theologos facile vincant, sed praestat sensibus ipsis et perspicuis rationibus argumentari.

SALOMO: Ita quidem, nisi in rebus obscuris et ambiguis, in quibus mens humana nullos exitus reperire potest. Jam certe tragoedos multari oportet, qui θεὸν ἀπὸ μηχανῆς et oracula divina audire ex ore prophetarum et libris sacris, quos non modo Ebraeorum, sed etiam Christianorum et Ismaëlitarum theologi jam pridem sua quisque religione comprobarunt.

---

1) Gal. 2, 21. 2) Eph. 2, 9. 3) Tit. 3, 7. 4) Joh. 15, 5. 5) Epist. ult. ad Demetr. l. 1. cap. 7 de Caino et Abel. et in Exod. l. 1. cap. 5. L. 12 de voc. Gent. 20 ad pop. Hom. 9. 6) Ad Demetriad. 7) In Ezech. 12. 8) De libero arbitr. 9) Serm. 2 et 15. 10) De libero arbitrio s. Homil. 7. 11) Alii: Scalidum vel Halymum. 12) Alius: Pomarum. 13) Deest in alio codice. 14) Alius: Elsaridum.

FRIDERICUS: Tantum abest, ut innumeratos Arabum et Judaeorum errores, qui suis se virtutibus ac legum actionibus, quasi fortissimo[1]) praesidio, justitiam adipisci posse confidunt, exaudiam, ut ne Curtii quidem mihi opinio comprobari possit, in eo quod salutis summam a fide pendere arbitratur, tametsi pluribus id video placuisse. Nam si fide nostra justi sumus, nihil gratia cuiquam proficit, quoniam id totum, quantumcunque est, quod credimus, totum inquam nostrum est. Nihil actio decerpit ex illa assensione, quia nisi ab animi liberi summa assensione pendeat, fides esse desinit. Verius est igitur, nos ipsa justitia Christi, veri Dei et hominis, justos fieri, quicunque ad Deum accesserunt.

CORONAEUS: Videtur Augustinus[2]) inter utraque medium[3]) ferire, cum statuit, praeclaras actiones, quae fidem antecedunt, nihil proficere, sed eas, quae fidem sequuntur.

TORALBA: Illud quidem prorsus ab omni ratione alienum mihi videtur, nuda assensione confiteri, Christum pro generis humani salute supplicio affectum, ut immanium flagitiorum non modo veniam, sed etiam summam justitia et integritatis laudem adipiscatur. Aristidem vero justum, Solonem, Lycurgum, Socratem, Chilonem[4]), Phocionem, Platonem, Camillum, Fabricium, Scipiones, Catones, Rutilios[5]), Papirios, qui ob virtutes eximias immortale decus mortalium omnium judicio adepti sunt, quasi sceleratissimos ac funestissimos sempiternis inferorum flammis ac suppliciis crudelissimis torqueri et cruciari.

FRIDERICUS: Aut damnati sunt aut aeternis inferorum suppliciis, quibus mortales omnes primi parentis fraude obligantur, erepti et servati. At sine servatore servari vel salvi fieri non possunt; igitur sempiternis cruciatibus addictos esse, aut ut mitius agatur cum iis, qui virtutibus heroicis claruerunt, in teterrimis ac retrusis terrarum cavernis, densissima caligine obsitos coerceri oportet.

OCTAVIUS: Profecto ne Christianis quidem, qui modo aliquid judicii habent, haec probari puto. Nam si qua virtus hominem Deo gratissimum efficere possit, non fides ac inanis credulitas de Christi morte, sed constans in Deum aeternum fiducia praestat, et qui sic affectus est, ut neque in seipso neque in praemiis[6]) humanis spem ponat rerum suarum, hunc oportet, singulari quadam Dei amore flagrantem, verae[7]) felicitatis suavissimos decerpere fructus. Haec illa fides est, vel potius singularis erga Deum fiducia, quae virtutes omnes amplexa fovet ac tuetur.

SENAMUS: Ego praeclaris quemque actionibus beari statuo, et quo quisque majore erga Deos religione, pietate in patriam, caritate in propinquos, benignitate erga egentes, justitia in omnes exstiterit, eo beatiorem

---

1) Alii: munitissimo, vel: tutissimo. 2) Qu. 76 et 85. 3) Deest in alio codice. 4) Alii: Philonem. 5) Deest in alio codice. 6) Alius: rebus. 7) Alius idem: vitae.

ac immortali Deo, tametsi Deos peregrinos bona fide ac justo errore colat, gratiorem futurum. Quid enim aequius, quid naturae magis consentaneum, quam maxima iis praemia decerni, qui maxime de republica, de parentibus, de propinquis, de tenuibus, denique de toto genere hominum mereantur? Quoniam de immortali Deo mereri nihil ac ne gratias quidem pro sua erga nos beneficientia habere possumus.

CORONAEUS: Ego vero semper assentior sanctissimis ecclesiae Romanae ac potentissimis Tridentinae synodi decretis, quibus anathematis exsecratione urgentur ii, qui fidem sine operibus et qui opera sine fide justificare putant. Quid vero vates ille [1]) ex oraculo divino exclamat? Justus est, fide vivit! [2]) satis declarat, justis, non injustis fidem profuturam, alioqui daemones et sceleratissimi quique inani credulitate de morte Christi coelos raperent.

CURTIUS: Quoniam in justificatione salutis summa consistit, nihil opinor accuratius nobis disserendum est.

FRIDERICUS: Cum imperialibus comitiis Ratisbonae coactis Carolus V. imperator de principum Germanorum consensu sex utriusque religionis theologos rectissimos [3]) adhibuisset [4]), ut Romanorum et Germanorum religionis controversias componerent ac parati [5]) simul coirent, a capite justificationis humanae auspicandum putaverunt. In qua disputatione cum tres Augustanae confessionis theologi Pflugium, Fabrum et Groppeum Catholicos in suam sententiam pertraxissent et cardinali Contareno, Romanae sedis legato, idem persuasissent, scilicet hominem sola fide, nullo suo merito beari, Eckius vero, unus e Catholicis, tanta in collegas ira exarsit, ut pontifices ac principes catholici ab eo persuasi Carolum V. coëgerint, disputationem solvere, vigesima post die quam inchoata fuerat, idque potissimum Azoti, Hispanici theologi veteratoris [6]), oratione adducti, cum diceret, brevi futurum, ut ecclesiae Romanae majestas collapsa diffiueret, quoniam in praecipuo religionis capite tot saeculis se de via deflexisse confiterentur. Et versutissimus homo Germanis, quos ut barbaros et rudes irridebat, similitudinem lignatoris proposuit, ligna findentis, a quo primum exiguam fissuram fieri, deinde impulso ferreo cono [7]) repente trabem in partes dissilire docebat. Qua similitudine pontificii [8]) adducti perniciosissimam hanc disputationem dissolvere principes coëgerunt, Contarenus vero cardinalis, Venetorum patriciae gentis dictissimus, qui Lutheranis assentiri dicebatur, non sine maxima veneni suspicione paulo post interiit. Deinceps ecclesiae Romanae antistites modis omnibus antiquas caerimonias ac veteres ritus augeri ac tueri proposuerunt, ne latum quidem unguem ab ecclesia primitiva discessisse viderentur, tametsi

---

1) Hab. II, 4. 2) Alius: Justus e fide vivit. 3) Alibi: doctissimos. 4) Acta conventus Ratisb. Sleidan. ad a. 1530. 5) Alius: jurati. 6) Alius: visitatoris. 7) Alibi: cuneo. 8) Alius: pontifices.

plerosque pigeat tot ac tantarum ineptiarum ac praesertim reliquiarum, lactis inquam virginei, cujus infinita copia tot saeculis nondum exaruit; pudet referre caetera, quae vobis quam mihi ipsi notiora sunt.

SALOMO: Male jactis fundamentis, quaecunque super exstruas, uno ruunt et eodem momento. Cum enim christianae religionis autores a vero [1]) Dei cultu deflexissent et homines mortuos pro immortali Deo sibi colendos proposuissent, ne supplicium illud suo Deo jure a magistratibus illatum videretur, humano generi salutare ac necessarium fuisse praedicarunt. Ac tantum abest, ut supplicio Christi aut crudelitate erga eum justitia mortali cuiquam parta sit, ut ea fide Christianorum quam longissime a vera religione discedatur. Huic errori proximum est, quod omnes theologi [2]) Christiani et Agareni actionibus virtutum aut fide aut utrisque justificari posse opinantur, non modo apud homines, sed etiam apud Deum immortalem. Nam saepe fit, ut sceleratissimus quisque apud Deum habeatur justissimus hominum opinione. Sed ut Deus hominibus eriperet arrogantiam et supercilium[3]), clara voce contestatur: Nemo viventium, inquit, coram me justificabitur [4]). Quae vox viventium non modo ad homines pertinet, sed etiam ad angelos. Id autem apertius confirmatur his verbis: Num justior erit homo suo conditore? [5]) Ecce in ministris suis non reperit stabile opus, et angeli sui vesani sunt, impuri coeli, immundae stellae, si cum eo conferantur. Et quo minus ambigeretur, id saepius repetitum legimus; deinde subjicit: Quanto longius a consummata perfectione aberrant, qui luteas domos incolunt, homines a luto concretos innuens. Item: Quis purus esset de muliere natus? [6]) At ne clarissima sidera quidem coram Deo pura sunt, quanto minus frivoli ac futiles homines, qui quasi vermiculi putres censeri possunt. Hic me rapit impetus, de admirabili Dei majestate ac sanctitate cogitantem:

O quis erit sceleris purus? quis crimine liber
Ante Deum? cui sol obscuro squallet amictu!
Mundities illi tanta est, ac tantus in ore
Majestatis honos, ut ei nitidissima quaeque
Aligerum facies tabe polluta [7]) notetur.
O ter sancte parens! [8]) o non violabile numen
Aeternae mentis, cujus tam augusta potestas!

TORALBA: Haec quoque Salomonis sententia philosophorum sanctiorum decretis explicatur, quaecunque scilicet materiae concretionem ullam habent, impura esse, ut merito Porphyrius [9]) dixerit, nihil esse materiale [10]), quod immortali Deo pollutum non sit, i. e. οὐδὲν γὰρ ἔνυλον, ὃ μὴ τῷ ἀνω-

---

1) Alius: veri. 2) Deest in alio codice. 3) Alius: superbiam. 4) Psalm 51 (52) 2. 4. 5) Jobi 4, 9. 15. 6) Jobi 25, 4. 5. 7) Alius: maculis labefacta. 8) Alius: pater. 9) Περὶ ἀπωλείας τῶν ἐμψύχων. 10) Alius: immateriale.

τάτῳ θεῷ εὐθὺς ἀκαθάρτον. Non quod [1]) ullum sit in ipsa materia malum aut vitium, ut plerique philosophi arbitrantur, quod κακοποιόν τι appellant, id enim superius falsum esse demonstratum est; sed quoniam materia a [2]) summa illa puraque divinae naturae substantia quam longissime abest, quia fluxa, quia labilis, quia caduca.

CURTIUS: Nec justitiam Deo parem exigimus in homine, ac ne fore quidem speramus, homines enim Deos esse oporteret, sed quantum humana vita ac natura ferre potest. Ac tametsi homines non tantum materiae concretione, verum etiam illa, quam saepe diximus, originis macula ac propriis sceleribus conspurcantur, gratia Dei tamen propter Christum, Deum simul et hominem penitus emundantur [3]), ut quodammodo justi videantur.

SALOMO: At gratia Dei et beatitate multo majore fruuntur angeli, qui ab aeterno Deo propius absunt, qui tamen puritatis ac justitiae scintillam erga Deum nullam ferunt [4]). Itaque cum Noacho [5]) summam justitiae atque integritatis laudem ipse Deus tribueret [6]), subjecit illud in suo genere, i. e. strabo inter luscos. Quae cum ita sint, quis jure assentiatur Johanni tam confidenter scribenti: Scimus, inquit, quod si Deus apparuerit, similes ei futuri simus, et quisquis hoc sperat, purificat seipsum, sicut Deus purus est [7]). At ne Adamus quidem, si in collata sibi divinitus integritate ac innocentia, quanta maxima in homine esse potest, perstitisset, propterea justus apud Deum haberetur. Deus solus, inquit ille, justus est, ac praeter eum alius nemo. [8]) Si nemo integer, nihil purum, nihil mundum, non sol ipse, non angeli, qui proxime ad immortalis Dei numen accedunt, nitidi sunt, tota illa de hominis justificatione disputatio, an a fide pendeat, an vero ab actionibus honestis, an ab utrisque, an etiam ab unius Dei gratia plane inanis est, cum in hominem justificatio cadere non potest. Multo etiam levius est, quod illam summam integritatem non Dei, sed hominum ponderibus exigi putant oportere. Qui vero justitiam se suis actionibus adepturos confidunt, audiant ad hominem omnium gravissimo testimonio laudatissimum acerbam reprehensionem, qua nititur Elihu: Si justus es, quid tum? [9]) aut [10]) quid ad Deum tua seu turpia seu laudabilia facta? Aliis quidem aut tibi ipsi profueris aut nocueris, nihil tamen Deo accedit aut decedit.

TORALBA: Si nihil boni mereas agendo bene, nullam quoque poenam male agendo ferre debes. At superius dictum est, actiones uniuscujusque justissimis ponderibus exigi oportere.

OCTAVIUS: Ismaëlitae Christianos potissimum virtutis actionibus, pietate inquam, justitia, caritate, fortitudine, temperantia, longo intervallo

---

1) Alius: quia. 2) Alii: in. 3) Alibi: emendantur. 4) Ita omnes. 5) Alii: Noemo. 6) Gen. 6 et 7. 7) 1 Joh. 3, 2. 8) Eccles. (Siracid.) 18, 2. 9) Job. 35, 7. 10) Alius: an.

superare mihi videntur, quod ita instituti sunt ac imbuti, ut summam salutis in virtutum actionibus positam confidant. Omnium tamen teterrimi sunt, qui missarum vi, quas pecuniis promereantur, improbitates omnes dilui arbitrantur, aut qui salutem in sola fide collocarunt, quae sane [1]) opinio in perniciem rerum publicarum longe lateque redundat.

CORONAEUS: Ab hac sententia abhorrui semper, ac profecto leges omnes divinas ac humanas pessum ire oporteret, si nulla rerum praeclare gestarum praemia [2]), nulla supplicia peccatorum exstarent. Ac cur [3]) Deus Abrahamo diceret: Per memet ipsum juravi, quia fecisti hoc, benedicam tibi et propter [4]) te populis omnibus [5]). Non dixit: Singulariter ac gratis propter me tibi benedicam, sed: ob id quod fecisti. Item: Quisquis laudibus me cumulavit, ego illum honoribus cumulabo [6]). Item: Reddet homini secundum justitiam suam [7]). Item: In observandis mandatis tuis retributio multa [8]). Item: Noë, Job, Daniel sua justitia liberarunt animas suas [9]). Item: Peccata tua eleemosyna redime [10]). Item: Vidit Deus opera eorum, qui conversi sunt, et misertus est eorum [11]). Item: Nonne benefacio ei, qui recte ambulat? [12]) Infinitus sim, si omnia loca recenseam, quibus aperte declaratur, ex ipsis operibus quemque praemia suppliciave laturum.

FRIDERICUS: Officio nulla merces debetur. Qui juste vivit, si [13]) tamen ullus est, sed nullus est, nihil nisi ex officio agit. Igitur qui juste vivit, nulla mercede dignus est; est enim contraria officio merces. At qui scelerate quid agit, contra officium facit; qui contra officium facit, poenam meretur; igitur scelerati jure plectuntur, nec tamen justi, si qui sint, ulla praemia merentur. Ac propterea Christus, Deus verus et homo, cum ad salutem homines cohortatur: Cum feceritis, inquit, omnia quae fieri oportet, tum dicite: servi inutiles sumus, sive quod ex officio id debemus, sive quod nulla penitus ad Deum utilitas ex his actionibus derivatur. Nulla igitur justitia cuiquam ex actionibus praeclaris comparari potest.

SALOMO: Concedo illud, ex actionibus, quantaecunque sint dignitatis, justum fieri neminem, multo minus ex inani credulitate in Jesum mortuum, sed ex honestis actionibus ab aeterno Deo quemque beari, et quo quis justius et honestius vixerit, eo beatiorem et immortali Deo fore gratiorem. Omnes enim creaturae ac daemones quoque beantur plus minusve pro largientis effusa bonitate, aut suscipientis capacitate, aut respuentis oblatam lucis affluentiam indignitate. Aliud est enim beari, aliud justificari, quae,

---

1) Alius: certe. 2) Alibi: merita. 3) Alibi: ad quid enim. 4) Gen. 22, 16. 5) Alius: in. 6) Psalm. 8, 6. 7) Hiob 34, 11. 8) Proverb. 13, 13. 9) Daniel 9, 5 sqq. 10) Psalm. 51, 3. 11) Jesaiae 55, 7. 12) Psalm. 84, 12. 28, 10. 13) Desunt haec sedecim sequentia verba in aliis codicibus.

a theologis christianis confusa aut parum perspecta, graves in hac disputatione tam obscuritates quam errores pepererunt. Nam si nulli nisi justi bearentur, nemo bearetur unquam. At omnes creaturae beantur, nulla tamen justificatur, nulla tamen caret immunditia ac impuritate. Quarum rerum differentia confusa ut planius intelligatur, fingamus verbi gratia, regem potentissimum equos celeres servis dono dedisse, alios quidem aliis praestantiores, pro sua erga quemque benevolentia, ut quemque plus minusve dilexerit, ea tamen lege, ut omnes in stadio currant, recusantibus vero aut cursum detrectantibus metu vel inertia, equos ademtum iri, proposita capitis poena ei qui alterius equum violarit aut socium supplantarit, quo minus curreret, aut furto dicto domino equum averterit. Currentibus etiam praemia varietate dissimilia proposuisse, scilicet aerea, argentea, aurea, vestes pretiosasque gemmas, eoque praestantiorem cuique mercedem, quo quisque citius metam attigisset; peracto cursu regem praemia quae promiserat, et iisdem legibus, quas dixerat, bona fide dedisse; qui cursum detrectaverant, ut inertibus equos ademisse, caeteros qui non solum currere noluissent, sed etiam aliis impedimento fuissent, aut equos abegissent, persequi jussisse, comprehensos supplicio addixisse, num dicemus, merita quemque praemia tulisse?

CURTIUS: Sic opinor.

SALOMO: Cur ita? Cum rex servis nihil deberet, quippe sui essent, quos pro suo jure sine ullis praemiis ad cursum cogere, vendere, necare [1]) potuisset [2]).

FRIDERICUS: Demus illud, sed quoniam promisit, fidem fallere contra decus et dignitatem esse judicaret.

SALOMO: Debitum igitur est, non quia Deus debitor sit hominis, homo creditor quasi suo jure praemia reposcat, sed quia dignitas promittentis agitur in pollicitatione rerum earum, quas promisit, etiamsi nullo jure deberet. Quodsi equites illi, qui graviter ac strenue cucurrerunt, honeste quia sunt educati, non modo gloriam sibi nullam arrogabunt, sed etiam eleganti oratione regi praemia largienti gratias agent, victoriam illi acceptam ferent, tum quia servos educarit et ad cursum non modo instruxerit, verum etiam equos citatissimos et ad cursum adeundum velocissimos donarit. Quanto magis immortali Deo nos omnia ferre accepta debemus, quod de nihilo nos creavit, quod corpus et mentem dedit, bene currendi leges praescripsit ac docuit, currentes in stadio virtutum adjuvit, labentes sustinuit, lapsos saepius erexit, erectos ad metam perduxit. Sic enim sapientiae magister oratione eleganti [3]): Noli, inquit, coram rege superbire! Quod alibi apertius his verbis: Noli te justificare ante Deum, ab eo enim nostra salus dependet. Cum Jobus, mortalium omnium Dei judicio, integerrimus, graviter quereretur, quod cum justissime ac sanctissime semper vixisset,

---

1) Alibi: vetare. 2) Alius: possit. 3) Ecclesiastici (Siracid.) 10, 29. 11, 4.

attamen ingenti calamitatum omnium multitudine premeretur, Elihu collegarum et amicorum errores coarguens, quod illum suo merito ac peccatorum conscientia plecti dicerent, graviter disseruit ac docuit, Deum injuriam afferre nemini. Ac tametsi Jobus summa semper integritate vixisset, Deum tamen quae sua erant quaeque Jobo fruenda precario dederat, suo jure repetere ac vindicare potuisse, scilicet opes, liberos, servos, aedes, salubritatem, imo etiam mentem ac vitam ipsam, idque sine injuria cujusquam. Cum tandem ejus constantiae ac fortitudinis periculum fecisset, ea quae repetiverat Jobo abundanter ac cumulate rependit, opes inquam, greges, armenta duplicavit, uxorem etiam liberorum foecunditate beavit, denique vitam ejus cum exploratissima corporis ac mentis incolumitate in annos centum quinquaginta propagavit [1]). Sed hoc ad summum felicitatis fastigium [2]), quod sese illi fruendum ac visendum dedit, in quo quidem non justificationis aut justitiae, quae homini contingere non potest, sed beatitatis humanae summa consistit. Postremum illud admonendi sumus, justitiae decus nullum clarius esse, quam eorum qui toto mentis impetu Deum amant ejusque edicta exsequuntur, nulla sperata mercede, tametsi certo sciant, nunquam bonis defuturam.

CURTIUS: Praeclara et ista quidem, nisi Salomo a capite aberraret, cum Christum inficiatur Deum esse, qui non ex debito, sed ex gratia omnibus praemia largiatur, qui sanguine originis maculas et omnia omnium flagitia solus abstergat. Nam ex eo, quod Salomo omnes homines injustos, impuros, immundos etiam ab utero prodire confitetur, labem originis quodammodo agnoscit.

OCTAVIUS: Si peccatum est in homine, quod a conditoris sui puritate et sanctitate quam longissime abest, angelos etiam et sidera, quae impura sunt apud Deum, originis peccato dicemus obligari. Quae si absurda sunt, et ea quae ex his sequuntur, absurda videri necesse est, eoque absurdiora, quo minus illa imperfectio perfici potest, nisi creatura Deus fiat. Ex quo efficitur, Christum si mortuus esset, quod Ismaëlitae constanter negant, immunditiem illam seu labem originis, ut libet appellare, curaturum [3]) non fuisse ac ne potuisse quidem, si maxime voluisset: non etiam si Deus fuisset, ut Christiani fuisse credunt, quoniam quod genitum sit, mundum ac purum fieri non potest. Multo minus id quod de muliere genitum sit, ut Christus, nisi de creatura quasi fiat creator, quod ne Deus quidem facere potest.

CORONAEUS: Prospiciendum est, ne quid nobis excidat, quod sit alienum a majestate divina. Neque enim comprobare [4]) possum haec scholasticorum decreta, quae impietatem sapere mihi videntur, scilicet Deum non

---

1) Jobi 42, 10 sqq. 2) Alius: praecipuum vero. 3) Alii: creaturum. 4) Alii: probare.

facere posse Deum, non posse contradictoria simul et semel vera efficere. Verius ac temperantius dici decuit, opinor, creaturam non posse Deum fieri, neque enim creatoris potestas imminuitur ob creaturae ac subjecti debilitatem ac impotentiam. Non igitur impotentia Deo tribuitur [1]), quod nec homines, nec ne angeli quidem justi sint aut fuerint unquam aut futuri sint olim, sed quia nec angelica nec humana creatura perfectae ac consummatae justitiae capax est, multo minus divinae illius praestantiae ac puritatis, quam ne cogitatione quidem attingimus, at ne bonum quidem illud, quod optimus quisque cupit, efficere aut praestare potest, ut Paulus de seipso queritur [2]).

SALOMO: Nihil divina lege jubetur, quod praestare si vèlis, non facile possis. Ac miror, Paulum, quem tanti fecisti, hoc scripsisse, cum alibi jactet et glorietur [3]), se justitia legis irreprehensibilem fuisse. Quis vero tam crudelis legislator exstitit unquam, qui, quod fieri non posset, suis imperaret? Ac si quis uspiam exstitit adeo [4]) crudelis, quam scio neminem, illud tamen de legislatore omnium optimo ac mitissimo sentire scelus, cogitare nefas, dicere capitale est. Gustate, inquit ille, et videte, quam suavis est Deus! [5]) Ac tantum abest, ut quicquam quod fieri nequeat imperet, ut reum faciat totius legis, qui ab uno capite aberraverit [6]); ut etiam is, qui omnia praecepta [7]) legis violaverit et poenitentia ductus ad honesta persequenda redierit, omnium improbitatum veniam consequatur. Non prius, inquit David [8]), differam, confitebor de peccato [9]) quod tu jam ignoveras. Contra quid Paulus [10])? Recognoscite quaeso, si volentes, inquit, peccaverimus, post acceptam veritatis cognitionem, nulla restat amplius hostia pro peccatis, sed formidabilis expectatio [11]) judicii et ignis vehementis [12]), qui nos devorabit. Videtis, ut ne confessioni quidem aut poenitentiae locum homo iste relinquat. Et sunt qui legem divinam christiana putant acerbiorem, nec ipsi a vero deflexisse mihi videntur.

SENAMUS: Hic unus Pauli locus est, qui multos in salutis [13]) desperationem adduxit. Nec defuerunt, qui hanc ad Ebraeos epistolam non modo Pauli esse negarent, sed etiam rejicerent omnino.

FRIDERICUS: Ego rejiciendam non puto, cum summa conciliorum consensione probata sit, sed ὑπερβολικῶς scriptum opinor hunc locum ad improbatorum terrorem, cum omnibus scripturae locis venia poenitentibus [14]) proponatur [15]). Nec verum, a Deo quicquam juberi, quod fieri [16]) non possit. Sic enim Cyprianus [17]): Qui dicit, Deum impossibilia imperare, male-

---

1) Alius: tribuatur. Alius: Dei creatur. 2) Rom. 7, 19. 3) Phil. 3, 9 sqq. 4) Alius: tam. 5) Psalm 34, 9. 6) Alius: aberraret. 7) Alius: capita. 8) Psalm. 32, 5. 9) Alibi: peccata. 10) Ebr. 10, 26 sqq. 11) Alius: expiatio. 12) Alius: vehementia. 13) Deest in alio codice. 14) Alius: petentibus. 15) Jerem. 7, 7. 16) Alibi: aut prohiberi. 17) In serm. de bapt. Petr. Lomb. dist. 39. l. 3.

dictus esto. Haec ille [1]). Sed tanta est imbecillitas humanae fragilitatis et cupiditatum impotentia, ut advocato et mediatore Christo, vero Deo et homine, semper egeamus. Is autem, abrogatis morte sua bestiarum sacrificiis ac ritibus veteribus Judaeorum, quasi vepribus expurgatis, viam reddidit multo faciliorem et planiorem, novarum tabularum, quibus omnia flagitia diluuntur, promulgatione. Itaque peccatores ad se convocans et quasi ad epulas invitans: Venite, inquit, ad me omnes, qui onerati estis, ego reficiam vos; jugum meum suave est et onus meum leve.

OCTAVIUS: Non video, Christum lege ulla jussisse aut imperandi potestatem habuisse, ac multo minus leges a Deo latas abrogavisse. Id autem his verbis aperte declaravit: Non veni, leges solvere, sed adimplere [2]). Veteris enim summa legis est in duabus decalogi tabulis, quas Christus non magis abrogare voluit aut potuit quam naturae leges, cum nihil aliud duabus tabulis quam naturae lege aequissima contineatur, ut superius demonstratum est. Non satis mirari possum, quid sit, quam ob rem Martinus Lutherus decalogum nihil ad Christianos pertinere affirmabat, nisi quod judicabat, Christianam legem stante decalogo stare nullo modo posse.

FRIDERICUS: Lutherum omnibus laudum generibus cumulatissimum summa pietate ac eruditione Christianos aberrantes in rectissimam ac tutissimam viam deduxisse confido, ut ejus scripturae [3]) et actiones aperte declarant. Ne quis putet, decalogum abrogare voluisse, sed ut omnes intelligerent, non satis esse in decalogo praesidii ad sempiternae salutis adeptionem, nisi prius in Christi veri Dei ac servatoris optimi maximi, supplicio acquiescamus, quandoquidem [4]) leges Mosis nemo exsequi potuit unquam.

SALOMO: Profecto disciplinae, quae litteris evangelicis continentur, non modo lege divina sunt acerbiores ac difficiliores, sed etiam ejusmodi, quas mortalium nemo praestare queat, ut Trypho Ebraeus disserit apud Justinum [5]). Nam ut pauca de multis, vetant ulla divortia fieri, nisi uxor adulterii convicta fuerit. Quod quam difficile sit, satis intelligunt, qui judicia tractant. Et ut adultera non sit uxor, quid [6]) iniquius est, quam cum hoste domestico invictum vincere, aut insidias innocenti struere, ut capitali supplicio circumveniatur, aut uxoris et familiae alterius existimationem in apertum discrimen vocare, aut efficere ut venenis aut occultis insidiis alteruter pereat, Christo divortia vetante. Illud etiam contra naturam est, ut adulterii causa segregatis matrimonia prohibeamus. Nam ista ratione aut turpiter moechari, aut publice formicari, aut foedissime pollui, aut aliquid turpius his omnibus tentari necesse est. At lex divina de divortiis, nunc omnium populorum, praeterquam Christianorum, communis ac veterum Romanorum justissimis legibus comprehensa, non tantum [7]) uxores temperatiores, sed etiam viros

1) Alius: Haec illius vox est. 2) Calvinus abrogasse negat in cap. V, 12. 15 ev. Matth., negat etiam fuisse novum legislatorem. 3) Alii: scripta. 4) Alius: quoad. 5) In dialogo cum Tryphone. 6) Alius: quod. 7) Alius: tamen.

obsequentiores afficiebat, divortii metu. Caedes etiam violentas ac venena domestica et latentia penitus sustulerat. Quid autem a natura, quid a puritate sacrorum, quid a sanctitate divina magis alienum, quam quod a Christianis videmus interdici sacerdotibus jura connubiorum? Quid exitialius, quam puellas innumerabiles continentiae votis sempiternis, natura vetante, obligari? Inde libidines utriusque sexus effusae, inde violenti abortus, parricidia, adulteria, stupra et in ipsis templis meretricia lenocinia et foeditatibus inexpiabilibus sacra omnia conspurcata, quae ne paganis quidem licuissent. Quin etiam Romani olim flaminibus Jovis vetuerant [1]), repudiare uxorem et uxore mortua sacerdotio abdicare jusserant.

CORONAEUS: Vos coelibatum in sacerdotio Christianorum utriusque sexus video improbare, propter impendentia pericula, quae Augustinum coëgerunt, ut aperte [2]) scriberet, meretricia non esse de republica tollenda. Aufer, inquit [3]), meretrices de rebus humanis et turbaveris omnia libidinibus. Sed si lege divina prohibetur sacerdos, sanctuarium ingressurus, triduum ab uxoris contactu abstinere, quanto justius est, pontifices christianos, qui quotidie sacratissimum illud corpus Christi, Dei et hominis, contrectant, et in illo sanctum sanctorum quotidie ingrediuntur, vivere in perpetuo coelibatu.

SALOMO: Divina lex vetuit, sacerdotem, qui populum expiaret, uxorem triduo ante contingere. At expiationis dies singulis tantum annis semel occurrebat, at isti toto sacerdotii tempore interdicunt nuptiis, non tamen meretricibus. Consimile est illud, quod lege divina sacerdotibus usu vini interdixit, cum in sanctuarium ingrediuntur; cur igitur christiani sacerdotes vino in perpetuum, uti uxore et connubiis non abstinent? A meretricibus tamen non abstinent, ut nec a vino, sed continuis lenociniis et commessationibus, scorta utriusque sexus mutare et commutare, non sine maximo totius ecclesiae christianae dedecore consueverunt, ne legibus connubialibus, quibus caeteros obligant, ipsi teneantur, quo fit, ut e templis exeuntes, aqua lustrali seipsos conspergant. Sic enim Lycurgus [4]) orator Alexandri Magni adulatoribus, quem Deum esse praedicabant: O qualem Deum, inquit, a cujus aedibus exeuntes aqua lustrali conspergi oportet! Ex omnibus tamen christianis [5]) decretis nullum magis ἀδύνατον, quam quod ei, qui maxillam dextram caedat, jubentur obvertere sinistram et ei qui pallium rapuerit, tunicam quoque permittere diripiendam, et qui fatuum aliquem appellaverit, sempiternis inferorum ignibus obligari.

TORALBA: Illud profecto contra naturam est, eum, cui quis alapam [6]) inflixerit, rursus ad se percutiendum et spoliandum invitare.

SALOMO: At quanto faciliora sunt divinae legis mandata? quae etiamnum Paulus ipse ita observasse gloriatur, ut justitia legis esset irreprehensibilis. Item Lucas testatur, Zachariam et Elisabetham coram Deo in

---

1) Alius: vetuerunt .... jusserunt. 2) Deest in alio codice. 3) Lib. II. de ordine. 4) Plutarchus in apophthegm. 5) Alius: Christianorum. 6) Alii: buccam.

omnibus praeceptis ac mandatis irreprehensibiles exstitisse [1]). Quibus argumentis Justinus martyr [2]) aperte convincit, lege divina nihil prohiberi aut juberi, quod ab homine praestari non possit, modo velit. Quid autem tota legis justitia? Diligere Deum plus seipso, proximum vero ut seipsum, quod facere quisque potest. Deinde subjicit, quod igitur dici solet justificari neminem ex lege? Non dicitur quia non possunt, sed quia nolunt, voluntate enim ad ea, quae fieri possunt, uti solemus. Est igitur christiana lex multis partibus difficilior, quam divina. Omitto ritus inanes, quorum multitudine factum est, inquit Augustinus [3]), ut Christianorum conditio nulla deterior quam Judaeorum videatur. Quid si Augustinus caeremonias hodiernas ecclesiae Romanae videret? Nam qui pecorum sacrificia jam pridem antiquata nobis objiciunt, ipsi Jesum in sacrificio, sic enim vocant, continuo vorant, dilacerant, diripiunt.

CURTIUS: Nos ecclesiam Helvetiam secuti amplexamur illas ἀναιμάτους θυσίας καὶ δοξολογίας, ut Cyrilli [4]) et Eusebii [5]) verbis utamur, vel tauros labiorum nostrorum, ut Amos propheta loquitur, Deo aeterno mactamus. Sed ne a proposita quaestione discedatur, miror cur Salomo tantopere divortia cupiat, cum Valerius Maximus Romanos ob id potissimum laudet, quod annos plus amplius quingentos divortia nulla vidissent, ac probro datum fuisse Spurio Camillo, quod ab uxore prius divertisset. Quid autem perniciosius, quam corruptorem publicum quascunque volet puellas connubii specie fraudare et corruptas a se ablegare posse?

SALOMO: Pluribus propositis incommodis, graviora semper fugienda. Gravius est ac periculosius [6]), necari veneno, aut moechari, quam divertere. Quis autem locare velit puellam ei, qui sine causa diverterit ab honesta et pudica uxore?

CURTIUS: Omissa divortiorum disputatione, non tam [7]) de facilitate exsequendae legis Christi, quam de legislatoris praestantia quaerendum est. Nam si quid peccatum erit, praesto semper est advocatus, orator, patronus idemque legislator Christus, quo Judaei et Ismaëlitae miseri destituuntur. Unde vero salutem sperare potest is, qui Christum verum Deum et hominem venientem ad se, non excepit, oblatum respuit? [8]) Ipse est, inquit Paulus [9]), sanctificatio [10]) nostra. Item: Mortuus est propter delicta nostra et resurrexit propter justificationem nostram. Quid Hieronymus? [11]) Oratio, quae non fit per Christum, peccatum est. Haec ille. Cum igitur sine Christo Deo nulla salus homini cuiquam speranda sit, cur amplius in legibus Mosaicis, quae jam pridem sua vetustate extabuerunt, haeremus? Per Christum solum, inquit Cyrillus [12]), patet aditus ad regna coelorum.

1) Luc. 1, 6. 2) Qu. 103 ad orthod. 3) Ad Januar. 4) Ad Regin. 5) Demonst. evang. l. I. 6) Alius: perniciosius. 7) Alius addit: opinor. 8) Alius: rejecit. 9) 1. Cor. 1, 30. Rom. 4, 24 sq. 10) Alius: justificatio. 11) In Psalm. 59. 12) In cap. 3. Joh.

OCTAVIUS: Si Christum oratorem et exoratorem unum habetis, cur Christus discipulos consolatur? Rogate patrem meum, inquit, et alium advocatum vobis dabit?[1]) Cur praeter istos oratores et patronos infinita millia, i. e. totidem fere, quot homines mortuos, Christiani invocatis, cum invocatio religiosa soli Deo debeatur? Invoca me et eruam te! Invoca me et vivetis. Id autem saepius repetitum legimus [2]). Omnium tamen angelorum ac divorum ordines precibus ac solennibus festis, non aliter ac Deum aeternum prosequimini, ac plerique multo ardentius ac studiosius, quam Deum ipsum, cui nulla dies vacua sacrorum [3]) relinquitur in fastis. Quanto melius Ismaëlitae, qui non modo unius aeterni Dei cultum sibi proposuerunt, sed etiam tabulam pictam ad spectaculi fructum habere capitale ducant!

FRIDERICUS: Ista quidem controversia nobis est cum ecclesia Romana, quae angelorum coetus ac beatorum mentes votis complecti docet, cum tamen unus tantum advocatus proponi debeat, Christus Deus, cujus nomine vota concipimus, per quem fausta omnia precamur et adversa deprecamur.

CORONAEUS: Ego quidem sic a doctrina informatus, sic a majoribus imbutus sum, ut ab ecclesiae Romanae, quae sola Dei ecclesia restat, decretis vel latum unguem discedere nefas ducam. Mediatorem quidem unicum, generis humani pontificem maximum agnoscimus Christum, sed quid vetat, Christo patronos inferiores habere? Oratores angelos inquam, virginem Mariam, apostolorum et martyrum coetus, non quidem ut salutem nobis tribuant, quoniam unus est servator hominum Christus [4]), sed ut pro nobis rogationes ferant. Quanquam vester Lutherus, Friderice! beatorum mentes revereri oportere confitetur [5]), cujus auctoritatem sequitur Bucerus [6]). Cum enim Christianorum opibus Judaei oppressi sedibus Hierosolymorum exacti fuissent [7]), Deum immortalem! qui concursus fuit hominum ad loca religiosa, quae urbis sanctitas, quae sepulcri, quae praesepii, quae crucis, quae monumentorum omnium! Cur autem Hieronymus non modo pro divorum honoribus, sed etiam pro eorum reliquiis tam accurate contra Vigilantium scripsisset, ut etiam daemones reliquiarum ope fugari confirmaret? Cur Ambrosius [8]), Gregorius Turonensis [9]), Augustinus [10]), caeteri tantis honoribus ac laudibus divos prosequerentur, si scelus id esse putarent?

CURTIUS: De viris illustribus honorifice et sentire et scribere praeclarum est, nec verbis illorum dignitatem extenuare, aut ullo dicendi genere elevare velim, non tamen precari, colere, invocare, quae tamen praecipua sunt adorationis argumenta. Deum aeternum, inquit lex, adorabis

---

1) Joh. 14, 16. 26. 15, 26. 16, 7. 2) Psalm. 41. 140, 5. Jerem. 29. Joel 2. 3) Alius: sociorum. 4) Desunt sex haec antecedentia verba in uno codice. 5) Lutherus in purgatione, qua queritur, aliquot articulos falso sibi ab adversariis impositos. Oecolampadius in Chrysostomum divos pro nobis assiduo orare scribit. 6) In defensione ad Abrinensem episcopum. Ep. 8. 7) Alius: cessissent. 8) Ep. ad Episc. et ad Col. l. X. ep. 85 et Serm. 91. 9) De Gloria Martyr. 10) Lib. III. de cruce Dei.

eique soli inservies! [1]) Ac tametsi virgo Maria Christum verum Deum et hominem utero concepit ac peperit, ab ejus tamen adoratione abstinemus. Nam cum Epiphanius [2]) sua aetate proclivos christianae plebis animos ad ejus cultum prospiceret, ac potissimum colliridianos, oratione acerrima in eos invectus est: Si enim, inquit, angelos colere prohibemur, quanto magis Mariam, Annae filiam. Et Julianus Augustus nihil gravius Christianis objecit, quam quod martyres pro Diis adorarent, ac divinitatis proposita spe martyrium ardenter expeterent, ut in deorum albo inscriberentur. Quo quidem arcano cum nullum amplificandae religionis majores majus habere perspexisset, christianorum caedes ac supplicia repressit. Cyrillus [3]) vero ad haec respondens: Sanctos martyres, inquit, neque Deos esse dicimus, nec colere consuevimus. Item Chrysostomus [4]): Vide prudentiam, inquit, Cananaeae, non rogat Jacobum, non obsecrat Johannem, non pergit ad Petrum, nec intendit ad apostolorum coetum, nullum quaerit sibi mediatorem, sed pro omnibus comitem accepit poenitentiam, qua deserti advocati locum implevit. Idem paulo post [5]): Ubicunque Deum appellaveris, audit te, non ostiario, non mediatore, non ministris opus est, non est opus ope patroni. Item [6]): Solent, inquit, misera uti excusatione, per istos iri posse ad Deum, ut per comites perveniatur ad regem, ac deserto Deo conservos adorant. Ad Deum suffragatore nihil [7]) opus. Hic apertissime omnia atque illud maxime, quod adorationem appellat, cum advocatis et mediatoribus divis utimur.

CORONAEUS: Sunt haec Lutheranis usitata loca, quibus facile responderi potest, nos Deum adoratione τῆς λατρείας pro jure majestatis suae prosequi, qui cultus a creatura soli creatori debetur. Itaque interpretes [8]) ad haec verba: Adorate scabellum pedum ejus, subjiciunt: adoratione latriae, quia soli Deo convenit. Scabellum vero carnem Christi vocant, quam Damascenus et Scotus adorari negant oportere, cum sit creatura, contra Petri Lombardi sententiam [9]). Sed veneratio quaedam est τῆς δουλείας, quaedam vero ὑπὲρ δουλείας, quarum altera beatae virgini Mariae, altera divis et angelis tribuitur. Alioquin etiam [10]), si verborum apices sectabimur, quis dubitet, quin verbum adorationis homini etiam ab homine in sacris litteris tribuatur? Abraham adoravit populum terrae, Jacobus fratrem, Josephum sui fratres, socerum Moses ipse [11]).

FRIDERICUS: Si λατρεία pro cultu et honore ubique accipitur, δουλεία vero pro servitute, minus aeterno Deo quam angelis ac divis concederemus,

---

1) Deuter 6. Exod. 34. Levit. 26. Deut. 48. Matth. 4. Lucas 4. 2) Contra haereses. 3) Lib. 6. adv. Julianum. 4) Homil. 12. 5) In homil. de fructu evangelii. 6) Ep. ad Rom. 7) Alius: non. 8) Alius: interpres. 9) Lib. III. Sent. dist. 3. 10) Deest in alio codice. 11) Gen. 22. 33. 42. Exod. 18.

quia illum veneraremur, angelis vero ac divis inserviremus. At servile obsequium multo vilius et abjectius est ipso cultu. Vox enim hebraica הִשְׁתַּחֲוָה idem significat, quod tisgur Chaldaeis, προσκυνεῖν Graecis, adorare Latinis, i. e. inclinare corpus, ubi de salutatione mutua scribit Plinius, quod Galli adorantes corpus circumagant. Sed quibus verbis utamur, aut quocunque gestu abutamur, nemini dubium est, quin religiosa veneratio sive cultus et adoratio immortali tantum Deo debeatur, cum ex eo capite legis: Deum tuum adorabis et illi soli servies, genus omne δουλείας et λατρείας complectatur [1]). Honoris autem vox et servitutis in rebus divinis soli Deo debetur, id quod Deus clara voce testatur: Gloriam meam, ait, alteri non dabo. Ita Augustinus [2]): Honoramus [3]), inquit, sanctos caritate, non servitute. Quod enim lege divina prohibemur, gradus ad altaria Dei construere, secretiori sensu vetamur rogationes ad creaturas dirigere, quibus ad conditorem perveniatur. Nam illud interdictum decalogo mox subjicitur, ubi nihil omnino de sacrificio aut altaribus cavetur, ut omnes intelligant, recta nos ad Deum proficisci oportere, etiamsi certum haberemus, angelos ac beatorum mentes sempiternas [4]) vota nostra audituras.

CURTIUS: Ego quidem existimo, angelo a Deo cuique concessum, rogationes ferte pro iis, quibus additus custos; sic enim vox oratoris [5]) in sacris litteris usurpatur, cum agitur de rebus divinis angelo duce ac custode, non propterea tamen nobis orandus aut adorandus est, ut rogationes ferat. Quod cum Johannes facere tentaret: Cave, inquit angelus, hoc facias, conservus enim tuus sum, Deum adora [6]); idque bis repetitum legimus. Idque David, cum Deum laudibus omnibus prosequeretur, ad angelos conversus: Adorate eum, inquit, omnes angeli ejus! [7]) Hic tantum abest, ut angelos orare aut adorare velit, ut eos etiam sui officii cohortetur, i. e. ut Deum metuant et revereantur. Ac propterea saepius legimus, angelos in sacris litteris sua nomina revelare [8]), ne ullam sui adorandi occasionem praebuisse videantur.

CORONAEUS: Num vobis scelus videtur, si a vobis petam, quod libentissime facio, ut pro me apud Deum immortalem vota faciatis? Sic etiam Pharao Mosen et Aaronem, populus Samuelem interpellat. Orate, inquit, pro nobis Deum vestrum; cujus rogationi acquieverunt. Cur non igitur angelos ac divos orare liceat, ut pro nobis vota concipiant?

FRIDERICUS: Quoniam hoc interdictum est, illud non item, quanquam quis affirmare ausit, divi nos audiant, necne? aut si audiant, velint pro nobis orare, necne? Non orare pro nobis, testatur Deus apud Jeremiam: Si starent, inquit [9]), Moses et Samuel coram me, non inclinaret

---

1) Ps. 49, 28. Prov. 27. Jes. 10. 2) Contra Ep. Pelagii ad Bonif. l. III. c. 8. 3) Alibi: honorans. 4) Alius: semper. 5) Deest in aliis codicibus. Jobi 33, 23. 6) Apoc. 19, 22. 7) Psalm. 148, 2. 8) Alius: celare. 9) Jer. 15, 1.

animus meus ad populum istum, ac eo maxime tempore, quo civitas ab hostibus undique cingebatur, Mosen et Samuelem decuerat, votis et precibus in coelo Deum compellere, cum in terris toties non rogati tam ardenter id fecissent. Sed his mortuis, qui pro populi felicitate rogationem ferret, cum regionem Chaldaei vastarent, Deus testatur fuisse neminem. Quaesivi virum, inquit [1]), qui interponeret sepem [2]) et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparet eam, et non inveni.

CORONAEUS: Quoniam divorum coetus sciebat (quid enim eos lateret?) Dei decretum, quo statuerat evertere civitatem. Nam cum Samuel adhuc vivens ac spirans Sauli necem doleret, Deus ad illum conversus: Quousque, inquit, Saulum lugebis? Ego illum repudiavi, quominus regnaret.

CURTIUS [3]): Absurdum est arbitrari, divorum mentes intimos hominum sensus intueri, ut Salomo satis apte [4]) docet in oratione dedicatoria templi: Tu solus, inquit, aeterne Deus, omnes omnium cogitationes intueris [5]). Nec tamen, si divi omnes omnia audirent ac intuerentur, propterea nobis precandi venirent.

CORONAEUS: Cur igitur Moses, cum pro flagitio propuli precatur: Memento, inquit [6]), domine Abrahami, Isaaci, Jacobi?

CURTIUS: Non precatur ab Abrahamo, ut Deum exoret, sed a Deo petit, ut sit memor foederis, quod cum illis percusserat, et populo ignoscat. Quanquam, quis inter divos censeri debeat, tamen periculosum est affirmare, ut non immerito theologus [7]) quidam exclamaverit, multa cadavera coli a Christianis, quorum mentes in infernis locis torquerentur. Et Cyprianum quidem ut martyrem in divinorum album relatum Romani colunt, quem tamen haereticum et anabaptistam appellant. Recte igitur Augustinus: Honoramus, inquit, divos propter imitationem, non adoramus propter religionem.

CORONAEUS [8]): Nunquam me pigebit Davidis vocem usurpare: Laudate, inquit, Deum in sanctis ejus [9]).

CURTIUS: Vox ebraica significat: ob sanctitatem ejus, בְּקָדְשׁוֹ, ut recte Pagninus et Campensis [10]) tradunt. Chaldaeus autem interpres: in aede sanctuarii sui. Ex quo perspicitur, pleraque a theologis christianis depravari. Nam interpretes LXXII vertunt τοῖς ἁγίοις, quoniam τὰ ἅγια sanctuarium Graeci vocant, Latini vero τοὺς ἁγίους intellexerunt.

FRIDERICUS: Divorum at angelorum cultus a veteribus paganis manavit, potissimum Epiphanii aetate, ut planum fit ex iis, quae adversus Colliridianos scripsit, qui virginem Mariam primi colere coeperunt. Post

---

1) Ezech. 22. 30. 2) Alii: septum. 3) Alius: Fridericus. 4) Alius: aperte. 5) 2 Chron. 6, 30. 6) Exod. 32, 13. 7) Augustinus. 8) Omittitur in alio codice. 9) Psalm. 9, 12. 66, 8. 96, 2. 100, 4. 103, 1. 117, 1. 134, 1. 150, 1. 10) Alius: Campanensis.

etiam Augustinus cultores illos Marianos saepius abominatur [1]). Ac ne angelis quidem ipsis, qui dignitate divis omnibus superiores sunt, rogationes ullas passus est exhiberi, nec ullos ad patrem aditus nisi per filium patere putavit. In eandem sententiam ivere Chrysostomus [2]), Ambrosius [3]), Theophylactus [4]).

CORONAEUS: Jam saepe dictum est ac dicendum saepius, nullum cultum exhiberi, sed illud tantum, quod ab amicis adhuc spirantibus petitur, ut pro nobis vota faciant et rogationes ad Deum ferant. Neque enim ab illis salus aut corporis aut animi petitur aut speratur, sed ab ipso fonte salutis.

FRIDERICUS: Cur igitur sacrificuli aperto capite, flexis genibus ad divos adeunt? Ad Mariam vero in festo conceptionis [5]): Tu levamen oppressorum, tu medicamen [6]) infirmorum, tu omnibus es omnia. Quid relinquitur immortali Deo?

OCTAVIUS: Nihil penitus. At etiam cum in Graecia versarer inter Christianos, in eam diem incidi, qua apud Romanos visitatio Mariae celebratur, apud Graecos vestis virginis Mariae, et pridie Calendarum Januarii festa dies agitur Zonae virginis Machumis [7]), quae aedes erat Constantinopoli Mariae consecrata, quo nihil absurdius a paganis factum memini.

TORALBA: Fuit illa vetus Academicorum superstitio, qui non aliter ad Deorum omnium perveniri posse parentem putabant, quam si gradatim ad heroas preces converterent, ut ab heroum mentibus ad daemones, a daemonibus ad minores Deos, ab his ad Deos majorum gentium iretur, ut eorum emendicatis suffragiis Deorum omnium et hominum parentem ad se pellicerent. Sic enim Jamblichus [8]), magorum suae aetatis maximus, quem Porphyrius in aëra sublatum se vidisse scribit, cum Isidi sacrificaret, daemonibus tamen familiariter utebatur. Sed cum ἀλεκτρομαντείαν adhibuisset, ut praesciret ecquisnam imperatori Valenti substitueretur, re comperta, cum impietatis et sortilegiorum socii capite plecterentur, hausto veneno sibi mortem accivit [9]).

FRIDERICUS: Audistis, opinor, Magdalenam Curaeam, monasterii Cordubensis abbatissam, omnium sagarum suae aetatis nobilissimam, cum sacra fierent, a daemone in ipso templo festis solennibus sublatam saepius fuisse, tandem sceleribus compertis a Paulo III. pontifice maximo veniam, confessione flagitiorum rescripto comprehensa, obtinuisse.

TORALBA: At quanto facilius est et praestabilius, antiquissimum illud principium rerum omnium et causam Deorum inferiorum effectricem adire?

---

1) Ad Marcellum. l. 10, c. 19. et 55. de vera relig. et ad Coloss. c. II. Ad Apocal. 19 et 22. In Joh. c. 14. l. 9. L. II c. 7 et 16 in Joh. 2) Homil. 12 de cananaea. 3) Ad Romanos. 4) Ad Colossenses. 5) Desunt haec tria antecedentia verba in uno codice. 6) Alii: medicina. 7) Alii: In Blachernis. 8) In libro de mysteriis Aegypt. 9) Nicephorus Callist. et Gregor.

Nam eo pellecto (quid autem facilius ad pelliciendum?) intelligentiarum et angelorum ordines, imo et omnes creaturae praesto adsunt; nam in inferioribus Diis, qui sunt innumerabiles, conciliandis infinitum opus est. Praeterea quis affirmare potest, an daemones boni, heroes, inferiores Dii, superiores Dii sive angeli et ministri proximi Deo, vota et preces nostras audiant? aut si audiunt, an exaudiant? an velint? an possint? Quanquam non illis tantum Diis ac divis majorum ac minorum gentium sacra fiant, sed et cineribus, ossibus, statuis, idque flexis genibus, manibus passis, oculis ardentibus, etiam facibus ac cereis non sine largitionibus effusis. Deus vero aeternus vix unquam colitur, nisi forsitan dicis causa, i. e. προφάσεως χάριν. Minus certe peccatur, si potius creatores [1]) imaginum ac statuarum colerent, quam ipsorum creaturas. Quis enim non pluris faciat Phidianae Palladis opificem, quam Palladem ipsam, quantumvis ex ebore sit vel auro constructa?

CORONAEUS: Sunt illae veteres iconomachorum querelae, quibus uno verbo responderi potest, statuas virtuti deberi, ut ad imitationem imperitis proponantur. Hic propterea laudatur Gregorius M. pontifex maximus, quod statuas libros illitteratorum appellavit. At vos, qui vestem [2]) Mariae, qui Zonae festa ridetis, non audistis, Eliae pallium, ossa Elisaei, Christi fimbriam, imo etiam umbram Petri tanta miracula, tanta prodigia excitasse, ut sacris litteris testata relinquerentur? Quid est igitur, quamobrem honores divorum reliquiis haberi non debeant?

CURTIUS: Si docti non egent imaginibus et iisdem imperiti ad cultus nefarios abutuntur, quid commodius fieri potest, quam omnino dejici, cum locis omnibus sacrae scripturae imagines tantopere prohibeant [3]). Nulla, inquit Lactantius [4]), religio est, ubi simulacrum exstat, sed non modo statuas, verum etiam artem illam pestiferam, acerrime exsecratur sapientiae magister [5]), et quidem saepe mihi mirum visum est, civitates Balticas inferioris Germaniae, quae Romanorum ritus abjecerunt, statuas adhuc in templis omnibus intueri posse.

SENAMUS: Agrestes itaque et imperiti homines, quique sunt ingenio hebetiore, ad id tantum, quod adest, feruntur, non aliter ac bestiae, quae nihil sapiunt nisi quod sub sensum cadit. His igitur hominibus si statuas et imagines, quae sunt quasi mentis appendices, eripias, non putabunt ulla sese religione obligari. Quanquam in ipsis quoque beatorum statuis vim mirabilem docet inesse Eusebius eo loco, ubi narrat Christi statuam Caesareae fuisse; cum statua mulieris illius, quae profluvio sanguinis curata fuerat, columnae suppositae, ubi herba succreverat, quae ad morborum omnium curationem efficacissimam vim prae se ferebat, posteaquam eo usque excre-

---

1) Alius: creaturas. 2) Alius: vestrae. 3) Alii: prohibeantur. 4) Lib. II, c. 19. 5) Sap. 15, 16.

visset, ut Christi statuae fimbriam attingeret, nec ante contactum fimbriae vim ullam habuisse.

OCTAVIUS: Hujusmodi fabulis uti solent, qui plebem imperitam in erroribus densissimis consenescere volunt. Opus igitur est exemplis e doctrina sincera.

CORONAEUS: Miror ego te, Octavi, ab imaginibus tantopere abhorrere, cum Deus ipse non modo sacrarii cortinas angelis, i. e. pullorum volucrium figuris exornari, verum etiam statuas aureas utrimque Cherubim, propitiatorio imminentes atque aeneum quoque serpentem conflari jusserit, ut ejus intuitu, qui a serpentibus icti fuerant, morbi periculo eriperentur.

SALOMO: Haec oratio non minus ad me pertinet, quam ad Octavium; voluit igitur Deus innuere, ab angelorum cultu quam longissime decedendum, cum ad ministerium adhibeantur; serpentem vero aeneum ab Israëlitis aspici [1]), non tamen adorari voluit, mirabili arcano, ut scilicet libidine insana cupediarum, quae serpentis verbo [2]) significatur, in nobis extincta, vitam aeternam adepturos significaret, vis autem praecipua serpentis est in dentibus. Et quoniam populus ciborum affluentiam ac foetores Aegyptiorum in deserta solitudine ardenter optabat, Deus immiserat serpentes, quorum morsibus multi periere, ut purissimis mannae cibis divinitus delapsis, priscarum cupediarum obliti vescerentur. At cum rex Ezechias intellexisset, serpentem illum aeneum pro Numine adorari ab imperitis, publice uri jussit [3]).

CURTIUS: Cur non igitur Christiani principes Ezechiae tam praeclarum facinus imitantur?

OCTAVIUS: Tanto intervallo absunt a regis illius pietate ac sanctitate, ut etiam idololatriam magis atque magis adaugeri patiantur. Quid enim mirabilius, quid incredibilius, quid a sensibus, quid denique ab omni ratione alienius quam quinque verbis, puta: h o c e s t e n i m c o r p u s m e u m, vel ut sciolus quidem curio in multitudine crustularum, ne non satis congrue loqueretur, Haec sunt enim corpora mea, sexcenta millia Deorum ex totidem crustulis momento confici posse. Id enim christiani theologi tot ac tam multis populis persuaserunt, ut dubitari possit, num posteritas creditura sit ab homuncione sacrificulo [4]) δῆμον θεῶν, ut Basilius loquitur, i. e. populum Deorum, momento ut fieret potuisse persuaderi. Multo minus credent futuri nepotes, haec verba publicis libris ac litteris mandari potuisse, quae a sacrificulis christianis jactantur: Qui creavit me, creatur mediante me.

CORONAEUS: Sacramentum istud omnium sacratissimum admirari potius ac suscipere ex ipsius Christi veri Dei praeceptis ac institutis, quam subtilius quale sit exquirere debemus ac temperanter [5]) de rebus tam arduis tamque a sensu mortalium remotis loqui ac sentire. Et quidem Thomas

---

1) Numer. 21, 8 sq. 2 Regum 18, 4. Joh. 3, 14. 2) Alius: f i g u r a. 3) 2 (4) Regum 18, 4. 4) Alius: s a c r i f i c a t o. 5) Alii: t e m p e r a n t e s.

Aquinas, theologus clarissimus, argutiarum radices ac fibras impietatis eludens: Is, inquit, omnipotentiae derogat [1]), qui dicit aliquid posse intelligi in creaturis, quod a Deo fieri non possit.

TORALBA: At illi sacrificuli creatorem creare se arbitrantur. Neque enim de potestate divina sed de sacerdotis potestate quaeritur, an scilicet Deum efficere possit ex ea materia, quae antea Deus non erat.

SALOMO: Certe rerum divinarum arcana, quae minus assequor, admirari soleo, nec debemus ea curiosius insectari. Sed quemadmodum agni paschalis reliquias et ossa, quae devorare nemo potest, flammis injicere lex divina jubet, quod Latini veteres imitari solebant, cum in sacrificiis proterviam facerent; ita quoque rerum arduarum arcana, quae capere non possum, divini amoris incendio absumere consuevi. In hoc tamen sacramenti arcano miror, in voluntate et potestate sacerdotis positum esse, ut quidem illi jactant, Deus sit necne? Nam si levissimus curio voluerit, crustulum Deus erit, si noluerit, Deus non erit, si carmen illud sacrum pronunciarit et alio mentem averterit, nihil efficiet. Si nolit creari Deum, i. e. si nolit consecrari creaturam, panis relinquitur, si velit, momento Deus erit, qui antea non erat.

CURTIUS: Sed qui sacrificio adsunt, cum hostia illa salutaris altius elata proponitur et ad intuendum et adorandum, quid faciet populus a tergo, si dubitet, an sacrificus voluerit, Deum esse? Nam saepissime mens ejus sponte, saepius etiam casu alio distrahi potest.

SENAMUS: In hac dubitatione Asthosanus [2]) theologus hac conditione orandum putavit: Si tu es Deus, adoro te, sin minus, non adoro.

CURTIUS: At ne legitimum quidem actum adjecta conditione fieri patimur. Certe memini Lugdunensem curionem, qui ut paroecos, quibuscum litem susceperat, ulcisceretur, carmen illud sacrum θεοποιητικὸν in liturgia se proferre simulabat. Tandem judicio victus, paroecos omnes idololatras esse, clara voce pronunciavit, quod panem purum pro Deo coluissent. Re comperta, capitali supplicio damnatus, flammis ultricibus ustulatus est.

CORONAEUS: Vos ego per Deum immortalem obsecro, ne de rebus sacratissimis nisi summa veneratione disseratur. An putetis, eum qui verbo sidera fulgentia, solem istum, elementa condidit, qui res stupendas verbo vel nutu confecit, potestate imminutum [3]) fuisse?

CURTIUS: Nemo certe ambigit, quin quod velit facere possit, praeterquam seipsum; sed quid ad sacrificulum? fatentur enim in verbis istis mysticis: Hoc est corpus meum [4]), nullam esse Dei vim effectricem, quia si curio aliud agat, dum ista pronunciat, nihil efficit [5]).

CORONAEUS: Si de potestate Dei non ambigitis, quanto minus de voluntate dubitare potestis, cum ipsius Pauli [6]) perspicua interpretatione planum

---

1) Alius: deroget. 2) Alius: Astosanus. 3) Alius: minutum. 4) Matth. 26, 26. Luc. 22, 19. 1 Cor. 11, 24. 5) Alius: effecit. 6) 1 Corinth. 11, 24.

sit, Christum verum Deum et hominem seipsum panis et vini specie discipulis vescendum praebuisse, idque in sempiternam sui memoriam fieri jussisse. Illud autem potissimum est, posse multo plura, quam velit [1]).

CURTIUS: Haec opinio ab acutissimis theologis refutata minus desiderat orationem meam. Plenae sunt tabulae, pleni libri, plena bibliothecarum volumina. Nemo tamen efficacius aut brevius quam Augustinus [2]): Ea demum, inquit, miserabilis servitus est; signa pro rebus accipere. Si ergo flagitium jubetur, figurata locutio est; cum Christus carnem suam comedi et sanguinem bibi jubet, figurata locutio est. Quod cum Christiani ad rem ipsam, non ad signum traducerent, Ismaëlitis ac Judaeis sui irridendi occasionem infinitam praebuerunt. Christus, inquit Tertullianus [3]), acceptum panem corpus suum fecit, dicens: Hoc est corpus, i. e. figura corporis mei. Haec antiquissimi ac sanctissimi theologi verba.

SALOMO: Si fas esset adorare Jesum jam pridem mortuum, ut Romani, sub panis figura, vel cum pane, ut Germani [4]), vel sine pane, ut Zwingliani fieri putant oportere, multo magis licuit Israëli, ad vitulos conflatiles Deum adorare [5]); nam pontifex Aaron, vitulo conflato, tuba proclamari jussit, festam diem aeterno Deo sanctam postridie futuram. Utitur enim nomine tetragrammato, creaturis non communicabili, addito etiam eum esse, qui populum crudeli servitute eripuerat. Deum igitur colebant sub aurei vituli specie, quod sanctissime vetitum erat. Et si capitale scelus illud tanta iracundia Deus ultus est, ut momento tria millia hominum, qui flagitium illud admiserunt, propinquorum manibus trucidari jusserit, ac manus fratrum suorum sanguine cruentas sempiterno foedere Deo consecrarit: quantam ultionem fore credatis eorum, qui non creatorem sub imagine vituli, sed hominem supplicio affectum panis et vini specie singulis momentis ubique se mactare posse confidunt, ac pro aeterno Deo summa prosequuntur oratione?

CORONAEUS: Non mactatur Christus in sacrificio sanctissimo missae, sed sacerdos supplex altaribus Christum offert aeterno patri, ab eoque postulat, ut filii beneficio vitam aeternam precantibus largiatur. Non aliter ac Themistocles profugus precabatur ab Admeto rege Molossorum, ad aras filium amplexatus, ut sibi parceret pro suo erga filium amore [6]).

OCTAVIUS: Adoratur tamen sive Christus sive hostia sive figura sive, quod verius est, panis siligineus. Nec tantum adoratur summa cum veneratione omnium ac facibus ardentibus; sed etiam pro Deo vivente et spirante; manibus ac dentibus laceratur, comeditur, devoratur, ut in hominis carnem ac pulpam convertatur; sic enim Christum, quem Deum ac hominem praedicant, unum et idem fieri cum assumente arbitrantur. Caeteri, qui haec verborum monstra ferre nequeunt, Christum ab accipientis ore in coelum revo-

---

1) Aug. lib. 7 de symb. fidei. Lomb. l. 1 dist. 42. 2) L. de doctr. christ. c. V. 10. 11. 3) Contra Marcionem. 4) Alius: Helvetii. 5) Exod. 32, 4 sqq. 6) Plutarchus.

lare putant, ab improbis autem ne accipi quidem, tametsi ea de re gravis controversia est inter ipsos. Certe Averroes valde novum sibi videri dicebat, quod Christiani tot millia Deorum, quos momento se creare jactarent, pietatis specie avidissime deglutirent. Nam Moses vitulum conflatilem, in pulverem contusum inque aquam infusum, cultoribus in contumeliam potandum propinavit [1]). Nullum autem crudelitatis ac odii argumentum majus est, quam hostium carnibus vesci.

CORONAEUS: Averrois athei nomen oblivione sempiterno deleatur. Illud autem in summa confiteri necesse est, in coena sacratissima Christi Dei et hominis veram carnem et sanguinem pretiosissimum panis et vini specie nobis exhiberi, aut sempiternis flammarum cruciatibus torqueri.

TORALBA: Quemadmodum creatura incapax est deitatis, ita quoque sempiterni cruciatus.

FRIDERICUS: Nemo est, opinor, qui creaturam fieri posse Deum putet. Sempiternis tamen suppliciis impie pervicaces torqueri, toties ac tam saepe in sacris litteris occurrit [2]), ut illud in dubium vocare nefas esse videatur.

CORONAEUS: Non tantum qui omni pervicacia quaedam jura divina et humana violarunt, nec unquam poenituerunt, sempiternis inferorum poenis cruciabuntur, sed etiam ii, qui vel uno scelere capitali sese obligarunt ac prius vita defuncti sunt, quam poenituissent.

SENAMUS: Prius igitur definiendum, cujusmodi sit peccatum illud, quod mortale sive capitale vocant, quoniam adhuc sub judice lis est. Et certe acutissimus quidam theologus [3]) se valde dubitare scribit, an sit ullum capitale scelus, concessis etiam omnibus, quae ab interpretibus afferuntur. Nam Hieronymus definit peccatum mortale: transgredi mandatum Dei. Alii: peccare in spiritum sanctum; alii: nec de peccato confiteri nec poenitere velle; alii aliter.

CURTIUS [4]): Christus ipse definire videtur, quod neque in hac vita remittitur, neque in futura, cum scilicet peccatur in spiritum sanctum [5]).

SALOMO: Superius dictum est, ex ista definitione spiritum sanctum a patre et filio, ex quibus derivari dicitur, majorem fieri, quia peccatum eo majus ac gravius est, quo major et gravior est is, quem contra peccatur.

OCTAVIUS: Hoc amplius habet incommodi haec definitio, quod peccatum ejusmodi esset, quod nulla poenitentia, nullis meritis aboleatur, contra quam theologi fere omnes decreverunt [6]). Ac tametsi Augustinus aliquanto aliter sentit, sponte tamen a sententia descivit.

TORALBA: Si nihil suapte natura est sempiternum praeter Deum, ut superius demonstratum est, nulla potest poena sempiterna irrogari.

---

1) Exod. 32, 85. 2) Matth. 17, 25. Marc. 3, 9. Luc. 3. Jud. 1. Apocal. 19 20. Thessal. 1. Ebr. 6. 3) Scotus l. 1. sentent. dist. 1. qu. 2; l. II. dist. 28. qu. 1. 4) Omittitur in aliis codicibus. 5) Matth. 12, 31 sq. Marc. 3, 29. Luc. 12, 10. 6) Thomas. Scotus. Albertus lib. II. sent. dist. 49; lib. I. retract. Petr. Lomb. lib. II. sent. dist. 49.

SALOMO: Illud summa theologorum consensione planum est[1]), Deum majora semper praemia bonis, breviores poenas improbis infligere, quam mereantur. Ego Deus aeternus, inquit[2]), qui facio judicium, justitiam et misericordiam; atque his verbis unice delector. Judicio quidem poena decernitur, justitia vero praemium, sed misericordia eo pertinet, ut praemia merito majora, poenae peccato leviores tribuantur. Item Mosi precanti pro populo reposuit illud[3]): Ego Deus aeternus, misericors, beneficus, lenis, infinitae bonitatis ac veritatis, qui fidem et pacta conventa inviolabiliter tueri soleo in millesimam usque progeniem quique aboleo scelera ac peccata, nec tamen desero impunita flagitia, verum in tertiam et quartam progeniem exquiro. Nam eo pertinet dictum illud Davidis[4]), misericordiam a dextris Dei assistere, ut doceat acerbitatem acerbiorem esse. Sic enim Salomo scribit[5]), sapientiam habere a dextris vitae diuturnitatem, a sinistra vero opes et gloriam, quae imbecilliora sunt, quam sit beata vita. Quodsi misericordia divina potentior acerbitate, profecto nulla poena sempiterna esse potest.

SENAMUS: Ob id, opinor, Athenienses misericordiae templa dicaverant, acerbitati nulla, ut Pausanias scribit[6]). Ac tametsi veteres Graeci tres Deorum ultrices fingerent, Ποινήν, Δίκην, Ἐριννύν, primam, quae peccata bonorum amissione puniat; secundam, quae corporibus salubritatem aut vitam spirabilem eripiat; tertiam, quae mentibus aegritudines innumerabiles inferat, poenas tamen sempiternas nullas decreverunt.

CURTIUS: Spirantium hominum dolores corporea vita diuturniores[7]) esse nequeunt, quos ut oratione molli extenuaret Epicurus, leviores fore dicebat, si[8]) diuturni essent, acerbiores autem hominis[9]) interitu brevi desituros. Sed cum sempiterna sit animorum vita, poenas quoque sempiternas fore, non dubito.

TORALBA: Animas cadaveribus superstites esse nemini praeterquam Epicureis dubium esse opinor, sed ut sint sempiterni, suapte natura fieri non posse, superius demonstratum est, Dei tamen voluntate[10]) ac potestate posse fieri sempiternos.

CURTIUS: Id quidem auctoritate Christi certissimum est, cum praedicat, eum esse metuendum, qui non modo corpus, verum etiam animam occidere potest.

SALOMO: Tametsi Ebraei poenas a sceleratis tum vivis tum mortuis exigi tradunt, nullas tamen certas definierunt iis, qui vita defuncti essent, ne quid in rebus tam arduis temere affirmarent, sed corporibus varias pro scelerum varietate poenas decreverunt. Aut enim ab invitis, aut ab erran-

1) Scot. l. m. sentent. dist. 18. 2) Jerem. 9, 24. 3) Exod. 34, 6. 4) Psalm. 16, 11. 5) Proverb. 8, 20 sqq. 6) In Atticis. 7) Alius: duriores. 8) Alius: qui. 9) Alius: his. 10) Alii: bonitate.

tibus, aut volentibus, aut a pervicacibus peccatur. Qui peccavit invitus, nulla poena obstringitur, quia ne peccatum illud quidem suum dici potest. Qui errore peccavit, non quidem punitur, sed purgatur applicatione [1]). Qui doceri non vult, hujus poena est Maltut aut Marhut [2]), pecuniaria gravior. Qui animi pervicacia quadam et contemtu divinae legis peccat, capite plectitur, etiamsi levissima parte legis offendat. Qui vero contumeliosior fuerit erga Deum, non modo gravissima morte punitur, sed etiam ejus pecunia, suppellex, vestis, quantaecunque sit aestimationis, incendio absumitur, ne suis haeredibus ullum sui fructum aut desiderium relinquat, quin etiam ejus praedia quasi exsecrabilia inculta [3]) deseri jubentur.

CORONAEUS: Supplicia sempiterna pervicacium hominum improbitati decreta esse, Christus ipse clara voce denunciavit [4]).

SENAMUS: Haec quidem utiliter et ad impiorum terrorem.

CURTIUS: Ego quidem nihil utilius ac melius fieri posse puto, quam sempiternos improborum flagitiis cruciatus proponere, vel quod ita futurum sit, ut quidem confido, vel ad terrorem sceleratis incutiendum, vel ad utrumque. Qui aliter sentiunt, nae [5]) illi magno rerum publicarum ac religionum detrimento peccandi licentiae indulgere videntur.

TORALBA: Qui semel improbitatis fines transierunt, graviter et imprudenter impios esse oportere putant, ac terrores istos imperitis ac mulierandis propositos arbitrantur. Caeteri qui tormentorum inferorum cruciatus pro veris habent, desperatione fracti, veniam se posse consequi diffidunt et in perpetua improbitate consenescunt, ut de Caino [6]) proditum est, qui gravius se peccasse querebatur, quam ut veniam consequeretur.

FRIDERICUS: Ego Christi verba non tam ad terrorem, sed etiam ad rei veritatem statuo pertinere, quoniam infinita quadam poena plectendus est, qui peccatum infinitum commisit. At qui peccat in Deum, profecto is infinitum quicquam peccat [7]).

TORALBA: Hac quidem ratione non modo omnia peccata sunt infinita, quia semper in Deum peccatur, sed etiam aequalia, quoniam omnia infinita inter se sunt aequalia, nihil enim quod infinitum sit, suscipit intensionem aut extensionem, magis aut minus. Item illud sequeretur, infinitum malum infinito bono contrarium esse, et actu duo essent infinita, contra perspicuas naturae demonstrationes, quas superius attigimus. Quare [8]) nec sententiam illorum probare possum, qui Deo nihil quidem formaliter contrarium esse testantur [9]), ut eorum verbis utar, sed virtualiter tantum [10]). Oportet enim mali vim ac potentiam infinitam summo ac infinito bono exaequari, quod naturae decus ac majestatem mirabilemque concordiam perpetuis bellis con-

---

1) Alius: admonitione. 2) Moses Rambam l. III. more nebochim. 3) Deest in alio codice. 4) Matth. 18. Lucas 4. Marc. 3. 5) Alii: ne. 6) Gen. 4, 5 sqq. 7) Lomb. lib. 3. sentent. dist. 19. Ib. Scotus. 8) Alii: Quanquam. 9) Alii: fatentur. 10) Scotus II. dist. 2. qu. 2.

turbaret [1]), cum item contraria sint sub eodem genere, Deum quoque generi subjungi oporteret. Quae cum absurda sint, sequitur nullum peccatum esse infinitum, ac verius diceretur, sceleratorum mentes penitus interire post exacta supplicia, ut Jobi verba declarant: Ut calor nives, inquit, sic flagitiosos infernus consumit [2]).

FRIDERICUS: Ex eo quod gehennae incendio dignus pronunciatur Christi sententia, qui fatuum quemquam appellavit, sequitur, omnia peccata esse aequalia et mortifera, Deo judice, ea tamen proposito levius puniri.

SENAMUS: Eadem erat Draconis sententia, qui et parricidam et qui furto pomum decerperet, capitali supplicio exaequavit. Atheniensibus vero de legis acerbitate querentibus reposuit, graviorem capitali poenam, si quam haberet, parricidis se fuisse allaturum. Itaque Demosthenes apposite leges illius sanguine esse scriptas dixit.

SALOMO: Jam pridem Stoicorum de peccatis aequalibus opinio refutata jacet. Et quidem divina lex, omnium optimarum legum exemplar singulare, pro facinoris magnitudine poenarum gravitatem irrogavit. Qui falsum testimonium tulit, eadem poena obstringitur, quam in alium derivare conatus est, sive ad levissimam pecuniae mulctam, sive ad capitalem poenam testimonium pertineret. Sunt autem poenarum gradus septem in pandectis [3]) Ebraeorum: lapidatio, combustio, capitis truncatio, suffocatio, excidium, repentina mors, verberatio nervis bubulis [4]) inflicta [5]), quae ictibus ad summum quadraginta definitur lege divina, ne quis ictibus contrucidatus plane inutilis reddatur. Excidium appellant כָּרֵת, i. e. cum ante constitutum vitae terminum quis moritur ultione [6]) divina. Quo pertinet illud, quod saepius in sacris litteris occurrit: Excidentur e populo suo qui hoc facient, quod Christiani theologi pro sempiterna damnatione falso interpretantur. At cum poena divina peccato semper levior sit, si poena esset infinita, gravior esset poena delicto et acerbitas commiseratione dignior, contra quam locis omnibus scripturae docemur. Si igitur peccato supplicium levius est sive temporis extensione sive doloris intensione, constat, infinitum dici non posse.

CORONAEUS: Aliud est, poenam mereri, aliud infligi. Non enim si sempiterna supplicia Christi veri Dei judicio mereatur, qui quenquam fatuum appellavit, propterea sequitur, ob id aeternas poenas luiturum.

TORALBA: Ac si poenarum est aequalitas, profecto est etiam aequalitas flagitiorum. Item sempiternum supplicium, si non doloris intensione, tamen extensione temporis est infinitum. At omnia omnium peccata, si in eundem actum cumularentur, nihil tamen infinitum efficere possent, nec item actio et passio infinita in creaturam finitam cadere ullo modo potest. Cum igitur creatura, quae semper est finita, poenam doloris intensione aut tem-

---

1) Alii: conturbare. 2) Jobi 24, 19. 3) Lib. 8. tract. V. Talmud. 4) In alio legitur: puris. 5) Alius: inficta. 6) Alius: ratione.

poris extensione infinitam perpeti non possit, cum origine et occasu creaturae omnes concludantur, sequitur, sempiterna supplicia nulla fore. Ob id forsitan Origenes daemones tandem aliquando salutem adepturos affirmavit.

FRIDERICUS: Haec haeresis jam pridem theologorum sententiis est et calculis omnibus rejecta et repudiata.

SENAMUS: Cum absurda sit peccatorum aequalitas et peccatorum infinita gravitas, cum etiam legibus et divinis et humanis alia sint aliis graviora delicta, nec tamen illa sint omnino multa, quippe aut benefactis consequentibus, aut poenis aut aliqua satisfactione oporteat aboleri, atque omnia omnium facta in judicium deduci, ut ecclesiastes orationem concludit, sequitur necessario, varias esse poenas, varia quoque genera praemiorum, nec improbos omnes iisdem inferorum poenis, nec item bonos iisdem coelestibus praemiis exaequari. Quod satis innuit Paulus [1]), cum sidera quidem alia aliis lucidiora scribit atque eandem esse beatorum conditionem.

CURTIUS: Duplices sunt exitus animarum, aliis quidem ad vitam beatam, aliis ad supplicia sempiterna, tertium nihil est. Id autem pluribus scripturae sacrae locis [2]) confirmari potest, in quibus haec saepius occurrunt, aliis ad vitam, aliis ad exitum sempiternum viam patere. Qui crediderit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur [3]). Quodsi ab inferis ad superos omnia munita essent, cur Christus Abrahamum de coelo ad mali divitis querelas sic induceret loquentem [4]): Ingens est hiatus inter nos et vos, ut neutri ad alterutros transire possint. Cur item Augustinus [5]): Binae sunt, inquit, habitationes, una in igne aeterno, altera vero in regno aeterno. Item alibi: Fides catholica credit regnum coelorum, secundum Johannem; tertium penitus ignoramus.

OCTAVIUS: Certe Ismaëlitae duas tantum sedes animalium immortalium statuerunt, ex Azora Alcorani 45, alteram quidem deliciarum ac voluptatum, alteram cruciatus ac dolorum, mediam nullam putant.

SENAMUS [6]): At occidentales Indi praeter inferos ac superos purgatorium quendam locum esse praedicabant, non flammis et ignibus noxium, sed frigoribus gelidissimis. Quae persuasio ab radice convellit quaestiones eorum, qui negant purgationis ignes sine materia subsistere, aut materiam inveniri, quae quasi lapis ἄσβεστος καὶ ἀμίαντος, alumen plumaceum vulgo appellatur [7]) nullis ignibus limari [8]) aut absumi possit, quia frigoris nulla vis est consumendi.

TORALBA: Inepte dicam an inique philosophantur, qui materiam purgatoriis ignibus sempiternam esse negant, videmus enim Aetnaeos ignes et incendium Hiberniae, Islandiae, Peruanarum [9]) atque Australium regionum,

---

1) 1 Cor. 15, 41. 2) Matth. 25. Marc. 3. Luc. 10. 2 Thess. 1. Ebr. 6. Marc. 16. Joh. 3. 3) Marc. 16, 16. cf. Hebr. 10, 39. 4) Luc. 16, 26. 5) Contra Pelagium l. V. 6) Deest in alio codice. 7) Alii: vulgus appellat. 8) Alius: liquari. 9) Alius sine dubio false: Romanorum.

quae terra ignea a perpetuis flammis nomen traxerunt, quibus materia non deficit.

CORONAEUS: Undenam igitur tot ac tam diuturna pabula flammarum?

TORALBA: Equidem putavi, aliquando ab aquis subterraneis saxa continenter irrigantibus alimenta suppeditari, quemadmodum in fornacibus lapis gagates pingui materia concretus ardentius urit aqua superfusa, sed adipe lapidis penitus exusto [1]), nihil amplius aqua proficit [2]), neque enim ignis pascitur aqua, sed uligine pingui, alioquin moles aquarum jampridem incendio consumta fuisset. Itaque videmus ab Aetna lapides spongiosos, quos pumices vocant, eructari, exusta materia pingui, ac nihilominus incendia durare.

OCTAVIUS: Sed ut a physicis ad metaphysica redeamus, consentaneum est, varia esse pro scelerum varietate genera poenarum, sive immortalis anima [3]) diuturnitate temporis sive doloris acerbitate sive ardoribus sive horrore frigoris sive caligine tenebrarum sive odorum teterrimo foetore sive perturbationibus secum dissidentibus [4]) sive ministeriis foedissimis ac vilissimis plus minusve plectatur. Est autem [5]) divina quaedam vis ubique terrarum diffusa, quae improborum impietatem ulciscitur, nec usquam inulta scelera esse possunt, ne hominis cruci affixi fiducia latebrae flagitio quaerantur. Illud autem perspicuum est, improbos homines saepissime post diuturnam et in omnibus voluptatum generibus exactam vitam sine ullo sensu doloris interire [6]), tametsi viri boni saepe in carceribus et cruciatibus moriantur, cum maximo luctu bonorum: hos [7]) ad vitam meliorem, illos ad supplicia denotari consentaneum est, ut Salomo innuit, cum dicit [8]) quosdam de vinculis et carceribus ad regnum, regem vero ad inopiam pergere. Oportet igitur exstare supplicia quaedam post hanc vitam, quibus improbi plectantur; neque enim Deus judex aequus videretur, si tam multa flagitia relinqueret inulta et virorum illustrium atque optimorum delicta omnia ulcisceretur, quamdiu spirant in terris. Quodsi non sunt supplicia sempiterna omnibus flagitiis post hanc vitam proposita, oportet esse temporibus ac locis terminata, quibus exactis aut moriendum mentibus est, aut beatius jucundiusque vivendum, quia tertium nihil cogitari potest.

TORALBA: Vetus est et ab omni antiquitate tracta opinio [9]), animos eorum, qui sese corporeis voluptatibus dediderunt eorumque impulsu jura divina et humana violarunt, corporibus elapsos circa terram volutari ac cruciari, nec in coelestem illum locum ac sedes beatorum, i. e. ut Plato [10]) loquitur εἰς καθαρὰν οἴκησιν, nisi multis exagitatos saeculis reversuros. Itaque

---

1) Alius: deusto. 2) Alius: perficit. 3) Alii: mortales animi vel mortuorum animi. 4) Alius: discedentibus. 5) Alius: enim. 6) Job. 21. Jerem. 12. Psalm. 36, 38. 73. Habac. 1. 7) Alius: quos. 8) Eccles. 4, 14. 9) Alius: ratio. 10) In Phaedone.

veteres praeclare cum iis agi putabant, eosque malis ingentibus eripi, qui poenas in terris, tantisper dum hoc spirabile lumen hauriunt, graviores dedissent, sicut idem Plato scribit: τὴν δίκην διδόναι μεγίστου κακοῦ ἀπαλλαγὴν πονηρίας εἶναι. Ex quibus sententiis significabant, nec inulta scelera, nec supplicia fore sempiterna.

CURTIUS: Si purgatorios ignes aut gelidissima loca poenis subeundis ac peccatis expiandis statuamus, ut hinc aditus muniatur ad beatorum sedes, prospiciendum nobis erit, ne infinita genera suppliciorum apud inferos admittamus, abhorret enim universa natura infinitatem. Praestat igitur, duo tantum loca statuere, unum praemiorum, alterum poenarum.

CORONAEUS: Si qua immortali Deo juris ac justitiae cura est, quam summam esse confidimus, in extremo vitae spiritu poenitentium scelera non quidem abolitione [1]) penitus deleri, sed quodammodo extenuari [2]) confitendum sit. Demus enim duos homines, alterum illustri virtute ac pietate totum vitae tempus floruisse [3]), nihil unquam injuriae fecisse, ac ne praemiorum quidem ulla spe Deum aeternum, sed divini amoris solo intuitu coluisse, in quo justitiae consummata perfectio consistit, ad extremum tamen in adulterio deprehensum, sine poenitentia caesum esse; alterum vero stupris, adulteriis, caedibus, parricidiis, contumeliis ac impietate summa erga Deum totam vitam exegisse, extremo tamen spiritu poenituisse vitae ante actae et humili scelerum confessione peracta exspirasse. Hunc quidem Curtius ac Fridericus in altissimas beatorum sedes ab angelis subvehi credunt, illum vero aeternis inferorum suppliciis cruciari. Perpendite, si quid injustius decerni possit?

CURTIUS: Haec vetus est Israëlitarum querela, qui Deum iniquitatis insimulare non dubitarunt ob eam causam. At ille per vatem [4]): Anima, inquit, quae peccaverit, ipsa morietur, nec filius sustinebit scelera parentis, nec parens flagitia filiorum. Quodsi aversus impius a flagitiis omnia edicta mea amplexatus fuerit, judicium et justitiam, vivet ille quidem, nec praeterita peccata illius commemorabuntur. Ita quoque si justus converterit se ab integritate ad impietatem, superiorum virtutum nulla futura est commemoratio, sed in peccatis suis morietur. Vos tamen dixistis: Judicia Dei non sunt aequa. Audite, domus Israelis, num judicia mea aequa non sunt? Num vos potius aequi non estis? Ex his sequitur, duos tantum esse exitus animorum.

SALOMO: Non dixit Ezechiel impium illum omnibus flagitiis ac sceleribus detestabilem, si extremo spiritu piguerit vitae ante actae, salutem adepturum, sed si reversus ab impietate juste vixerit, Deum superiores im-

---

1) Alius: absolutione. 2) Alius: exterminari. 3) Alius: peregisse.
4) Ezech. 18, 19 sqq.

pietates obliturum, nec item virum integerrimum, qui extremo vitae momento scelus admiserit [1]), propterea suppliciis sempiternis torquendum, sed ita demum exitio periturum, si ad impietates et improbitates totus deflexerit.

CORONAEUS: Ego illum, quem poenituerit scelerum, purgatoriis ignibus expiatum iri confido, idque non modo sacris litteris [2]), sed etiam ipsius Martini Lutheri [3]) autoritate fretus.

SALOMO: Ego poenitentiam illam extremo vitae spiritu nihil profuturam sceleratis opinor.

CORONAEUS: At qui sacerdotis potestate divinitus ei tributa veniam consecutus est, eum tamen a culpa liberum esse credimus.

SALOMO: Nihil exsecrabilius mihi videtur, quam sacerdotes ecclesiae Romanae veniam scelerum sibi arrogare aut confitentibus peccata ignoscere, cum id uni aeterno Deo pro jure suae majestatis conveniat.

CORONAEUS: At Christus hanc apertissime discipulis potestatem largitur, ut quaecunque vincirent et solverent in terris, eadem forent soluta et colligata in coelis [4]).

CURTIUS: Nescio quamobrem Romani pontifices haec verba ligandi et solvendi detorserint ad scelerum abolitionem, nisi quod augustiores se fore putarunt, si in jure divinae majestatis nulli creaturae communicabilia involarent et ex indulgentia vitiorum omnium infinitam auri vim corraderent. Ut quidem videmus illos ignoscere non tantum admissa scelera, sed etiam admittenda, cum legibus divinis et humanis non sine ingenti mercede solvant imperitos, nec leviorum, sed robustiorum impietatum veniam saepissime soluta pecunia largiantur. Inde [5]) venalium indulgentiarum pontificiis nundinationis copia, inventum Gregorii pontificis Romani, quae paulatim infinitum acceperunt incrementum, ut interdum mille annorum veniam isti largiantur [6]).

CORONAEUS: Culpa quidem ignoscitur, quo minus sempiternis suppliciis teneantur, qui poenituerunt, sed purgatoria flamma expiati, ut Paulus ipse loquitur [7]), vitam aeternam aliquando adipiscantur [8]).

CURTIUS: Ego poenitentibus sceleraque Deo confitentibus vitam coelestem patere judico, sine expiationis ignibus, qui nulli sunt, sed lotis vestibus pretiosissimo Christi Dei cruore [9]) ac lavacro, quo nos lavit ab omnibus flagitiis, ad nuptias coelestes acciri. Alioqui incongruum esset, eum quem ad convivia nuptiarum solennium excipere voles, ante verberibus, sectionibus, tormentis, ustionibus, crudelissime torquere.

TORALBA: Hypothesis superior a Coronaeo proposita eo pertinet, ut ab utroque merita supplicia prius exigantur, antequam sordidatos peccatorum maculis in sanctissimas angelorum aedes intrudi fateamur.

---

1) Alius: admisit. 2) 2 Macc. 12. Mal. 3, 12. 1 Cor. 3. Phil. 2. 2 Tim. 1. Joh. 5. Apoc. 5. 3) Lutheri resol. conclus. 10. 4) Matth. 15, 19. 18, 18. 5) Caetera haec interlocutoris verba desunt in alio codice. 6) Liber de taxis Cancellariae, c. de absol. et dispensationibus. 7) Alius: pollicetur. 8) 2 Thess. 2, 8. 9) Apoc. 1, 5.

SALOMO: Ita quod sentio, nullum esse scelus inultum, ultionem vero, quamdiu hic vivitur, praestabiliorem fore, ut sapientiae magister significat his verbis: Ecce justis in terra expenditur, quanto magis peccatoribus? [1]) i. e. a justis poenas improbitatum exigi, quamdiu hic vivitur, a sceleratioribus autem post mortem, utrosque tamen levius quam pro merito plecti. Nam si pro merito omnia delicta exigerentur et supplicia decernerentur, ecquis ea perpeti posset? Sed resipiscentia pleraque peccata abolentur aut levissime puniuntur, eoque magis, si ad resipiscentiam accedant praeclarae virtutum actiones, officia erga pupillos, viduas, peregrinos et summa erga tenues benignitas [2]). Itaque Daniel regem Nabochodonosorem hortabatur, ut poenas divino judicio decretas benignitate dilueret, cum nulla re peccata citius aboleantur [3]). Tametsi enim veniam precantibus ac poenitentibus ignoscat, non tamen impunitos fore testatur, his verbis: purgando nos purgabit; quod David Kimchi sic interpretatur: Deus ignovit, punit tamen quodammodo, tametsi Rabbi Abraham et Chaldaeus interpres penitus ignosci putent, quod de culpa interpretandum est. Quum enim rogatione Mosis se ignovisse dixisset, nihilominus declarat, se populi scelus ac diffidentiam ulturum [4]), uti fecit; omnes enim qui ex Aegypto egressi fuerant, duobus exceptis, in deserta solitudine perierunt. Item Davidi poenitenti ignoscit [5]), poenam tamen irrogavit, tum adulterini filii morte, tum etiam incestibus ac adulteriis liberorum.

OCTAVIUS: Scelerati quidem bonorum caede pascuntur ac diuturnam saepe vitam in summa bonorum ac voluptatum omnium affluentia transigunt, quae praemia sunt eorum, quae ab illis recte gesta fuerunt, ne ullum exstet benefactum, cui Deus justam non retribuat mercedem et quidem meritis majorem, quia nemo fere tam improbus est, qui nihil boni gesserit. De utrisque vero, probis inquam et improbis, jam mortuis ita scribit sapientiae magister [6]): Prodibunt, inquit, impii praeteriti scelerum suorum recordatione. Tum justus coram oppressoribus suis stabit, cujus aspectu scelerati pavore percussi et inopinato stupore ac doloribus afflicti exclamabunt: an ille est, quem ludibrio habuimus olim; stulti qui vitam ejus insaniam et exitum putavimus ignominiosum. Itane in albo filiorum Deorum conscriptus est et inter sanctos sortem adeptus? At nobis opes et superbia nil profuerunt.

SENAMUS: Est verum genus eorum, qui quod bestiarum more nullam omnino aut divinorum aut humanorum curam habuerint, corporis ac animi occasum simul pati dicantur. Deus enim utrumque necare potest [7]).

---

1) Proverb. 11, 31. Ecclesiast. (Sirach) 12, 4. 6. Nahum. 1, 2. 2) Ezech. 18, 8 sqq. 3) Daniel 4, 24. 4) Numerorum 15, 30. 5) 2 Sam. 11, sqq. 6) Sap. 5, 1—5. 7) Psalm. 42 (41), 5. Matth. 10, 28.

CURTIUS: De his quidem statuere difficile est, eorum tamen animas, qui non innocentem bestiarum more vitam transegerunt, sed facinoribus et flagitiis vitam contaminarunt, non prius morituras confidimus, quam justissimas dederint poenas detestabilium improbitatum. Quo pertinent extrema Esaiae verba[1]): Videbunt, inquit, cadavera eorum, qui a me defecerunt, quoniam vermis eorum non morietur et ignis eorum non exstinguetur, sed omnibus fastidio sunt futuri. Quibus verbis sempiterna eorum supplicia fore testatur.

SALOMO: Rabbi Elieser planius aliquanto: Certo scis, inquit, omnia dicta factaque hominum justis suis ponderibus exigenda, nec te in fraudem impellat malus genius, quasi sepulcrum tibi sit securitatis ac impunitatis[2]) perfugium futurum, stabis enim coram aeterno Deo, judice totius orbis.

CURTIUS: Magnam vobis gratiam debet ecclesia Romana, quod purgatorios ignes pene exstinctos argumentorum vi atque eloquentia[3]) videmini excitavisse. Nam in iis ignibus legatorum[4]) ac donationum vis prope immensa, quasi in causa non tantum impulsiva, ut jurisconsulti loquuntur, sed etiam finali consistere videtur, ut scilicet sacrificia missarum anniversaria fiant pro salute animae testatoris.

FRIDERICUS: Etiamsi demonstratione perspicua planum esset, post[5]) hanc vitam expiari scelera improborum ultricibus flammis, non propterea tamen sequeretur, sacrificia mortuis profutura.

CORONAEUS: Cur non?

FRIDERICUS: Quoniam divina decreta vetant. Qui, inquit Ambrosius[6]), non accipit hîc veniam peccatorum, illic non erit. Non erit autem ei, quod ad vitam aeternam noluerit pervenire. Item Cyprianus[7]): Quando isthinc excessum fuerit, non poenitentiae relinquitur ullus, nec sanctificationi locus. Hîc vita amittitur aut retinetur. Item Augustinus[8]): Post hanc vitam id quisque habiturus est, quod in ea conquisierit; nunc misericordiae, post judicii tempus erit. Item Hieronymus[9]): Cum ante tribunal Christi veneris, inquit, nec Jobus nec Daniel pro te orare poterunt. Item Chrysostomus[10]): Simul discesserimus, hinc non est in nobis situm poenitere aut delere peccata. Item qui in praesente vita peccata non eluet, nullam postea consolationem habiturus est. Atque eo pertinet Salomonis dictum de arbore caduca, quae eo quo ceciderit loco, sive ad Aquilonem sive ad Austrum, illic perpetuo residebit[11]).

CORONAEUS: Ne vobis theologis theologos opponam, satis est sacrae scripturae locum de Maccabaeis singularem denotare[12]): Nisi, inquit, revicturos sperarent, qui mortui sunt, frustra pro mortuis vota

---

1) Jesaiae 66, 24. 2) Alius: immunitatis. 3) Alius: eloquentiae ardoribus. 4) Alius: legationum. 5) Deest alibi. 6) Libro de bono more. 7) Contra Dem. 8) Ad Maced. ep. 54. 9) Homil. X in Joh. qu. 2 et 13. 10) Conc. 2 de Lazaro. ad Ebr. 2. Rom. 4. 11) Eccles. 11, 3. 12) 2 Macc. 12, 40 sqq.

conciperentur. Itaque Judas princeps Judaeorum mortuos pro patriae salute, solennibus sacris expiari jussit, ut peccatorum noxa solverentur.

CURTIUS: Libri Maccabaeorum non modo ab Ebraeis, sed etiam ab omnibus veteribus christianis theologis inter ἀπόκρυφα censentur et sanctissimis Laodicaeensis synodi [1]) decretis repudiantur.

CORONAEUS: At posterioribus conciliis, ipsiusque Tridentinae synodi decretis, quasi sacratiores probantur mirum in modum.

TORALBA: Ego quidem non modo theologorum [2]) et academicorum auctoritate, sed etiam argumentis certissimis animorum purgationes et expiationes scelerum post hanc vitam fore non dubito. Sed ut votis aut rogationibus ullis eluantur, probare nullo modo possum. Nec vero Plato [3]) quicquam perniciosius aut capitalius hominum generi persuaderi posse scribit. Nam quo quisque sceleratior exstiterit, quo majores opes furtis aut rapinis pupillorum ac viduarum congesserit, eo confidentius alienis precibus ac sacrificiis flagitiorum suorum diritatem dilui putabit.

SALOMO: Legibus divinis saepe admonemur, nullis sacrificiis improbitates expiari [4]) praeterquam eas, quae errore probabili admittantur; direpta vero bona praesertim egentium, viduarum ac pupillorum quasi flagrans incendium absumunt rapientium opes omnes. Quae cum ita sint, quis putet, sacrificia ulla aut preces mortuis proficere posse?

CORONAEUS: Si nihil proficiunt mortuis viventium rogationes, cur Judaei mortuos in sepulcra deferentes canerent suam [5]) הַשְׁכָּבָה (accubationem) in qua his verbis utuntur: Spiritus domini quiescere faciat N. in horto Eden, in pace, ipsum ac omnes defunctos Israëlitas, ad cujus precantis vocem populus respondet Amen! Cur etiam Augustinus pro matre Monica sic precatur: Dimitte, domine, dimitte, obsecro, ne intres in judicium cum hac? [6]) Cur etiam Muhammedistae ipsi, qui supplicia inferorum quidem sempiterna fore credunt, tam ardenter precarentur ut amici vita defuncti ab interrogatione utriusque angeli atri eripiantur?

OCTAVIUS: Ista quidem precatio fit a Muhammedistis, priusquam judicium subeunt, non quod judicio semel damnatos unquam eripi putant.

SALOMO: Nec Maccabaeorum, nec Augustini autoritatem moror; nos vero nec anniversariis solennibus, nec sacrificiis, nec rogationibus illis utimur pro animis defunctorum, quia scimus nihil profuturum sed illa הַשְׁכָּבָה [7]) nihil aliud est, quam vox optantium, ut beati sint amici, propinqui, parentes.

CORONAEUS: Si dubia res esset, an mortuis viventium vota proficiant, ut quidem prodesse confido, nonne tutius tamen foret id facere,

---

1) Const. 55. 2) Athanasius. Cyprianus. Hieronymus. Epiphanius. Augustinus l. 15 c. 15. de civ. Dei. 3) De legibus. 4) Desunt in aliis codicibus. 5) Alius addit: sacerdotes cantionem. 6) Alius: ea. 7) Alius: cantio.

quod mortuis nihil nociturum sit, quam illos dubia spe flammis cruciandos deserere? Nam ut sapientes vetant id facere, quod dubites justum sit, necne? ita quoque jubent nos id facere, quod dubites, profuturum sit, necne? Ac propterea laudatur Cato Censorius, qui de animarum immortalitate disputans, quorum vim et sensum exstingui morte putabant levissimi quidam Epicuraei: Si [1]), inquit Cato, in hoc erro, quod immortales animos esse credo, hunc errorem, quo delector, quamdiu vivo mihi eripi nolo, sive mortales sint animi, ut minuti quidam philosophi putant, non vereor, ut illi mortuum me irrideant. Quanto nos accuratius ac libentius pro amicis mortuis supplicare debemus, si certum est, ut spero, Romanam ecclesiam a pietate vera aberrare non posse.

SENAMUS: Ego a pontificibus Romanis [2]) didici, haereticum esse neminem, qui ex duabus vel pluribus inter se de religione discrepantibus doctorum virorum sententiis, utram libet, tueatur.

CORONAEUS: Ita quidem opinor, si disputatio est περὶ τῶν ἀδιαφόρων, non tamen si de summa religionis aut de fidei capitibus quaeratur.

SENAMUS: At in eo ipso controversia gravis est, quae sint capita fidei? Nam Sorbonici theologi duodecim Christianae fidei capitibus centum viginti subrogarunt et capitalibus suppliciis addixerunt, qui contra sentirent, inter quae capita illud etiam conscriptum est, beatum Petrum non Petrum, beatum Paulum non Paulum dici oportere.

TORALBA: Video Judaeos a Christianis, Agarenos ab utrisque de summa religionis dissidere, graves etiam Agarenos inter ipsos controversias fidei existere, nec pauciores [3]) centum viginti haereses a Tertulliano et Epiphanio inter Christianos commemorari, nec tantum haereticos majorum gentium a se invicem dissidere, verum etiam eos, qui plus caeteris sapere videntur, Damascenum inquam a Chrysostomo, Cyprianum a Tertulliano, Epiphanium ab Eusebio, Hieronymum ab Augustino, Gregorium ab Hieronymo, Origenem a caeteris, Abaelardum a Bernhardo, Thomam a Scoto, Henricum a Durando, Albertum ab Henrico et postremo quemque superiorum scriptorum sugillare. Quin etiam magistrum sententiarum haeresium viginti quinque a junioribus Sorbonicis denotari, Graecos Christianos a Latinis, Romanos a Germanis, Helveticos et Gallos ab utrisque, Lutherum a Zwinglio, Calvinum a Stanckaro, Bezam a Castellione, in summa fere singulos a singulis, ut omnes ab omnibus, mutuis maledictis et execrationibus refutari. Ac tametsi Judaei suae religionis puritatem constantia majore tueri videantur, orientales tamen ab occidentalibus in ritibus discrepant. Quae cum ita sint, nonne praestat simplicissimam illam et antiquissimam eandemque verissimam naturae religionem, uniuscujusque mentibus ab immortali Deo insitam, a qua

---

1) Alibi: Quodsi. 2) Innocens IV. in c. Si invitaveris de constitutione Thom. .. lib. 4 sent. dist. 8. qu. 2 etc. si per duos, de Simonia. 3) Alius: potiores.

dissidendum non erat, amplexari, illam inquam religionem, in qua Abel, Enochus, Lothus, Sethus, Noëmus, Jobus, Abrahamus, Isaacus, Jacobus, Deo carissimi heroës vixerunt, quam inter tot ac tam varias opiniones incertum quemque vagari, nec habere certam animi sedem, in qua acquiescat?

SALOMO: Si heroibus illis similes essemus, nihil ritibus ac caerimoniis opus esset, plebem vero ac vulgus ignarum sine ritibus ac caerimoniis nuda verae religionis assensione contineri, vix ac ne vix quidem fieri potest.

CURTIUS: Caerimoniarum multitudo mihi non placet, quae veri Dei cultum evertit, ut paganorum et qui propius a paganis absunt, Catholicorum.

OCTAVIUS: Non video de toto genere religionum, quae purioribus caerimoniis [1]) Deum aeternum colendum sibi proponat quam Ismaëlitarum.

SALOMO: Sed jam de via deflexerunt ac sepulcra Naphissae [2]) Muhammedis, ac nescio quorum [3]) prophetarum, continuis peregrinationibus fatigant. Judaei solas divinae legis caerimonias, non hominum arbitrio confictas, cum veri aeterni Dei cultu sic amplectuntur, ut plebis animos aeque ac eruditorum facile in officio sine ullis sacrificiis contineant.

CORONAEUS: Veram religionem Romanos pontifices jam inde a Christo Deo vero et sanctissimis apostolis ac discipulis continua serie posteritatem docuisse confido ac suae dignitatis splendorem ac decus inter haereticorum, Judaeorum ac Turcarum, Paganorum, Epicuraeorum naufragia constanti fide tueri. Et quoniam id vobis persuaderi non potest, quod tunc fore non despero, non desistam, verum Deum et hominem Christum ejusque inviolabilem parentem, virginum decus, omnes angelorum legiones, martyrum, confessorum ac beatorum omnium ordines obsecrare, ut Deum aeternum vobis propitium reddant ac pro vestra omnium salute rogationes ferant.

SALOMO: Magnam profecto gratiam Coronaeo pro tot ac tam multis beneficiis ac potissimum pro sua erga nos pietate singulari et caritate debemus, quam vicissim imitari nos oportet, ac singulos pro singulis supplicare Deo aeterno, ut nos in rectum salutis iter, omnibus errorum vepribus ac spinis purgatum, deducat.

FRIDERICUS: Qui de sua religione dubitat, vera sit necne, aut qui falsam pro vera profitetur, nec pro caeteris utiliter vota facere posse videtur; qui vero certus ejus religionis, in qua sit acquiescendum, si veram habet, utiliter quidem pro aliis, non item pro seipso supplicabit, aut in rectum iter, quod securius tenet, Deo praelucente ingredietur.

SALOMO: Nullus unquam mortalium certior fuit de voluntate divina, quam Moses, qui tametsi Dei leges ad populum tulisset, attamen precibus fusis: Ostende, inquit [5]), mihi vias tuas, ut cognoscam te. Item David, divinarum legum peritissimus interpres: Vias tuas, inquit, ostende

---

1) Alius: quae potioribus ceremoniis puriis. 2) Alii: Navissae. 3) Alius: quot. 4) Ita omnes. 5) Exod. 33, 13.

mihi[1]); qui tamen alibi dixerat[2]): Notas mihi fecisti vitae vias, ut scilicet Deus illis praeluceret ad arcana legis intelligenda. Nam quadragesimo post anno quam lata lex erat, Moses coacta populi concione, illud etiam[3]) addidit: Non dedit Deus vobis cor ad intelligendum, nec oculos ad videndum, nec aures ad audiendum hactenus[4]). Ex quo intelligitur, sine ope ab luce divina Dei leges aut jussa intelligi aut percipi non posse. Itaque vates lyricus exclamans[5]): Revela, inquit, oculos meos, ut intueri possim admirabilia tuae Legis arcana. Quanto nos igitur studiosius quam illi preces mutuas ad Deum immortalem fundere debemus, in tanta opinionum de vera religione discrepantium varietate.

SENAMUS: Quid vetat igitur, quo minus omnes simul ac semel pro omnibus ardenti animo illud ab immortali Deo precemur, ut recta via pergamus, si modo veram nacti sumus, sin a vera via sive vita deflexinus, divina bonitate praeeunte dirigamur. Nam ut bellica tormenta sigillatim emissa non tanta vi quatiunt arces, quam si multa simul eodem impetu ferantur: ita preces multitudinis[6]) coelum ipsum tanto impetu feriunt, ut ipsi Deo vim afferre videantur.

SALOMO: At unius hominis integerrimi oratio plus habet apud Deum ponderis ac momenti, quam populi totius, ut quidem Moses, Samuel et Elias saepe declaraverunt, quoniam etiam in multitudine unius impietas caeteris obest, preces tamen bonorum semper exaudiuntur.

OCTAVIUS: Multitudinis quidem rogatio efficax est, si mente sincera Deum aeternum appellaverit; sin pro vero Deo falsum colat, aut creatori creaturam cultus communione conjungat, idem illi objici possit, quod Elias populo[7]): Quousque claudicabitis mox in hanc, mox in illam partem? Si Bahal rex est, hunc colite etc. Idem sacerdotibus Bahalem contentissima voce acclamantibus: Altius, inquit, exclamandum est, quia Bahal vel sopore, vel rationibus domesticis implicatur[8]). Pejus etiam si dubitent, Deus sit necne, quem interpellant, quoniam dubitatio in cultu divino semper impietatis opinionem affert. Quid enim ferat[9]) Athesani[10]) theologi amuletum, quod adoraturus hostiam siligineam, quam dubitent consecrata sit necne, quod manibus contrectat: Si Deus es, inquit, adoro te, sin minus, non adoro.

SENAMUS: Omnes homines, quantum quidem opinor, Deum deorum omnium parentem agnoscunt, ac tametsi plerique communicatis honoribus creaturas cum creatori copulant, principem tamen confitentur, quem Porphyrius et Plato[11]) τῶν θεῶν πατέρα καὶ παντοκράτορα vocant, quem Octavius,

1) Psalm. 76, 48. 2) Psalm. 5, 26. 86. 3) Deuteron. 5, 29. 4) Deest in alio codice. 5) Psalm. 119, 18. 6) Alius: precum multitudines. 7) 1 (3) Regum 18, 21. 8) 1 (3) Regum 18, 28. 9) Alibi: Quid referat. 10) Alius: Astesani. 11) περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων.

Salomo, Toralba, unice caeteris omniis repudiatis, colendum proponunt, Fridericus et Curtius caetera quidem omnia assentiuntur, hoc tamen differunt, quod Deum illum naturae parentem vel, quod idem, filium ejus coëssentialem, coaeternum carnem humanam in utero virginis induisse contendunt ac pro generis humani salute mortem pertulisse; in caeteris prope consentiunt, excepta coena, confessione et statuis; Coronaeus [1]), ut religiosissimus est, ne latum quidem unguem ab ecclesiae Romanae caerimoniis putat esse discedendum. Ego vero, ne usquam offendam, omnes omnium religiones probare malo, quam eam, quae fortassis vera est, excludere.

SALOMO: Mallem ego, Sename, calidus esses aut frigidus, quam in religione tepidus. Quanquam quî fieri potest, omnium religiones simul tueri, i. e. confiteri aut credere Christum Deum esse et negare Deum esse, morte affectum et supplicio ereptum, panem Deum fieri et non fieri, quae per naturam simul stare non possunt.

SENAMUS: Ego nec assentiri leviter nec temere negare volo, quae inter theologos dubia disputatione contravertuntur, sed Pauli [2]) sententiam sequi praestabilius duco: F a c t u s s u m, inquit, J u d a e i s J u d a e u s, E t h n i c i s E t h n i c u s e t i i s q u i l e g e v a c a n t, q u a s i l e g i s e x p e r s e s s e m. O m n i b u s o m n i a f a c t u s s u m, u t o m n e s l u c r i f a c e r e m. Itaque gratissima mihi visa est Hierosolymitanorum civium concordia, ubi tamen sunt octo christianae sectae, Latini, Graeci, Jacobitae, Armenii, Gregoriani, Coptitae, Abyssini, Nestoriani, exin Judaei, Muhammedistae, et sua cujusque sectae templa, in quibus sacra seorsim fiunt, ritibus ac caerimoniis distincta, quae tamen publicam tranquillitatem summa consensione colunt. Ego vero Christianorum et Ismaëlitarum et Judaeorum, ubicunque licet, atque etiam Lutheranorum et Zwinglianorum templa subeo, ne cuiquam quasi atheus offensionem praebeam aut quietum reipublicae statum videar conturbare. Deorum tamen principi optimo maximo omnia fero accepta. Quid igitur vetat, quo minus communem naturae totius auctorem et parentem precibus communibus flectamus, ut nos omnes in verae religionis cognitionem perducat.

SALOMO: Ferendum quidem illud, ut pro singulis vota omnes et singuli concipiant, sed omnes simul in tanta religionum varietate, salva cujusque pietate, stare non possunt. At ne Moses quidem ferre potuit [3]), ut populus in Aegypto sacra faceret, cum id Pharao permitteret: N o n e s t, inquit, c o n s e n t a n e u m, u t a b o m i n a t i o n e m A e g y p t i o r u m s a c r i f i c e m u s D e o n o s t r o; s i n c o r a m i d f i e r e t, l a p i d i b u s o b r u e r e m u r. Ac propterea majores nostri non sine ingenti mercede a principibus extorserunt, jam inde ab ultima memoria, ut in sacellis ac templis seorsim sacra faciamus. Ob id enim et aurum coronarium Romanis pontificibus et impera-

1) Alius addit: v e r o. 2) 1 Corinth. 9, 20 sq. 3) Exod. 8, 26.

tricibus dependere consuevimus ac Zonarum jura imperatoribus Germanis. Nam cum in insula Delo sacra facere majorum nostrorum colonia prohiberetur ab incolis, quod Apollini et Dianae insula sacra videretur [1]), Caesareus dictator rescripsit: Non mihi placet, inquit, decretum, quo Judaeos amicos nostros sacris patriis uti prohibetis, aut in sacra pecuniam conferre, cum id ne Romae quidem facere prohibeantur. In eandem sententiam exstat Dolabellae proconsulis ad Ephesios epistola, ne Judaeos sacra facere in oppidis ac civitatibus Asiae prohibeantur. Nihilominus tamen sacris saepe disturbati sumus ac furentis plebis injuria violati.

CURTIUS: Res omnium difficillima mihi semper visa est, in eadem civitate religionum inter se discrepantium auctoritatem publicam tueri. Sed fere plebs in eo genere dominatum sibi vindicare consuevit, cui obsistere ne principibus quidem tutum est. Cum enim Phocas [2]) imperator [3]) Graecorum statuas dejici jussisset, ab ipsa fece plebis in Sophiae templo mactatus est. Privata autem sacrificia exercere periculosius est, quam publica, propter occultas civium conjurationes, quae tandem aliquando in reipublicae perniciem erumpunt. Ob id enim Trajanus Plinio Asiae proconsuli rescripsit [4]), ut nocturnos Christianorum conventus prohiberet. Quod cum magistratus Monasterii [5]) civitatis Anabaptistarum sectariis permisisset, paulatim ita creverunt, ut imperium urbis invaderent. Est etiam in privatis ac potissimum in nocturnis sacris, ubi conveniunt viri et foeminae, maxima suspicio lenociniorum [6]). Quae cum in sacris Bacchanalium Romae comperta fuissent, et stupri libidinesque utrius sexus effusae et caedes permistae perpetuo decreto in tota Italia vetita fuere. Quam suspicionis infamiam Christiani, qui sacra nocturna metu magistratuum procurabant, cum maxime vellent effugere, tamen nunquam potuere, ut ex apologeticis planum fit. [7])

SENAMUS: Si omnibus id persuaderi posset, quod Ismaëlitis, quod mihi, quod Octavio, scilicet omnia omnium vota, quae a pura mente proficiscuntur, Deo grata vel certe non ingrata esse, ubique terrarum eadem concordia vivi posset, qua vivitur sub imperatore Turcarum vel Persarum.

CORONAEUS: Principes hujus civitatis peregrina quidem Judaeorum et Graecorum sacra fieri publica patiuntur, non tamen caeteris sunt eadem privilegia tributa, sed tamen uti libertate cuique licet, dum nihil de tranquillitate civitatis statu detrahatur, nemo sacris adesse cogitur aut prohibetur.

OCTAVIUS: Sapienter istud quidem, ut omnia hujus civitatis instituta, quibus in optimatum statu diutissime floruit ac florebit, in quo civitatis genere nulla pestis perniciosior exoriri potest, quam discordiae civium inter ipsos.

---

1) Josephus lib. 14, c. 17. Philo de legat. ad Caligulam. 2) Alius: Thomas. 3) Deest in uno codice. 4) Plinii Epp. 10, 96 sq. Cal. 97 sq. 5) Alius: Munsterae. 6) Alius: lenociniorum frequentia. 7) Tertullianus in apologet. Athenagoras in apol. Justinus Martyr in apol. Origenes contra Celsum.

CORONAEUS: Utilitati tamen publicae pietas anteferri debet ac de religione inquiri, nolentes etiam ad sacra publica cogi, ut sanctissimis ecclesiae Romanae decretis cavetur [1]). Huc enim pertinet illud: Compelle eos intrare [2]).

OCTAVIUS: Illic agitur, opinor, de vocatis ad nuptias, quos, si adesse nollent, valde ineptum minimeque decorum videretur fustibus aut subjecta poena capitali cogere velle, si quidem voce ἀναγκάζειν interpretamur τὸ βιάζεσθαι.

CURTIUS: In eam sententiam Tertullianus [3]) ita scripsit: Non est religionis cogere, quae sponte suscipi debet, non vi. Et quidem concilio Nicaeno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi sanctissime ita decretum est, haereticos non armis esse, sed doctrina expugnandos, nec zizania ante messem convellenda. Idem video placuisse Augustino [4]), Hieronymo [5]), Bernhardo [6]). Deus, inquit Hilarius, non eget obsequio necessario, nec requirit coactam confessionem, non nisi volentem recipit. Simplicitate quaerendus est, confessione discendus, caritate amandus, timore venerandus, voluntate probitatis retinendus. At sacerdotes Deum timere vinculis coguntur, poenis jubentur, carceribus continentur, virgines nudantur ad poenam, sacrata Deo corpora ad fructum spectaculi et quaestionis aptantur. Haec ille. Atque ob id Priscilliani haereseos damnati sunt, quod haereticos poenis cruciandos esse arbitrarentur.

SALOMO: Jubet quidem lex divina [7]), masculos omnes singulis annis coram Deo se sistere, solennium festorum diebus, nec muneribus vacuos venire, neminem tamen cogi voluit. Quae enim contumelia gravior in Deum cogitari potest, quam ad illius obsequium quenquam cogere velle, cum nemo satis alacri mente ad eum amplexandum accedere possit. Nefas est, Deum ab invitis et nolentibus coli, si quis nostrae gentis, deserto Dei cultu, Deum peregrinum, peregrina sacra sibi quaerat, lapidibus obrui, civitas vero solo exaequari jubetur. Eadem poena sequitur eos, qui summo pontifici imperanti non acquieverunt. Atque eo pertinet foedus illud, quod Asa [8]) rex cum tribubus Juda et Benjamin percussit, quo caput ejus, qui Deum aeternum deseruisset, sacratum [9]) est, sed eo foedere nihil de peregrinis cavetur. Ac tametsi populus Israel jussus est, cum in regionem sibi promissam venisset, populos exscindere, templa, locos, altaria funditus evertere, non tamen finitimos populos religionem mutare coëgerunt. Nam cum David Ammonitas, Moabitas, Idumaeos sub imperium suum subjunxisset [10]) ac vectigales fecisset, suis tamen religionibus ac sacris uti passus est. Atque illud est, opinor, quod Julianus [11]) in libro, quem adversus Galilaeos scripsit, innuere videtur,

---

1) C. urgente: de haereticis. 2) Luc. 14, 23. 3) Ad Scapulam. 4) L. 1. confess. c. 19. l. 6 c. 2 de civ. Dei. l. 1. contra Manich. c. 1. Contra Pelag. l. 2, c. 22. 5) C. 14. M. et l. 3. contra Pelag. 6) Serm. 64 in canticum. 7) Deuter. 16, 16. 8) 2 Par. 15, 3 sq. 9) Alius: damnatum. 10) Alius: subegisset. 11) Apud Cyrillum in librum Juliani.

cum legibus Mosis cautum fuisse putat, ne aliarum gentium templa ac delubra exscinderentur.

CURTIUS: Haec quaestio, an quisquam suam religionem ejurare cogendus esset [1]), magnis contentionibus agitata fuit in senatu Lusitanorum, Emanuele rege. Cum enim Ferdinandus, [2]) Castiliae rex, Judaeos omnes finibus imperii sui exegisset, pars in Galliam Narbonensem, unde postea a Francisco rege depulsi fuere, exceptis oppido paucis, qui proscriptionis metu religionem mutarunt vel simularunt, pars maxima in Lusitaniam concessit. Rex Emmanuel coacto concilio decerni jussit, an cogendi essent, christianam religionem profiteri. Tandem decretum est, cogendum esse neminem nec tamen ferendum esse, Judaeos sua religione uti, sed edicto cautum est, ut brevi finibus excederent, ni vel religionem ejurare vel durae servitutis jugum subire mallent. Quibus non erat exeundi potestas, propter navigiorum difficultatem vel inopiam, metu servitutis impendentis baptizari maluerunt. Sed cum haberetur concio Vlysipone urbe metropoli, plaga Christi crucifixi minio picta, cruore fluenti similis apparebat, adversa luce solis. Quod concionator cum prospiceret, clare vociferans: Advertite, inquit, Christi salvatoris vulnera, ut sanguine diffluunt. Plebs admirari et assentiri, quousque Judaeus quidam νεόφυτος, qui religionem christianam simulabat, clara voce plebem attonitam objurgans: Ecquid nos, ait, lignea isthaec mortui hominis imago movet? Qua voce audita concionator hominem ut perfidum ac detestabilem, totamque gentem acerrima oratione exsecratus, quod simulatione fucata Christianum se mentiretur. Quibus vocibus percita plebs ac furenti similis hominem fano detractum lapidavit, nec eo contenta per urbem Judaeos undique conquirens, tria [3]) circiter millia trucidavit. Rex intellecta re graviter tulit, quod Judaeos ad suae religionis desertionem compulisset, ac seditiosorum capita una cum concionatore in crucem egit.

SALOMO: Nihil est, quod gravius feram, quam pietatem altissimis radicibus insitam irrideri, unde calamitosae civitatum conversiones atque eversiones oriuntur, quas infinitum est commemorare. Sed pauca de multis: Cum in urbe Hierosolyma Judaei solenni festo sacra facerent, quidam e militibus praesidianis terga in ipso templo nudavit ac foedissima verborum contumelia sacratissimos ritus conspurcavit. Hic a plebe ad supplicium raptus est, non tamen id prius fieri potuit, quam viginti circiter hominum millia necarentur, Sed plerique principes pietatis speciem impie obtendunt, ad innocentium opes diripiendas, ut Ludovicus Hungariae, Dagobertus et Philippus Augustus Francorum, Ferdinandus Arragonum reges, falsis criminationibus circumventos Judaeos proscripserunt, et ubi defuit materia calumniandi, vim apertam adhibuerunt, ut et Cracoviae Judaei omnes avorum memoria caesi

1) Alius: ejurare posset. 2) Alius addit: Arragoniae et. 3) Deest in aliis codicibus. 4) Josephus de bello jud.

sunt, praeter impuberes, qui religione christiana imbuti fuere, caesorum etiam domos incenderunt, quo incendio tota Cracovia deflagravit.

OCTAVIUS: At Ferdinandus rex Arragonum iniqua quadam pietate vel potius inexplebili pecuniarum aviditate, postquam Judaeos exegisset, et qui metu opum amittendarum baptizati fuerant, simulata religione spoliasset, Mauros Granatenses Arabicae [1]) religionis, Mahummedem ejurare coëgit. Non prius tamen id fieri potuit, quam ut Alsagnynum [2]) pontificem Maurum baptizari, carceribus ac tormentis diu cruciatum, compulisset, librorum etiam 5000, quos Ismaëlitae pro sacris habent, comburi jussit. Deinde mutata religione, quadruplatoribus oblata occasio est eos proscribendi, qui religionem christianam simulare dicebantur, quae omnia facta sunt Ximene Cardinale suadente, quem cum Toleti pontifex esset, monuisse decuerat concilii Toletani decreto cautum esse, ne quis invitus religionem Christianam profiteri cogeretur.

FRIDERICUS: Theodorici, Romanorum et Gothorum imperatoris, sententia digna est, quae litteris aureis pro foribus principum inscribatur. Cum enim a senatu Romano admoneretur, ut Arianos suppliciis ad fidem catholicam adigeret, ita rescripsit: religionem imperare non possumus, quia nemo cogi potest, ut credat invitus.

CURTIUS: Praeclare ille quidem, melius etiam Jovianus imperator, qui edicto unionis proposito, quod Henoticon appellabat, Paganos, Christianos, Arianos, Manichaeos, Judaeos ac prope ducenta sectarum genera ad concordiam aggregans, oratores ad modestiam assidue cohortabatur, ne plebem seditiosis concionibus ac reipublicae statum perturbarent, sed ad pietatem, integritatem, caritatem mutuam invitarent.

Quae cum omnibus probarentur, Coronaeus jussit me pueros arcessere, quibus obtulit canticum [3]): Ecce, quam bonum et quam jucundum, cohabitare fratres in unum, non diatonicis vulgaribus aut chromaticis, sed enharmonicis rationibus, diviniori quadam modulatione compositum, quo suavissime omnes delectati ac seipsos mutua caritate amplexati discesserunt. Deinceps mirabili concordia pietatem ac vitae integritatem communibus studiis ac convictu coluerunt, sed nullam postea de religionibus disputationem habuerunt, tametsi suam quisque religionem summa vitae sanctitate tueretur [4]).

---

1) Alius: Hebraicae. 2) Alius: Alfaguinum. 3) Psalm. 133 (132), 1. 4) Alius: coleret.

Finis.

Ad pag. 295 lin. 10 pertinet subsequens carmen graecum, quod ibi non nisi latine versum legitur.

Χριστὲ θεοῦ τέκνον, τέρεν ἄνθος, ἀέναε μίστα,
Κόσμων ἀμφιδρόμων ἐποχούμενε κοίρανε νώτοις
Αἰθερίοις, ἀλκῆς ἵνα σοι σθένος ἐστηρίκται,
Πάντ' ἐπιδερκομένῳ καὶ ἀκούοντ' οὔασι καλοῖς.
Σὴ γὰρ ὑπὲρ κόσμον τε καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα,
Χριστ', ὑπερεκτανύται πολλὴ αἰώνιος ἀλκή,
Ἧι ὑπερηωρήσας ὀρίνων φωτὶ σεαυτὸν
Ἀενάοις ὀχετοῖσι τιθήνεις νοῦν ἀπέραντον,
Ὅς ῥα κύεις τόδε πᾶν, τεχνώμενος ἄφθιτον ὕλην,
Ἧς γένεσις δεδόκηται, ὅτι σφε τύποισιν ἐδήσας·
Ἐκ σου ἀπορρεύσαντ' ἁγίων γεννήματ' ἀνάκτων,
Οἵ σε μὲν ἀμφίστασι, κρατίστ', ἐκ σου γεγαῶτες
Πεμπόμενοι τῇ καὶ τῇ ὑπ' ἀγγελίῃσιν, ἕκαστα
Πρεσβυγενεῖ διάγουσι νόῳ καὶ κάρτεϊ τῷ σῷ.
Πρὸς δέ τι καὶ τρίτον ἄλλο γένος ποίησας ἀνάκτων,
Οἵ σ' ᾄδουσι κατ' ἦμαρ, ἀεὶ μνήσκοντες ἀοιδῆς,
Ὅς θανάτῳ ζωὴν, βέλτιστε, βροτοῖσιν ἔδωκας.

